



REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
C² X 109

DE PROGRESSV PHILOSOPHIAE APVD ROMANOS.

DE
PHILOSOPHIAE
APVD ROMANOS
INITIO ET PROGRESSV.

PAGANINI GAVDENTII

VOLVMEN,

In quo præter historiam multa ad contemplationem rerum, & dissidentes Veterum Sapientum Scholas facientia, enarrantur.



PISIS

Typis Amatoris Massæ, & Laurentij de Landis.

Superiorum Permissu. MDCXLIII.

IMMORTALI MEMORIAE EORVM,

QVI IN HOC OPERE PHILOSOPHIÆ CAVSA HONORIFICÈ MEMORANTVR,

Librum suum offert, dicat

PAGANINVS GAVDENTIVS.



INDEX CAPITVM,

QVÆ CONTINENTVR

in hoc Opere.

CONspectus successionis Philosophicæ exhibitus ex fastis consularibus, & Chronologia. Cap I. pag. 1

Initium philosophiæ apud Romanos non esse ad Numam referendum. confutatur fabula quædam de Pythagora. Cap. II. p. 13

Augures Numæ nequaquam cum philosophis esse confundendos. Cap. III. p. 16

An sub Tarquinio, aut tempore Decemuirorum aliquid philosophiæ illatum fuerit Romæ? Cap. IV. p. 17

Ex eo, quod aliqui antiquitus excantarent fruges apud Romanos, non esse colligendum fuisse ibi Philosophos. Cap. V. p. 18

An à Pythagoræorum cætu pertigerit Romam philosophia? Cap. VI. p. 20

Panætium Rhodium primum videri claruisse philosophiæ nomine Romæ, & fuisse præceptorem Minoris Africani. Cap. VI. p. 22

Polybium à Philosophiæ Romanæ censu excludi non debere. Cap. VIII. p. 24

Memoratur Scipio Africanus ob philosophiam. nec omittuntur Lælius, Furius philosophus, & Gallus. Cap. IX. p. 26

De Senatusconsulto, quo visi sunt pelli omnes philosophi Ro-

mæ,

ma, coniectura aduersus Gellium. Cap. X. p. 28
De Carneadis incredibili doctrina. attingitur successio scholæ Arcesileæ. Cap. XI. p. 30
De Diogene Stoico legato ad Romanos plura. expenditur quoddam dogma Stoicorum de Deo, & reijcitur. Cap. XII p. 32
Nonnulla de Critolao proferuntur. Attingitur successio in schola Peripatetica, & aliquid ex ea non parui momenti colligitur. Cap. XIII. p. 35
Veteres Romanos caruisse Rhetoribus. eosdem pulsos urbe. Cur inutiles visi? Cap. XIV. p. 39
De Q. Tuberone ex nobilissima familia philosopho Stoico simul, & Iurisconsulto. Cap. XV. p. 41
De L. Crasso, de Scæuola, de Sex. Pompeio qui philosophos audiuerunt. Cap. XVI. p. 43
Liberè tandem Romæ admissam fuisse philosophiam. eam non repugnare imperio. Cap. XVII. p. 44
Eloquentiæ comparandæ causa Romanos amplexos philosophiam. conqueritur auctor de neglecta philosophia Platonis. Cap. XVIII. p. 46
Lucullum Proceribus Romanis præiuisse exemplo prorsus illustri ad fouendam Philosophiam. Agitur de Antiocho, & Philone. Cap. XIX. p. 48
De Tyrannione, qui captiuus ductus est Romam à Lucullo. Cap. XX. p. 50
De Sylla transferente libros Aristotelis Romam Athenis. Cap. XXI. p. 51
De obscuris quibusdam hominibus Romanis, qui latinè de philosophia scripserant ante Ciceronem. Cap. XXII. p. 53

De M. Craſſi Peripatetica philoſophia, cur videatur idem contempſiſſe aduerſa ſigna, profectis contra Parthos? Cap. XXIII. p. 55
De Alexandro Peripatetico præceptore M. Craſſi. agitur de philoſophico animi robore, deq. contemptu gloriæ, & diuitiarum. Cap. XXIV. p. 58
Quantus in philoſophia fuerit M. Brutus, cui ſectæ addictus? An verba quædam contra Virtutem protulerit iam iam moriturus? Cap. XXV. p. 61
De Caſſij philoſophia Epicurea. attingitur aliquid de adiaphoria Ciceroniana. Cap. XXVI. p. 63
De Catio Epicureo. quod ſcripſerit de re Culinaria, ſed non bene. agitur de effluuio radiorum, & obiter queritur: an lux ſit ſubſtantia tenuiſſima? Cap. XXVII. p. 67
De M. Piſone, deq. eius præceptore Staſea Neapolitano. quam lubenter Romani Athenis viderent ſedes philoſophorum. Cap. XXVIII. p. 70
De T. Lucretio Romano, magno philoſopho, magnoq. poeta. Cap. xxIx. p. 72
De C. Cotta recentis Academiæ defenſore; eum, licet Pontifex eſſet, more Carneadeo diſputaſſe. Cap. xxx. p. 75
De P. Nigidio Figulo Romano, philoſopho Pythagoræo, & magno rerum naturalium indagatore. Cap. xxxI. p. 77
De C. Velleio Senatore Romano fidenter defendente Epicuream ſectam. eius quædam diſputatio contra Platonem, & Zenonem perpenditur. Cap. xxxII. p. 80
De Lucilio Balbo inſigni Stoico. agitur etiam de Deo Stoicorum,

corum, cum animâ mundi Platonicorum, non confundendo. Cap. xxxIII. p. 82
Proferuntur de Nigidio, de Cotta, de Lucilio, & Velleio versiculi. Cap. xxxIV. p. 85
Varronem fuisse summum philosophum, sed in scriptis tantum delibasse philosophiam. Cap. xxxV. p. 87
Commendatur Cicero ob philosophiam, quam primus literis latinis locupletauit. posse eos, qui Republicæ præsunt, quandoq. vacare philosophiæ. Cap. xxxVI. p. 89
De Pompeij erga philosophiam propensione. agitur simul de Possidonio, Cratippo, Q. Valerio. Cap. xxxVII p. 92
De M. Catonis philosophia, & sapientia non pauca. Cap. xxxVIII. p. 94
Agitur de disputatione habita à Catone cum Cicerone. proferuntur nonnulla de primo Domitio. Cap. xxxIx. p. 98
De profectu philosophico Pomponij Attici. an philosophia necessariò cum eloquentia sit coniungenda? Cap. xL. p. 100
Astronomiæ peritissimum fuisse I. Cæsarem D. Autorem. Cap. xLI. p 102
An Iurisconsulti Romæ florentes fuerint Stoicæ Sectæ addicti, quia exquirebant vim verborum? reijcitur sententia viri docti. Cap. xLII. p. 104
Veteres Iurisconsultos videri potius cum Platonicis & Peripateticis, quam cum Stoicis sensisse. Cap. xLIII. p. 106
De Chaldæis Roma pulsis. de eorum disciplina valde diligenter obseruata sub Imperatoribus. Cap. xLIV. p. 108
De statu Chaldaicæ disciplinæ sub imperatoribus pura. Cap. xLV. p. 110

† De

De M. Fauonio, æmulo Catonis, Stoicisq. addicto. Cap. xlvi. p. 112.
De Augusti erga philosophiam, & Arium, Nicolaumq. philosophos studio. Cap. xlvii. p. 113
De Athenodoro, cui multum credebat Augustus. Cap. xlviii. p. 115
De Athenæo, & Xenarcho, qui floruerunt sub Augusto. Cap. xlix. p. 117
Quatenus Mæcenas apud Augustum commendârit, aut vituperauit Philosophos. Cap. L. p. 118
De Strabone Geographo. cui sectæ fuerit addictus? Cap. LI. p. 119
De M. Manilio, qui sub Augusto de Sphæra, & siderali disciplina scripsit. reijcitur opinio Geuartij. Cap. LII. p. 122
Magnum instar Philosophiæ existimâsse Romanos esse Homerum. Cap. LIII. p. 124
De Tiberij præceptore Trasyllo. an philosophiæ operam dederit idem Tiberius? Cap. LIV. p. 126
De Babilo equite Romano, præfecto Ægypti. Cap. LV. p. 128
De Canio Iulio philosophici roboris viro sub Caio Caligula. eius mors generosa expenditur. Cap. LVI. p. 130
De Philone Iudæo, qui Romæ sub Caio functus est legatione agitur de eius allegorijs, deq. dogmatibus potius Platonicis, quam Mosaicis. Cap. LVII. p. 131
De liberalibus studijs Claudij Imperatoris. Cur ei nihil profuerint? Cap. LVIII. p. 134
De Annæo Cornuto, quem Nero relegauit. Cap. LIX. p. 135

De Alexandro Ægeo Peripatetico praeceptore Neronis. Cap. LX. p. 137
De Cynico Demetrio, qui vixit sub Caligula, Claudio, & Nerone, obiter de more illustrium virorum, quando sunt morituri. Cap. LXI. p. 138
De Cærano, aut etiam Clarano. Cap. LXII. p. 140
Stoicum fuisse Thraseam Pætum. Cap. LXIII. p. 141
Seneca aduersus quosdam maledicos defensus de eius operibus legendis. quam impauidum se præbuerit in morte. Cap. LXIV. p. 142
De Senecæ mira temperantia. quibus argumentis ostendant Stoici diuitias non esse bonas. cur Seneca liberalia studia non putet confundenda cum sapientia? Cap. LXV. p. 144
De statu non admodum florente philosophicarum sectarum, cum floreret Seneca Cap. LXVI. p. 147
De scelere P. Celeris Egnatij, Stoicam philosophiam professi. Cap. LXVIII. p. 148
Qua ratione vulgus Cynicos irritaret, & vexaret. Cap. LXIX. p. 150
De baculo, pera, & barba Cynicorum, & tenui victu iuuenum, dantium operam Stoicæ philosophiæ. Cap. LXX.
De Stoa, unde Stoici dicti, digressiuncula excerpta ex prælectione habita ad XVI. annalium Tacit. Cap. LXXI. p. 153
An & quatenus Cynici, & Stoici habuerint eandem originem? describuntur adhuc mores Cynicorum. refelli[tur] calumnia Iuliani Imperatoris contra Monachos. Cap. LXXII. p. 156

De aduentu Apollonij Tyanei tempore Neronis Romam. de Telesino consule addicto philosophis. An iusserit Nero ire in exilium philosophos? quam parum tuta fides sit Philostrati. Cap. LXXIII. p. 159
De Dionysio Alexandrino, qui videtur floruisse Romæ sub Nerone. Cap. LXXIV. p. 161
De Heluidio Prisco sectatore Stoicorum, reuerso Romam sub Galba. Cap. LXXV. p. 163
De Vespasiano colloquente cum Apollonio Tyanæo Alexandriæ. Cap. LXXVI. p. 167
Iosephum historicum accensendum esse philosophis apud Romam. digressione quadam defenditur eius historia aduersus calumnias Saliani, & Mascardi. Cap. LXXVII. p. 169
De immensa rerum cognitione, qua emicuit Romæ Plinius, Tito Imperatori carissimus. Cap. lxxviij. p. 178
De Musonio Tusco philosopho, qui exulauit sub Nerone. notatur error apud Suidam. Cap. lxxix. p. 179
Expenduntur quædam, quæ narrantur à Philostrato ad philosophiam Titi facientia. attingitur aliquid de Lepore marino & Vesuuiano incendio. Cap. lxxx. p. 181
De Iulio Agricola nimis vehementer in adolescentia incumbente studio philosophiæ Cap. lxxxj. p. 185
De Domitiano iubēte exulare Roma philosophos. Cap. lxxxij p. 186
De Deciano, approbante dogmata Stoicorum. Cap. lxxxiij. p. 187
De Traiani affectu erga philosophiam, Dione philosopho ab eodem valde amato. Cap. lxxxv. p. 189
Quæ-

Quatenus Tertullianus appellarit Tacitum, loquacissimum mendaciorum. an vt adulator sit reprehendendus idem Tacitus? Cap. lxxxvj. p. 198

De philosophica sententiarum grauitate, quæ reperitur apud Tacitum, qui lectorem impellit ad generosam virtutem, & auertit à vitijs. Cap. lxxxvij. p. 202

Recensentur, & explanantur quædam dicta Taciti ad intimam rerũ ciuilium cognitionẽ facientia. Cap. lxxxviij. p. 208

De Plutarcho, qui floruit sub Traiano. obiter, an Mundus secundum Platonem ab æterno fuerit factus, & an deceat philosophum ad Rẽpublicam accedere? Cap. lxxxxi. p. 213

Plutarchum magnifieri debere etiam in philosophia Naturali, sed secundum Platonem. Quædam sigillatim ex eo depromuntur, & expenduntur. Cap. xc. p. 217

De Chrysippei nominis celebritate sub Traiano, & deinceps. Cap. xcj. p. 222

De summo sciendi desiderio quo flagrauit Hadrianus. laudatur celsissimus Princeps Cardinalis de RICHELIEV. *Cap. xcij.* p. 223

Apud Hadrianum præ omnibus eminuisse Fauorinum philosophum. Cap. xciij. p. 225

Non consuluisse suæ dignitati Hadrianum, dum voluit videri superare philosophos. Cap. xciv. p. 226

De philosophis, qui alebantur Alexandriæ quibus fauebat Hadrianus. Cap. xcv. p. 227

Quam comem, & assiduum in iure dicendo efficeret philosophia Hadrianum. Cap. xcvj. p. 228

De

De Adriano cupiente persuadere animam Antinoi abiisse in sidus. Cap. xcvij. p. 229
Hadrianum de sua vita scripsisse libros. agitur de Phlegonte liberto. Cap. xcviij. p. 231
Adrianum peccasse addendo Philosophiæ Magiam. Cap. xcix. p. 232
De Euphrade philosopho, qui impetrauit ab Imperatore, vt sibi fas foret bibere cicutam. Cap. C. p. 234
De Herode Attico viro Consulari, quem Athenis audiuit Gellius. Cap. CI. p. 235
De Gellio, qui Roma profectus est Athenas ad philosophos, quorum etiam dicta nominatim recensuit in noctibus Atticis. Cap. CII. p. 236
De progressu philosophiæ sub Antonino Pio. laudantur eius mores. Cap. CIII. p. 237
De Rustico Consule, atque aliis philosophiæ vacantibus sub Antonino. Cap. CIV. p. 240
De Apuleio Madaurensi, philosopho Platonico. Cap. CV. p. 241
An Apuleius putarit Aristotelem scripsisse librum de Mundo ad Alexandrum? notantur quædam in Apuleiana versione eius libri. Cap. CVI. p. 242
Aristotelem apud Apuleium docuisse, licet male, Deum sua substantia esse tantum in cœlo. Cap. CVII. p. 246
An author libri de Mundo versi ab Apuleio, dum vocat cœlum quintam substantiam, senserit cum Platone? Cap. CVIII. p. 247
Illustratur dictum Apuleij narrantis etiam fœminas sub disciplina Platonis philosophatas. Cap. cix. p. 251

De

De libro Apuleij, quo descripsit Medicamenta ex viribus herbarum. agitur de antiquitate Medicinæ, & quod Medicina non debeat confundi cum Medicis. Cap. cx. p. 252
De Crescente philosopho Cynico, qui Romæ accusauit S. Iustinum. perpenditur quoddam edictum Traiani aduersus Christianos. Cap. cxj. p. 257
Quid impulerit Iustinum vt relicta philosophia Platonis, & veteri superstitione transiret ad Christianos? proferuntur nonnulla philosophica ex eius scriptis. Cap. cxij. p. 260
De ἀδιαφορία (lat. indifferentia) Crescentis Cynici quid scripserit S. Iustinus? plura de rebus indifferentibus proferuntur. Cap. cxiij. p. 263
De veritate Christiana ex vetere Mosaica antiquitate quid disserat S. Iustinus contra gentes? agitur rursus de authoritate antiquitatum quas scripsit Iosephus. Cap. cxiv. p. 266
De disputationibus S. Iustini contra Aristotelem. perpenduntur duo loci apud Aristotelem de cœlo. Cap. cxv.
De quadam repugnantia, quam tribuit Platoni loquenti in Timæo S. Iustinus. perpenditur generica diuisio Entis secundum Platonem. Cap. cxvj. p. 272
Perpenduntur adhuc verba Platonis: Dij Deorum quorum ego opifex prolata à S. Iustino. Cap. cxvij. p. 276
Vt magis intelligantur verba Platonis prolata à S. Iustino, quæritur, an & quatenus voluntas Dei corporum mundanorum vinculum sit. Cap. cxviij. p. 280
Quid de anima genita, vel ingenita secundum Platonem,

Imò de mundo vel genito vel ingenito nonnulli protulerint, ut repugnantiæ nodum tollerent. Cap. cxix. p. 284
De argumentione S. Iustini, qua colligit Aristotelem docuisse animam esse mortalem, de ἐντελεχείᾳ non pauca proferuntur. Cap. cxx. p. 292
Non pauca alia de Entelechia Aristotelica, de qua præcedenti capite prolata est argumentatio S. Iustini, depromuntur. Cap. cxxj. p. 296
Exemplo S. Iustini exercentis se in examinandis opinionibus Aristotelis expenduntur quædam, quæ proferuntur tum ab Aristotele tum Auerroe de terræ magnitudine. Cap. cxxj. p. 304
De versione lxx. Interpretum, qua usus est in suis operibus S. Iustinus, non pauca notanda depromuntur. Cap. cxxij. p. 303
Perpenduntur quædam quæstiones propositæ Gentilibus philosophis a quodam authore inter opera S. Iustini. Cap. cxxiij. p. 313
De duobus principijs Manichæorum quid tradatur ab authore quæstionum, quæ reperiuntur inter opera S. Iustini. Cap. cxxiv. p. 316
Centum, & quadraginta sex responsiones ad orthodoxos non esse Iustini, nec quandam expositionem fidei. Cap. cxxv. p. 320
Repetuntur verba quædam ex Timæo Platonis facientia ad repugnantiam de mundo genito, & ingenito, quam obiecit eidem Platoni S. Iustinus. Cap. cxxvj. p. 322
De verbis quibusdam, quæ obiecit Aristoteli S. Iustinus, in quibus agitur de natura cæli. Cap. cxxvij. p. 327
No-

Nouissimè cum S. Iustino obijciente Aristoteli perpenduntur duo locis ex Tertio de cœlo tex. I. cap. cxxviij. p. 331

De ijs qui prauo more architectati sunt opiniones ex S. Scriptura male intellectæ, & detorta philosophia, Romæ se inferentes. Cap. cxxix. p. 337

De Marci Antonini summa diligentia in discenda philosophia. agitur de eius praeceptoribus. Cap. cxxx. p. 340

Natus est Marcus Romæ Annio Vero auo suo, & augure Cos. patrem habuit Annium Verum, qui prætor fuit Romæ, inq; Prætura decessit, proauum Annium Verum ex succubitano Hispaniæ Baeticæ Municipio prætorum, qui factus est Senator. Quæ omnia sequuntur apud Iulium Capitolinum; cui addere, si libet, potes graues etiam Hispanicarum Scriptores (quales sunt Ambrosius Morales, Mena, & Lopez) testantes hodieq; familiam Veram superesse [illegible], ipsi et [illegible] memorabile fore ad tantum Imperatorem referre. Id amplius forte alibi enarrabo ex ijs, quæ in luculento suo de hac familia commentario eruditus D. [illegible] Pont [illegible] congessit. Quæ de [illegible] est [illegible] familiæ [illegible] Comes de Rota hoc tempore Regis Catholici ad Principes Italiæ Orator, vir omnigena rerum præstantia [illegible], & [illegible] prudentia conspicuus.

Quantus in philosophia fuerit Marcus Antoninus, quantus item in gerenda Republica. Cap. cxxxj. p. 343

Valde multos sub Antonino assumpsisse formam philosophorum, ut diceserent. Cap. cxxxij. p. 346

Nonnulla ex libris Marci Imperatoris de vita sua depromuntur, & explicantur. Cap. Cxxxiij. p. 347

De Arriano, qui composuit Enchiridium Epicteti. Cap. cxxxiv. p. 349

De Arnuphi philosopho, vel Mago reijcitur quædam narratio quæ reperitur apud Suidam. Cap. cxxxv. p. 355

Non parum Romæ auctam philosophiam opera Galeni, quando his floruerit? Cap. cxxxvj. p. 356

Referetur, & aliquatenus reijcitur sententia Galeni de pulchritudine. Cap. cxxxvij. p. 361
An Medicina sit scientia, & quidem secundum Galenum? Cap. cxxxviij. p. 364
Denuo quædam de Galeni omnimoda cognitione depromuntur. Notantur aliqui Medici, qui Galenum iactant. agitur de cognitione linguæ Græcæ, & aliarum linguarum. Cap. cxxxix. p. 367
De causa dierum Criticorum quid protulerit Galenus? An Aristoteles videatur numeris tribuisse aliquam vim? Cap. cxl. p. 371
An sit consentanea doctrinæ Galenicæ diuisio Medicinæ in Theoricam, & Praticam? Cap. cxlj. p. 372
De Laurentio imitante Lucullæam magnificentiam in excipiendis viris doctis sub Marco Imperatore. Cap. cxlij. p. 374
De Athenæo scriptore dipnosophistarum, enumerantur aliquot conuiuia. de ijs, qui adstant Principibus cœnantibus Cap. cxliij p. 375
De Vlpiano Tyrio dipnosophista sub Marco deq. alijs tribus Vlpianis. Cap. cxliv. p. 378
De Masurio Iurisconsulto, qui floruit sub Marco, fuitq. dipnosophista. Cap. cxlv. p. 380
De Cynulco Cynico philosopho, qui tanquam Dipnosophista interfuit cœnis Laurentianis. Cap. cxlvi. p. 381
De Medicis inter Dipnosophistas Laurentianos. An & quatenus in conuiuio liceat de Morbis loqui? Cap. cxlvij. p. 384
Ob Dipnosophisticam materiam commendatur Martialis,
&

& quaedam ex ipso repetuntur, & illustrantur. Cap. cxlviij. p. 387
Exercitatio Dipnosophistica: An testamenta sint iuris Gentium, an Ciuilis? Cap. clix. p. 392
Alia exercitatio Dipnosophistica, in qua agitur de dissidio nationum in aliquo more, vt intelligamus quaenam dicantur esse iuris gentium. Cap. cl. p. 402
Ad superiorem diatribam appendix, in qua agitur de populis qui spreuerunt coniugia cum peregrinis. Cap. clj. p. 404
De Commodo contemptore philosophiae, Cap. clij. p. 405
De Maximo Tyrio, eiusq. dissertationibus. Item de Alcinoo. Cap. cliij. p. 406
De Septimij Seueri doctrina. quod de vita sua scripserit commentarium. Cap. cliv. p. 308
De Iulia vxore Imperatoris Seueri fauente philosophis, extemporalitatis osores, homunciones obscuri, & ignari in ordinem rediguntur. Cap. clv. p. 409
De Alexandro Aphrodisiensi. aliquid additur de Oppiano poëta, Cap. clvj. p. 414
De Heliogabalo persequentes eos, qui Alexandrum in disciplinis erudiebant. Cap. clvij. p. 416
De Mammaea, quae filium Alexandrum sapientiae praeceptis curauit imbui. Cap. clviij. p. 417
De Alexandri Seueri philosophico studio, quod coluerit Apollonium Tyaneum, de quo plura proferuntur Cap. clix p. 419
De Gordiani Imperatoris philosophia, de Sammonico Sereno patre & filio, quorum hic fuit praeceptor Gordiani, Cap. clx. p. 421

De Plotino, quando se contulerit Romam, quandiu ibi vixerit? Cap. clxi p. 423

De Amelio Gentiliano, qui fuit familiaris Plotino. Cap. clxij. p. 425

De Longini vita, scriptis, & morte, Aureliani gloriam non parum obscuratam tanti viri cæde. Cap. clxiij. p. 425

Romæ fuisse Porphyrium non semel, profecisse sub Plotino, vixisse vsq. ad Probum. Cap. clxiv. p. 428

Examinatur, & confutatur paradoxum Porphyrij docentis hominem esucarnium potius. agitur etiam de hæresi Encratitarum. Cap. clxv. p. 430

Putasse Porphyrium consentire inter se Platonem, & Aristotelem aduersus eiusmodi opinionem inseritur huic libro exercitatio. Cap. clxvi. p. 435

De Memoria Philosophorum celebrari solita quotannis. Cap. clxvij. p. 454

De bibliothecis in vrbe Roma. quot fuerint, qua ratione sublatæ Cap. clxviij. p. 455

Concussam philosophiam Romæ postquam Constantinus migrauit Byzantium. aliqua de Themistio proferuntur. Cap. CLXIX. p. 457

Expenditur ex Epistola Iuliani Imperatoris sententia Themistij præferentis Actuosam philosophiam Contemplantè & Num Iurisprudentia possit vocari philosophia? Cap. CLXX. p. 460

De Sopatro, qui præfuit scholæ Plotinianæ, & occisus fuit à Constantino. Cap. CLXXI. p. 464

De honore, quo summum philosophum Proæresium affece-

runt Romani tempore Constantis Imperatoris. Cap. CLXXII. p. 467
De segete philosophica, quae reperitur in commentarijs Seruij Mauri Honorati. Cap. CLXXIII. p. 469
De magno anno Platonis expositio Seruij. reijcitur quorundam opinio de regno Christi per mille annos duraturo in terris. Cap. CLXXIV. p. 470
Perpenditur sententia Seruij, atq. aliorum, qui videntur rationem tribuere animalibus. eiusmodi opinio reijcitur. Cap. CLXXV. p. 473
Existimásse Seruium cum Stoicis superiora corpora aliquid accipere ab inferioribus, qua occasione quaeritur; an repugnet Lunam aliquid accipere à terra? Cap. CLXXVI. p. 478
Definitio mortis à Seruio petita ex Platone expenditur, & magis ac magis adstruitur animarum humanarum immortalitas. Cap. CLXXVII. p. 484
Quid de fabulis cum philosophia coniunctis Seruius profert? notatur nimium allegoriarum studium in Philone, & Origene. Cap. CLXXVIII. p. 487
De quibusdam ominosis signis quid Seruius referat ex suorum temporum antiquitatis superstitione? Cap. cxxix. p. 489
Seruium cum Virgilio docere Deum nequaquam includi caelo. argumentationem Aristotelis pro incorruptibilitate caeli petitam à sede Deorum imbecillam esse. Cap. clxxx. p. 490
De coniunctione animae cum corpore quid ex sententia Platonis proferat Seruius? Explicatur Christiana sententia. Cap. clxxxi. p. 493

Quando

Quando Macrobius videatur vixisse, non ab ipso neglectam philosophiam. fit mentio Disarij Medici. Cap. CLXXXII. p. 495

An Macrobius rectè tutatus sit concentum cælestium corporum, de quo Pythagoras primus est locutus? Cap. CLXXXIII. p. 497

De Animarum immortalitate, & sede in cælo quid Scipio apud Ciceronem dicat, & quomodo ea exponat Macrobius; cuncta tamen esse exigenda ad theologiam Christianam. Cap. CLXXXIV. p. 500

De studio publico philosophiæ in vrbe Roma sub Christianis Imperatoribus. Cap. clxxxv. p. 504

De Boetio Romano Consule, qui bene de Aristotelis meritus est philosophia. non præteritur Symmachus eius Socer. Cap. clxxxvj. p 505

Laudandos esse Proceres Christianos doctrina & eruditione conspicuos, qualis fuit Boethius. laudantur Nicolaus de Antella, & Cardinalis de Richelieu nuper mortuus. Cap. clxxxvij. p. 508

Boetium non locutum de Categoriæ vocabulo detorto ad alium significatum. An liceat philosophis noua vocabula architectari? Cap. clxxxviij. p 511

Ad Boethium exponentem Ciceronis definitionem de Æquitate proponitur controuersia, an Nulla æquitas sit scripta? Cap. clxxxix. p. 513

De statu animarum exponuntur verba Boethij. explicatur etiam Petrarcha. Cap. cxc. p. 515

Prædicamenta, quæ interpretatur Boethius, tradita fuisse ante Aristotelem ab Archita Pythagoræo. confutatur

que-.

quadam narratio Themistij. Cap. cxcj. p. 516
Existimasse Boethium Naturam secundum Aristotelem tantum dici de corporeis substantijs. de tota quæstione aliquid profertur. Cap. cxcij. p. 519
Quatenus videatur Boethius definiuisse hominem animal rationale mortale. Cap. cxciij. p. 522
An tantum fuerint tres modi conferendæ libertatis tempore Boethij? Cap. cxciv. p. 523
Nonnulla de philosophiæ diuisione Platonica, & Aristotelica obseruantur ad ea, quæ profert Boethius. Cap. cxcv. p. 524
De diuisione sectarum, & librorum Aristotelicorum, quam omisit Boethius, quædam depromuntur ex Simplicio, & illustrantur Cap. cxcvj. p. 528
De diuisione philosophiæ, & de operibus Aristotelis plura depromuntur ex Ammonio, & reijcitur paradoxum Fr. Patritij. Cap. cxcvij. p. 532
Perpenduntur verba Boetij de animarum incorporalitate, & earundem lapsu in corpora. Quid Platonici dixerint de descensu animarum in corpora. explanatur quorundam Veterum Theologorum opinio de praexistentia animarum. Cap. cxcviij. p. 540
Adstruitur innocentia Senecæ verbis Boetij. obiter aliquid profertur de morte Papiniani. Cap. cxcix. p. 545
Quod philosophiæ finis sit, Deum imitari. quatenus homo dicatur imitando Deum deus fieri secundum Boetium. explicantur verba S. Dionysij Areopagitæ. Cap. cc. p. 546
Boethium non disputasse de controuersia quæ quæritur: An

logicæ sit philosophiæ instrumentum? aliquid in eam rem depromitur ex Ammonio. Cap. ccj. p. 549
Reijcitur Fr. Patricius, qui librum de interpretatione, expositum à Boethio & alijs, negat esse Aristotelis. quatenus Aristoteles intellectionem appellauerit passionem? Cap. ccij. p. 551
An vocabula sint à natura, an ab hominum instituto? perpenduntur rationes Boetij, & quæ Plato tradit in Cratylo. Cap. cciij. p. 556
Proponitur effatum Aristotelis asserentis, de futuris contingentibus non esse definitam veritatem, perpenditurq. Boetij expositio. Cap. cciv. p. 559
Prædicamentorum librum, de quo in logica Boetius cum interpretibus agit, inepte à quibusdam recentioribus verti ad Metaphysicam. Cap. ccv. p. 568
Sidonium Apollinarem sapientiæ mystam Romæ fuisse. ex eius Epistolis nonnulla ad philosophiam facientia annotantur. Cap. ccvj. p. 572
Theodoricum fauisse studiosis sapientiæ, eosq. dignitatibus exornasse. aliquid de Musica, & concentu syderum profertur. Cap. ccvij. p. 576
Ex prosapia Felicis Consulis floruisse doctissimum Senatorem. obiter an Boetius Athenis videatur audiuisse Proclum? Cap. ccviij. p. 577
Rursus de affectu Theodorici erga studia sapientiæ prodeunt Ennodij verba. Cap. ccix. p. 579
Theodoricum res facere ad philosophiam Romanam, cum calluisse historiam animalium. Cap. ccx. p. 581
De Fausto Seniore, & Iuniore consularibus peritis disciplina-

plinarum? quatenus Romæ studia viguerint post Barbaricas irruptiones. Cap. ccxj. p. 582
De Sylvestro II. Pontif. e philosopho eximio. reijcitur fabula de eius Magia. Cap. ccxij p. 584

INDEX CAPITVM IN ADDENDIS.

DE Ouidiana narratione afferente Numam profectum ad audiendum Pythagoram, profertur sententia Pythagoræorum de tempore. Cap. i. p. 588
An XII. tabulæ continerent philosophiam? explicantur verba Ciceronis in lib. de orat. refer ad pag. 19. Cap. ij. p. 592
De Sulpitio Gallo Romano perito astronomiæ tempore belli Macedonici. Cap. iij p. 593
Quam abstinens fuerit Scipio Africanus: laudatur etiam Marcus Imperator. Cap. iv. p. 594
Qua notione Lælius dictus fuerit sapiens? expenditur definitio Aristotelica sapientiæ. refer ad pag. 26. Cap. v. p. 596
Controuersia iuris ex Diogene Stoico proposita. refer. ad pag. 32. Cap. vj. p. 600
Expenditur disputatio Critolai peripatetici contra Stoicos. Philo in quibusdam reijcitur, in nonnullis approbatur. Cap. vij. p. 601
De Posidonio discipulo Panatij, qui fuit Romæ tempore Marcelli. Cap. viij. p. 604

De Hecatone Stoico discipulo Panætij, qui Romæ videtur fuisse. Cap. ix. p. 604

De Sosigene insigni Astronomo, cuius opera vsus est Iulius Cæsar. Cap. x. p. 605

A grauitate philosophica petitum illud: Sophōs, cuius vsus frequens in acclamationibus Romæ. refer ad p. 46. Cap. xj. p. 606

T. Liuium fuisse philosophum, & de philosophia scripsisse. Cap. xij. p. 607

Stoicos de honestate agentes potuisse aliquid conferre ad Iurisprudentiam. refer ad p. 106. Cap. xiij. p. 608

Scholiastes Iuuenalis agens de Thrasyllo reijcitur. Cap. xiv. p. 609.

De Nicæno, qui illustrauit uberius Timonis Sillos, sub Tiberio. Cap. xv. p. 610

De Fabiano Papirio insigni philosopho, quem audiuit Seneca. Cap. xvi. p. 611

Stoicos putasse, sed male animam esse corpoream, licet tenuissimam & dubitasse de eius immortalitate. perpenduntur quædam verba Senecæ. Cap. xvii. p. 612.

Alexandrum Ægæum nequaquam esse auctorem commentariorum in Meteora, & Metaphysicam Aristotelis. notatur negligentia Diogenis Laertij. Cap. xviii. p. 613.

A Boetio inter philosophos recenseri Lucanum. agitur de mundi conflagratione, aut renouatione. Cap. xix. p. 615.

In quem locum transferat animam Pompeij Lucanus more, vt videtur Stoico. de sede animarum quid prodiderint Poetæ. Cap. xx. p. 618.

Libertate quadam philosophica videri Lucanum appellasse

Ale-

Alexandrum prædonem, quid dici possit ad defensionem Alexandri? Cap. xxi. p. 621
De alio Canio non philosopho, refer ad p. 130. Cap. xxii. p. 623.
Adhuc describitur Stoicismus Deciani oriundi Emeritâ, refer ad pag. 187 Cap. xxiii. p. 624
De quodam Pannico qui differens de philosophia turpiter eructabat, refer ad pag 189 Cap. xxiv. p. 625
De Adriano Imperatore addicto vanitati Astrologicæ, quantopere Romæ ea in re ab hominibus insanitetur, Cap. xxv. p. 626
De Plotini præceptore Ammonio, quem Porphyrius dicit fuisse Gentilem, fuisse Christianum contra Porphyrium testantur S Hieronymus, & Eusebius. Cap. xxvi. p. 629
De Origenis Romam aduentu, de eius aut defensione, aut damnatione proferuntur nonnulla, Cap. xxvii. p 631
Mammæa erga philosophiam propensa ad se iubet venire Origenem. Cap. xxviii. p. 633
Ob philosophiam extitisse mitem etiam erga Christianos Alexandrum Imperatorem, defenditur Vlpianus, refer ad pag. 419. Cap. xxix. p. 635
Rursus de Lunæ globo, & cuius substantia sit, refer ad pag. 478. Cap. xxx. p. 636
De Sopatri morte, reijcitur quedam narratio apud Suidam. Cap. xxxi. p. 639

Videat, & referat Ad. R.^{mus} P. Io: Donatus Antellensis Magister, & Metaphysicæ protessor.

P. I. Abb. Lantes Vic. Generalis.

Volumen De Initio, & Progressu Philosophiæ apud Romanos ab Excellentissimo, & Celeberrimo viro D. Paganino Gaudentio exaratum summa voluptate perlegi, nihilque in eo Catholicæ fidei dogmatibus, aut bonis moribus aduersum comperi, quinimo opus [illegible] proficuum, tanto viro, & Typis dignissimum illud existimaui [illegible] dicendo de quibusdam eidem operi addendis. Datum Pisis in Conuentu Sanctæ Catharinæ Ordinis Prædicatorum.

Magister Io: Donatus Antellensis Metaphysicus publicus, & Sanctissimæ Inquisitionis Consultor Pisanæ Ciuitatis.

Imprimatur seruatis seruandis.

P. Io: Abb. Lantes Vic. Generalis.

Impr. F. B. Manzonius Inq. Pisanus.

Alexander Victorius Serenissimi M. Ducis Auditor, & Senator.

Addenda Volumini de Initio, & Progressu philosophiæ nihil continent fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersum.

Magister Io. Donatus Antellensis S. Theol. Professor.

Imprimatur seruatis seruandis.

P. I. Abb. Lantes Vic. Generalis.

Impr. F. B. Manzonius Inq. Pisanus.

Alexander Victorius Serenissimi M. Ducis Auditor, & Senator.

Index

Index operum tam Etrusca quam latina lingua hactenus à Paganino Gaudentio editorum.

Latina hæc sunt:

DE Dogmatibus, & Ritibus *Veteris Ecclesiæ obseruationum pars prima, & secunda. Romæ apud Fr. Corbeletum.*
Velitationes *aduersus Danielem Chamierum, Romæ apud eundem.*
Iuridicæ expositiones *Cum additamento Critico. Florentiæ apud Sermarcellios.*
Instar Academicum. *Florentiæ Typis Amatoris Massæ, & Laurentij Landi.*
Chartæ Palantes *ibidem apud eosdem.*
De Iustinianæi Sæculi moribus *pars prima, & secunda. ibidem ijsdem Typis.*
De Prodigiorum significatione. *Florentiæ typis Massæ, & Landi.*
Obstetrix literaria, & Epigrammata Noua. *ibidem.*
De Comparatione dogmatum *Origenis cum philosophia Platonis,*
Salebræ Tertullianeæ,
De vita Christianorum *ante Constantinum. ibidem.*
De euulgatis Romani Imperij Arcanis,
De Funere Heroum,
De Funere Cæsarum *ibidem.*

De Pythagoreà animarum transmigratione,
De Aristotelico Veterum contemptu.
D. Iuliani Imperatoris philosophia,
De Aperipato Iulij Cæs. Scaligeri, *ibidem.*

Opera Etrusca hæc sunt:

L'Accademia Disunita. *in Pisa appresso Fr. Tanagli.*
I Confini Regolati. *appresso l'istesso.*
Le Singolarità delle guerre di Germania. *in Firenze appresso Ant. Massi, & Lor. Landi.*
Reintegrazione de' Poeti, *appresso l'istessi.*
La Vita di Cleopatra. *in Pisa nella Stampa dell'istessi.*

De quibus quidem operibus cum diebus proxime elapsis ad me exarauerit gratulationem Leo Franceuccius de Bezzolis Eques S. Stephani eidemq. militiæ à consilijs, vir natalibus, virtute militari, eruditione, & insigni morum probitate, & candore conspicuus, eam lubenter hic apposui, ne viderer facundi Scriptoris erga me affectum, & humanitatem paruipendere. Laudes verò amicorum sic admitto, vt interim non nesciam, nec obliuiscar quantum mihi desit, quamq. tenui instruar supellectile.


AD

AD

PAGANINVM GAVDENTIVM

Virum in omni doctrinarum genere excellentissimum,

Leonis Francuccij de Bezzolis Aretini gratulatio.



ON possum, Paganine, quin tibi non solùm, sed literis etiam literarumque verè amantibus gratuler tam multos tamque eximios in lucem emissos ingenij tui foetus: per quos tibi non in Italiæ duntaxat nobilissimis profectò Gymnasijs, at vbi vbi Musarum sunt domicilia immortalis iam parta est gloria: literis vero magna facta est rerum pulcherrimarum accessio: earum denique studiosis maxima ad omnigenam minimeque vulgarem eruditionem comparata sunt adiumenta. Non hæc veteri à me dantur beneuolentiæ: non ad gratiam loquar. Non est Aretinæ gentis vitium cuiquam adulari, vt etiam non est quemquam maledictis insectari: vnum si excipias insignem illum Principum mastigem Petrum Aretinum peregrinis prorsus extra Patriam, à qua ferè semper longissimè abfuit, imbutum moribus, ne dicam corruptum. Porrò quam iusta ego vtar gra-


tula-

tulatione, quam vera de te proferam; aliena fortasse negante inuidia testes mihi sint præclara illa Italiæ nostræ decora Florentinæ Vrbis academiæ, quæ te, vt optimis abundant rerum æstimatoribus, cum tua iam edita circumferrentur volumina tuumque inciperet clarescere nomen, in eorum album, per quos illæ florent, non sine benigno quodam ac modestissimo plausu omniumq. suffragijs retulerunt. Testes etiam appello honorificentissimas non ab Italis modo, verum etiam à Gallis, à Germanis, alijsue præcipuarum nationum viris sanè non paucis doctrinarum professione inclytis datas ad te literas, quibus illi vel te, vel tua egregie commendant literarum monumenta. Fidem quoque dictis facturam nõ dubito nobilem ac numerosam addictam Musis iuuentutem, quæ tui nominis celebritate adducta, tuorum voluminum suauitate illecta, e tot quotidie tamque diuersis terrarum partibus ad te plures iam annos publicè e suggestu felicissimeque docentem confluit. Legunt, Paganine, legunt, qui præteritorum temporum notitia mirificè delectantur, geminum illud tuum de Iustinianæi seculi moribus opus, in quo cum multa, tum varia tractas, & pulcra omnia ex antiquitatis eruta penetralibus. Legunt qui studio grauiori intenti in indagando rerum natura cũ voluptate versantur, confectos à te de Prodigiorum significatione deque Pythagoræa animarum transmigratione libellos, in quibus tu hercle quantum in philosophia valeas ostendisti. Perlegunt autem complures, & in his viri quoque grauissi-

vissimi, quam Italicè nobis atque concinnè descri-
ptam Cleopatræ Ægypti Reginæ vitam euulgasti; in
qua etsi non vno in loco ludere videaris, seria tamen
profers, & quæ documento etiam esse, modo non
sciolis ac peruicacibus queant. Sed longum foret
singulas tuas superioribus annis excusas enumerare
lucubrationes, quę hominum manibus magna tua cum
laude & nominis existimatione teruntur. Neque ijs
plausibile minus futurum arbitror, & lectionis fre-
quentia dignum quod recens à typis in Orbis prodit
theatrum de suscepta à Romanis Philosophia Vo-
lumen: cuiusdem cum præferat autoris nomen, & ab
eodem sit ingenio profectum. Quare nil mirum, si te
Serenissimus Ferdinandus, qui Magnus Hetruriæ sa-
pienter non minus, quam feliciter imperat in præci-
puum suæ ditionis Lycæum ad iuuentutis florem hu-
manioribus literis disciplinisue solidioribus exornan-
dum Pisas accivit: in eam, inquam, accivit sedem,
in qua Manutij, Angelij ac Bulingeri, viri æternita-
tem scriptis adepti docuerunt, accitum maioribus
in diem stipendijs, quandoq. etiam gemmis, quibus
te publicè ab eo donatum vidimus, vt est præmiator
liberalissimus, retinet. Imo, quod magis est, adeo
tuo delectatur ad ipsum accessu, vt inter prandia sæ-
pe, dum reuerenter tanti Principis maiestati adstas,
Regias epulas Lucullianis etiam preciosiores doctissi-
mi colloquij tui suauitate condires velit, teque non
ante sublatas mensas dimittat. Fruere igitur tam
magna tam rara mortalibus felicitate. Fruantur bo-

narum

narum artium cultores tam fœcundi calami tui operibus, & quæ iam edita sunt, & quorum tu nullis parcendo laboribus editionem adornas. Gaudeant verò literæ, quæ magis in diem magisq. à te tuiq. similibus illustratæ multo profectò melius cũ Armis, vt solent, de dignitate certare, atque præstantia, ni fallor, poterunt: minimeque cogentur inter tubarum clangores, inter bellicos vndique strepitus, nobilissimorum gliscente quotidie scriptorum copia teque præclara semper scribente, silere. Perge Vir præstantissime, ac dum rem literariam auges, beneuolentiæ erga me tuæ affectum quæso ne minuas. Deus te sospitem tuumque Serenissimum Męcenatem publico bono diutissime seruet, bonorum ipse omnium largitor atque Oceanus. Vale.



M. An-

M. Aurelius Galuanius clarissimus in Gymnasio Patauino Antecessor,

In literis datis Patauij Cal. Decembris An. MDCXLII.

PAGANINO GAVDENTIO,

Viro incomparabili,

Amœnissima eruditio in tuo pectore velut in propria sede exultat. *& paulo post;* Tu regna in scholis, in libris, vbique.


Rursus in literis datis Cal. Maij MDCXLIII.

Librorum immortalitate de Libitina triumphas.

DE HISTORIA PHILOSOPHICA excolenda,

Dissertatiuncula habita Pisis ad Studiosos Philosophiæ, cum excuderetur liber de Initio, & Progressu Philosophiæ apud Romanos,

quæ hic apponitur, vt sit instar præfationis ad Lectorem.



IN Scholis hac tempestate Aristotelem philosophicaq; arcana qui enarrant, Auditores, sic fere se gerunt, vt ipsi [illegible] de sententia viri sui praeceptoris, vel quae omnia transmutant, intelligant, [illegible] superq; habeant. Nam Platonem tantum non faciunt, vt quandoq; inspiciant saltem obiter. Stoicos non lectione, sed risu excipiunt. Pythagoreos indignos putant, de quibus instituatur disceptatio. Cum vero uni Stagiritae, & aliquot eius interpretibus adhaerescant, inq; ipsis legendo ciues se reddant, mirum non est si non solum reliquorum philosophorum capitales sententias spernant, sed vitas eorum qui philosophati sunt ignorent, omnemq; historiam, quae philosophiae multiplicem successionem tradit, superuacaneam opinentur esse, existimentq; tempus, quod ipsi cognoscendae impenditur, falli, frustraq; conteri. quae opinio dici non potest quam sit perniciosa, quamq; infortasse pariat apud adolescentes, qui magistris eiusmodi credulas accõmodant aures, quam enim turpe est ignorare ea, quae contigerunt disciplinae prope diuinae, quam rudem necesse est esse eum, qui interrogatus quis fuerit Plato, quis Aristoteles, quis Zeno, vbi vixerit, in quae tempora inciderit, quem exitum sortiti fuerint, ne queat respondere, hiscat perinde, ac si Harpocrati nunquam locuturus sacra fecisset. Atqui viri sapientes, qui nobis ingenij sui monumenta reliquerunt, de Vicibus philosophiae, de vitis Philosophorum, de Regibus, Principibus, Imperatoribus, qui aut philosophati sunt ipsi, aut philosophos beneuolentia sua sunt complexi, non tacuere. quin accurate valde multa sic narrarunt, vt ostenderent partem non exiguam veteris literaturae & doctrinae esse illam, quae de Philosophis ipsis agit, atq; recenset. id quamuis sit prorsus exploratum nullaq; indigeat apud eos, qui in bonis libris peregrini non sunt, probatione, vt tamen vobis rem gratam, Auditores, faciam, & meum erga sapientiae Magistros studium manifestum reddam, constitui hac dissertatiuncula aliquot enumerare scriptores, qui historiam Philosophiam locupletare satagerunt; vt nos eiusmodi diligentia subleuati

magis ac magis accenderemur eorum accensi amore. Quis vero in
h[illegible] princeps prodibit, & se conspiciendum praebebit? iam
longo [illegible] peccatum
[illegible] sedulitatem [illegible]. Ergo [illegible]
perstringam, [illegible] opera usus sum, cum penes [illegible] de [illegible]
progressu Philosophiae apud Romanos [illegible]
[illegible] hoc erat [illegible] vitas, recognovi [illegible] Catonem,
Lucullum, Pompeium. quid [illegible]
[illegible] inspexi Gellium, Herodianum, Suetonium
Dionem Cassium, ipsi me sua opera non destituerunt. recognovi Se-
necam, Tacitumque: an inde secus discessisse? Nequaquam [illegible]
[illegible] in consilium vocavi historiae Augustae chartas, in quas eruditissimus
Casaubonus [illegible] stylum. quanta ex huiusmodi scriptoribus
petita. quid memorem Eunapium, quid Porphyrium accurate scri-
bentem Plotini, summi philosophi vitam? nec praeterii Hesychium
Illustrem Milesium. vidi quae traduntur a viris doctis de Apuleio philo
sopho Platonico, de Boëtio. non semel [illegible] Stobaei colle-
ctanea, pervolvi [illegible] Petronii Satyras, [illegible] meus com-
mentarius. nec Macrobium [illegible] atque
aliorum auctorum auspicio non dubitavi novitatem hanc in historia
philosophica aggredi, nam hactenus, quod sciam, nemo calamum ad
huiusmodi materiam illustrandam transtulit. quod si scire cupiatis num
prorsus a quaestionibus philosophicis abstinuerim, solique narrationi incu-
buerim, respondebo bona fide, dedisse me operam, ut ijs, qui anhe-
lant ad contemplationem, & historica cognitione minus detinentur,
aliqua saltem ex parte facerem satis. Arripui igitur non semel occa-
sioné excurrédi ad umbras philosophorú, hoc est ad scholas, in quibus
fundantur mysteria sapientiae, & saepe suscepi tales digressiones, quae
tamen vix digressiones dici debent, quandoquidem explicant scripta
eorum, qui Romae philosophati sunt.

Expectatis forte ut postquam talia protuli, vos invitem ad legen-
dum, evolvendumque Volumen? Non ita me geram, ne ambitiosus
videar. nam nisi vos amor veri, aut saltem amor, quo prosequimini
insignes homines, philosophiae interpretes, & mystas compulerit, ef-
feceritque ut historiae philosophicae non poenitendam partem cognosca-
tis, nequicquam adhibebitur adhortatio. Certe qui con[illegible] obtru-
dum vehementer ostendit cupere se suas cogitationes legi, rogando a
lectione retrahit. Tacite namque propria laudat, dum tam saepe te urget
ad evolvendum quae exaravit. sic imprudenter in notam, qua labora-


dit Suffenus irrisus à Catullo, incidit. Cum igitur meum non sit laudibus efferre, & accuratè commendare, quæ euulgare conitur, vos vestra vtim ni libertate, & siquidem putatis à me quæ proficiscuntur siud o[mni]a perscrutatione non esse indigna, date operam, vt in vestras veniat manus musiceum opus. Sin aliter sentitis, me quidem non irato, alijs voluminibus, quæ meliora existimatis, tempus impenditis. dix.





DE INITIO, ET PROGRESSV PHILOSOPHIAE APVD ROMANOS.

Conspectus successionis Philosophicæ exhibitus ex fastis consularibus, & Chronologia. Cap. I.



I qui cum fructu vult legere Volumen, quod de Initio, & progressu Philosophiæ apud Romanos, exhibeo, par est obuersari tanquam in tabella seriē temporum, ne sæcula inter se confundantur, & quod serò contigit, citò euenisse putet, mediasq; ætates cum primis aut nouissimis commisceat, opus, inquam est lectori meæ dissertationis, Chronologia, quam iacere hodie in Italia quantopere dolendum. Chronologia namq; si verum fateri non abnuimus, est Ariadneum filum, cuius adminiculo ex labyrintho temporum inuolutissimo in apertissimum liberatum

aia·

æstatum euadimus campos, & amoena vireta. Ergò si tibi non est lauamentis, candide lector, hilares alacresq́. in hanc Chronicam texturam flecte oculos.

Anno ab VC. XXXVIII. obijt Romulus cui successit Numa.

Pythagoras Seruio Tullo regnante Romæ, circa Metapontum, docuit teste Liuio. Seruij Tulli regnum incidit in annum CLXXIV.

Sed ante Seruium regnauit Tarquinius Priscus anno CXXXIIX. is fuit Transmarinæ originis, oriundus Corintho græcum ingenium Italicis artibus miscens. *an verisimile est tunc aliquid philosophiæ Græcanicæ illatum Romæ?*

Anno ab VC. CCCIV. quando latæ sunt leges XII. tab. viuebat Romæ Hermodorus Græcus vir sapiens, Heracliti familiaris. expertem tantum virum fuisse philosophiæ nequaquam probabile est.

Circa Annum IↃLIX *floruit Romę Panætius, pręceptor Scipionis Africani.*

Anno IↃXCII. *factum est Senatusconsultum Coss. C. Fannio Strabone, & M. Valerio Messala, Philosophi ne Romæ forent.*

Circa Annum ab VC. IↃCLX. *vsq́. ad annum* IↃCC. *floruerunt Sylla, Lucullus, Cicero, Iulius Cæsar, quibus multum acceptum tulit philosophia apud Romanos.*

Imperium Augusteum incipit anno IↃCCX. *Et desinit an.* IↃCCLXV. *Tunc igitur clari fuerunt fauente Augusto Arius, Athenodorus, alijq. philosophi.*

Tiberius imperauit annos XXIV. *ab anno VC.* IↃCCLXVI.

ad

ad IↃCCLXXXIX. in hæc tempora incidit Thrasylli fama.

Caligulæ Imperium ad tres extenditur annos ab anno IↃCCLXXXIX vsq. ad IↃCCXCIII. non ignotus sub Caio fuit Demetrius Cynicus.

Romanis deinceps præest Claudius anno IↃCCCIV. vsq. ad IↃCCCXCV Seneca hoc imperante exul fuit in Corsica.

Nero imperat ab anno IↃCCCVII. vsq ad IↃCCCXX. eius iussu idem Seneca occisus est.

Neronem excepit Galba, hunc Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, qui dominatus est annorum vndecim spacio ab IↃCCCXX. ad IↃCCCXXXI.

Titi breue fuit Imperium, sub quo notissimus fuit Plinius historiæ naturalis Scriptor.

Domitianus imperauit ab anno IↃCCCXXXIV. vsq. ad IↃCCCXLVIII. is Philosophos Roma expulit. Apollonius Tyaneus arte magica euasit ex vinculis.

Sub Traiano qui imperauit nouemdecim annos ab anno IↃCCCLI. vsq ad IↃCCCLXIX floruit Plutarchus Chæronensis.

Sub Hadriano, qui regnauit vsq. ad annum IↃCCCXC. Phauorinus, Taurus clari fuerunt.

Antonini Pij Imperium non destitutum est claritate Apuleij philosophi Platonici.

Sequuntur deinceps Diui Fratres Marcus scilicet Pius, philosophus, & Antoninus Verus.

Vixit tunc Apollonius Chalcidenus, præceptor Marci, vt alios omittam.

Extenditur Marci Imperiũ vsq. ad annũ IↃCCCCXXVIII.

Commodus imperauit vsq. ad annum IↃCCCCXLIV. Septimius autem Seuerus cum Antonino Caracalla regnarunt

vsq.

usq. ad annum IↃCCCLXIV. floruit sub his Alexander Aphrodisiensis.

Super est Caracalla usq. ad IↃCCCCLXVI. Heliogabalus imperat ab anno IↃCCCCLXXI. usq. ad IↃCCCCLXXIV.

Alexander Seuerus imperauit tredecim annos, is coluit religiose Apollonium Tyaneum in Larario.

Sub Philippo qui imperauit anno IↃCCCCLXXXXVI. venit Romam Plotinus. Et vixit etiam sub Galieno, cui carus fuit.

Aurelianus qui obtinuit imperium anno CIↃXXIII. occidit Longinum philosophum, cum cœpisset Zenobiam.

Vsq. ad Probum videtur vixisse Porphyrius. vltimus autem annus Probi incidit in annum CIↃXXXIII.

Sub Constantio, cuius imperium incidit in annum CIↃCV. claruit Themistius, & deinceps.

Theodosius, & Valentinianus edixerunt, vt vnus philosophus publicè Romæ interpretaretur philosophiam.

Imperium Zenonis Isaurici incidit in annum ab VC. CIↃCCVIII. Consul fuit Boetius anno CIↃXXXVIII. qui magnanimus non dubitauit Aristotelica augere illustrare dogmata, quod eò maioris faciendum, quia incidit in tempora calamitatum plenissima. iam enim bis direpta fuerat à ferocissimis hostibus Roma. primum quidem à Gothis duce Alarico anno CIↃCLXIII. & iterum anno CIↃCCVIII. à Vandalis, qui omnibus opibus vrbem spoliarunt, ornamẽta, & insignia duce Genserico in Africam transtulerunt, scribente id Iustiniano C. de offi. præf. præt. Afric. vt verum tandem sit quod M. Varro lib. XVIII. Antiquit apud Censorinum scriptum reliquit Vettium se Romæ in augurio non ignobilem, & ingenio cuiuis doctori in disceptando parem audiuisse dicen-

centem: quoniam CXX. annos incolumis præterisset populus Romanus, ad MCC. peruenturum.

Boetium itaq. nouissimum recensent, qui Romæ philosophorum præceptis ciues imbuere satagerit. quamuis post lapsum multorum seculorum tandem ducentis, aut paucioribus abhinc annis reuixerit in vrbe philosophia annitentibus summis Pontificibus, operã suam conferentibus magnis viris Bessarione Cardinali, Theodoro Gaza, alijs, quorum memoria deinceps diutissimè, vt apparet, instauratæ sapientiæ causa vigebit, senio contempto, obliuione depulsa, obscuritate superata. parabilis autem ideò mihi extitit de lnitio, & progressu Philosophiæ scriptio, quod publicè historiam, politicemq. in Celeberrimo Gymnasio, quod est Pisis, profitens iam tot labentibus annis lubenter vitam Imperatorum à Tacito, Suetonio, & auctoribus historiæ Augustæ scriptam explanauerim auditoribus & quæ videbãtur singularia, cognoscenda proposuerim. Cæterũ cũ non pauca de liberalibus studijs, atq; etiam philosophia Cæsarum in eiusmodi prælectionibus mihi fuerit necesse occurrere, mens sua sponte cœpit de toto argumento cogitare serio. Nec lubuit à Cæsarum Imperio philosophicam historiam inchoare. Quin recurri ad initia rei Romanæ, ad quod me inuitauit meum itidem munus quod tribui Liuio, Floro, & Dionisio Halicarnasseo, quorum opera necesse fuit sæpe depromere inter docendum. Non solum autem de philosophia Cæsarum suscepi tractationem, quam iam publicæ exhibeo luci, verum etiam eodem fere situ aut deduxi, aut inchoaui, aut saltem animo sum complexus alia. Si tanti putas esse meam operam, lector, vt scire satagas, quænam sint quæ tua pace, vti-

litati, non reticebo equidem. Talia namq. celari renuunt, cum studiosorum vel sileantur profectus. Ergo suo tempore forse videbis de Peregrinatione Cæsarea librum, quo ostendam, quantum laboris exantlauerint veteres Imperatores huc illuc per prouincias commeando, vt cuncta componerent, bella profligarent, populos solarentur, cōpescerent præsidum rapacem auaritiam. quin & discerent, animumq. pascerent pulchra variarum rerum cognitione.

Exeret quoq. caput suo tempore libellus de more Imperatorum in dicendo iure, quem inscribam; Cæsarium tribunal. Magni namq. Principes suarum esse putabant partium lites decidere, fraudibus aduocatorum, imò Magistratuum occurrere. At hodie praui quidam Iureconsulti persuadent Principibus ius totum committendum esse doctoribus, neq. esse è dignitate Regum tribunalibus sese immiscere. ò pestilentes voces, ò paradoxa in vltimas terrarum oras ablegandas.

Nihil etiam vetabit addere, de Cæsarea poesi exercitationem, vt intelligant inepti quidam, & Barbari homines, quam gloriosa sit poesis, quam amplecti, & excolere non ambegerunt orbis terrarum Principes, eiusmodi argumenta, vt spero, ad tuum, lector, facient palatum, cum ab illis, qui tamen prolixos de Romano Imperio euulgarunt commentarios aut neglecta prorsus fuerint, aut certè opera perstricta potius quam deducta, & promulgata. quod super est, Deo optimo gratias ago, qui hanc mentem mihi indiderit non indulgendi otio, & vitam silendo transigere, eundem rogo vt in hoc proposito mihi det esse ad nouissimam vsq. horam constantem. fiat, fiat.

Ad

Ad Heroes Philosophos, quorum nomina, & libri recensentur in hoc Opere,

Epigramma.

ILlustres animæ, transcriptaq. nomina cœlo,
Heroes, digni sede ciboq. Deûm,
Quos olim Sophiæ iuuit potare fluenta,
Et cultu Natam demeruisse Iouis;
Aspicite hunc propius partum, tenuemque libellum,
Quo vos in numerum, vestraq. dicta voco,
Efficite vt longè volitent, lateq. papyri,
Nec metuant Plutum, tardipedemq. Fabrum.
Sic erit, vt reliquos, Phœbo duce, & auspice, fœtus
Cecropij iubeam tecta subire chori.

Ad Imperatores Romanorum, qui vel fuerunt Philosophi, vel Philosophos amarunt.

CÆsarei Heroes, magni Iouis aurea proles,
Sceptrigeri Proceres, Romulidumq. Duces;
Vos ego in his refero cupidus, laudoq. papyris,
Subq. pios oculos inclyta facta voco,
Non queis Germanos, debellastisq. remotas
Parthorum sedes, Massagetumq. domos,
Sed quibus æthereæ veneratis templa Mineruæ,
Docto excepistis pectore grande sophos.
Et mystas Sophiæ vario coluistis honore,
Munifica dantes plurima dona manu,
Credita quæ fastis, liuor non obruet æui,
Ireq. non cernet sub stygа fera dies.

In Plebeios philosophiæ tractatores.

HInc curuæ procul ite animæ, sublimium inanes,
Ite procul, vos hinc Pallas abire iubet.
Nam refero Proceres, quos norunt Tybridis vndæ
Voluisse assidua candida scripta manu.
Atq. inter mensas hilares fudisse loquelas
De tellure, mari, stelliferaq. plaga.
Quin memoro rerum Dominos, Mauortis alumnos,
Induperatores, laurigerosq. Patres,
Quos pia detinuit Sophiē, & sincera voluptas,
Qualis Dijs nectar præbet, & ambrosiam.
Hinc ergò procul ite animæ, cœlestium inanes,
Nam mea vos plebem pagina ferre nequit.

Ad studiosos adolescentes, qui legunt librum hunc.

EGregij Iuuenes, quos florida purpurat ætas,
Quosq. Minerua alacres, ad sua tecta vocat,
Suspicite excelsæ immortalia nomina Romæ,
Doctificam vigiles qui coluere Deam,
Tantorumq. hominum exempla stimulate virentes
Ingenij vires, magnanimamq. animam,
Robustum miseræ seponite dogma senectæ,
Ne vos deprendant vltima fata inopes.
Sic erit, vt sanctæ defunctis munere vitæ,
Æthereæ pateant lucida templa domus.

Ad

Ad eos, qui vnum sectantur Aristotelem.

HVc, precor, huc oculos conuerso lumine flecte,
Qui solum addictus voluis Aristotelem,
Disceq. num soli dederint sua puncta Lyceo
Ingenui Æneadæ, Dardaniq. Patres?
Quin Academiam subeuntes, tectaq. Stoæ
Te Zeno, assidui te coluere Plato.
Ergò Palladius qui gestas Sacra Sacerdos,
Noli vnum addictus voluere Aristotelem.

Initium philosophiæ apud Romanos non esse ad Numam referendum. confutatur fabula quædam de Pythagora.

Cap. II.

SI famam, quæ longè lateq. percrebuit, sequi velimus, initium philosophiæ apud Romanos, ad Numam, sapientissimum Regem referendum fuerit. Creditum namq. olim est in Italia à Pythagora doctum eruditumq. fuisse Pompilium. nam cum tanta Rex floruerit sapientiæ laude, quis dubitet ei Philosophum aliquem, & quidem præclarissimum, ad Palladis templum præiuisse, comiterq. viam ostendisse audiamus Ciceronem: quidam Pompilium Numam Regem nostrum fuisse Pythagoreum ferunt. 2. de orat. *Plutarchus in vita Numæ sic loquitur:* Cum igitur narrent Numam Pythagoræ auditorem fuisse. *Concinit Liuius:* auctorem doctrinæ (*Numæ*) Samium Pythagoram lib. 1.

goram edunt. peruulgatæ opinioni quis erit qui velit obstrepere, & brachia contra torrentem publicæ vocis dirigere? sed vulgi rumorem reijciunt graues Scriptores, exsufflat temporum peritia, quæ à Græcis Chronologia nuncupatur. Liuius falsò hoc editum de Numa asserit. Cicero in prima Tusculanarum refert, Superbo regnante in Italiam venisse Phythagoram. rursus idem in secundo de Oratore non hæsitanter ait Numam permultis fuisse annis antequam ipse Pytagoras. vides auctoritate tantorum hominum explodi fabellam de Pythagoræ cum Numa congressu. Non defuerunt, vt testatur Plutarchus, qui vulgatæ opinionis suscipientes defensionem dixere, ante Pytaghoram Samium extitisse alium Pythagoram Spartiatam, qui stadium vicisset in Olympia, sextadecima Olympiade, cuius anno tertio in regnum Numa constitutus est, eum errabundum circa Italiam conuenisse Numam.

Sed quis fidem habeat narrationi tam obscuræ de Pythagora Spartiata adeò antiquo, & adeò docto, cuius tamen nomen silentio fuerit præteritum à conditoribus Annalium?

Nec autem miremur extitisse non paucos, qui tempora confundentes apud Romanos, Pythagoram asseruerint fuisse Numæ magistrum quandoquidem antiquissimis temporibus in Italia Chronologia negligebatur, nec dicere erat, quo tempore quisq. Rex, aut vir insignis floruisset. Nonne hac quoq. tempestate Turcæ temporum præteritorum memorias nesciunt aut si quas sciunt prorsus commiscent fæcatim, & confundunt?

Sed quæret aliquis si Numa non habuit præceptorem Pythagoram, sub quo dicitur profecisse, cuius auspicijs ad fa-

sti-

stigium Sapientiæ pertigit? Respondere licet cum Liuio suapte ingenio profecisse Numam non instructu a peregrinis artibus, sed disciplina tetrica, ac tristi Sabinorum. nam fabulam de eius cum Pythagora congressu magis ac magis ingulat, dum narrat constare Philosophum Samium Seruio Tullo regnante Romæ, centum amplius post annos, in vltima Italiæ ora circa Metapontum, Heracleamq. & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse. quod si subtiliter de natura rerum disseruisset Numa possit quis vrgere historicos, scireq. velle, quo duce penetrasset Numa abdita philosophiæ? at ipse præcepta tulit de ijs, quæ facerent ad salutem Regni adq. cultum Deorum, quarum rerum cognitione vt quis imbuatur non necesse est aliquot annorum spatio vacare docenti philosopho. Quæ omnia ostendunt philosophiam tempore Numæ pedem Romanæ non intulisse vrbi, sed eius principium ad subsecuta reyciendum tempora, fas tamen est grauitatem morum, quæ in Numa eluxit, his excipere numeris.

Non Numa Pythagoræ profecit lege Magistri,
Tempora si numeras, historiamq. legis.
Sed paruis natus Curibus, genitore Sabino
Augusto didicit tramite ferre pedem.
Quin puerilem animum incoxit grauitate seuera,
Ne vitia hauriret, neue iaceret iners.
Sic Sapiens meruit dici, poniq. Sophorum
In cœtu, qualis Zeno, fuitq. Plato.

Augures Numæ nequaquam cum philosophis esse confundendos. Cap. III.

Explosa fabula de Pythagora, erit nihilominus, qui ad Numæ Regnum referat philosophiam, quandoquidem non defuerunt tunc, qui auibus obseruatis diuinarent auguralem autem scientiam videri esse philosophorum propriam, quandoquidem Magi apud Persas sic philosophabantur, vt in fano colloquerentur, & augurando diuinarent. Magos porrò Persarum philosophos constat fuisse.

Cic. 1. de diuin.

Quæ quamuis sic proferantur, non tamen largiar philosophiam viguisse sub Numa. Nam auspicia nec apud Troianos negligebantur, & magni fiebant heroicis quoq. temporibus apud Græcos, vt nos docent Homeri poemata. Non inde tamen quis colligerit Vates illos, quorum nomina valde inclaruerunt, philosophiæ fuisset mystas. grauiter profectò impingeret, qui omni nationi philosophiam imputaret, cunctosque eos pronunciaret esse philosophos, qui de rebus futuris coniectant. An Tuscia inuenit philosophiam, aut Tages fuit philosophus, quia apud Tuscos cœpit aruspicina exerceri? Largiamur apud Persas eosdem fuisse Magos, & philosophos, & augures, hoc est Magos auguralem exercuisse disciplinam, num hinc exculpes eandem esse auguralem cum Philosophica scientia? Nam Iulianus, vt refert Ammianus Marcellinus, habuit in suo comitatu aduersus Persas cum se conferret, aruspices, augures, Philosophos, inter quos magnum cum foret discrimen, sigillatim consulebantur. imò aliter apparet respondisse Imperatori, qui cum

maio-

maiorem haberet fidem philosophis, aduersa signa neglexit, & irato cælo suum prosecutus est iter. quod videre est apud historicum Marcellinum, & ego anno præterito cum de Iuliani philosophia ederem opusculum satis perspicuè exposui.

An sub Tarquinio, aut tempore Decemuirorum aliquid philosophiæ illatum fuerit Romæ? Cap. IV.

AN dicemus Tarquinium ex Græcia oriundum Philosophiam Romæ inuexisse? id verisimile existimabit aliquis, quandoquidem græca instituta cum philosophia coniuncta erant. Satagit autem quisq. ea quæ sibi maximè probantur, propagare, alijsq. commendare. Non putarim tamen de philosophia admittenda cum Romanis egisse, cum nihil de eiusmodi peritia, quando ipse memoratur, ab historicis recenseatur. Nec enim qui græca est præditus elegantia, & ciuilitate, statim philosophus nominandus venit. quod si philosophus fuisset Tarquinius, non propterea inuehere in vrbem Romam philosophiam suasisset. nam iuxta mores exterorum qui vitam instituit, odium publicum sibi attrahit populi, quod de Vonone refert Tacitus in secundo Annalium. Anacharsis profectò postquam in Græcia didicisset philosophari ad suos Scythas reuersus ideò est vita spoliatus, quod instituta Græciæ ipsis obtrudere, moreq. Græcorum sacrificare cuperet.

De Hermodoro amico Heracliti quid dicemus? verisimile est eum fuisse philosophica præditum cognitione. cum autem

tamen factum ut fuerit, cùm Decemviri eius operâ, & consilio fuerint usi in concinnandis Decem tabulis, suspicari licet etiam eo pacto aliquid saltem ex philosophia Heraclitea, quæ maximè florebat apud Græcos, Romæ illatum fuisse.

Sed hæc suspicio est, destituta claro historicorum testimonio; sine quo quæ verisimilitudinis velificatur, nihil agit nam de rebus gestis quando agitur opinio incerta gradum cognitionis non promovet. Ergò sileat adhuc Romæ philosophia, donec certiora de eius initio detexerimus.

Ex eo, quod aliqui antiquitus excantarent fruges apud Romanos, non esse colligendum fuisse ibi Philosophos.

Cap. V.

P*Hilosophiæ qui olim erant infensi Magiam ferè cū ipsa coniungebant, & philosophos cum Magis, quorum artes vetita, commiscebant. ipsi dicerent viguisse Romæ philosophiam cum à Decemviris conderentur leges. Cur ita? quia in XII. tabulis de Magia non exercenda lex sancita. sic enim habebat:* Si quis alienas fruges excantassit, capital esto. *quò respexit Seneca in quæstion. Naturali.* Et
lib. 4 cap. 7. apud nos in XII. tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis antiquitas credebat attrahi imbres cantibus, & repelli. quorum nihil posse fieri, iam palam est, ut huius rei causa, nullius philosophi Schola intranda sit. *Quod verò philosophi cum Magis congressi sint, docet Suidas, cuius hæc sunt verba:* Empedocles ipse, & Pythagoras, & Democritus Magorum usi con-

consuetudine, multaq; diuina effati, nondum illa arte censentur.

Sed qui argutando ex frugibus non excantādis elicere vult philosophiam, ille etiam mira monstra ex alijs legibus euocaret. prorsus vetita Magia, quam qui profitentur Malefici appellātur in Codice, à philosophia secernēda. nam qui philosophi congressi dicuntur cum Magis, cum Chaldeis, & Sacerdotibus apud Assyrios, & Persas sunt collocuti. Eiusmodi autem Magi quales fuerint iam pridem expositum est ab eruditis hominibus. Certè quod fuerunt apud Ægyptios Gymnosophistæ, apud Indos Brachmanes, apud Gallos Druidæ, apud Græcos philosophi, hoc extiterunt, apud Chaldeos, aut Persas Magi. Hi nequaquam vsi sunt incantationibus, vt perderent homines, non occiderunt homines, vt ex eorum fibris futura prospicerent. non conati sunt recitatis carminibus Lunam cælo deducere, non venena miscuerunt, vt veneficio vitam alicuius decurtarent. Tantum autem abest, vt philosophi infameat prauis veneficiarū artibus, vt vix vllus repertus fuerit philosophus tali nomine dignus, qui eiusmodi scelera non damnauerit. An enim viri excelso præditi ingenio, & pulcherrimarum cognitione rerum succincti ad talia scelera appellerent animum? quod si fas foret asserere Romæ fuisse philosophos tempore Decemuirorum, quia nonnulli excantabant fruges, Colchicum profectò regnum abundasset præceptis philosophiæ, nam Medea quid non potuit præstare suis veneficijs? Thessalæ quoq; mulieres in cœtu philosophico essent recensendæ, nam rem ita perditissimæ abierunt in prouerbium. insignis philosopha fuisset Locusta, temperatrix venenorum ingeniosa. Lamiæ philoso-

phorum tunc haberentur, quando mulierculæ ope Dæmonum ad Beneuentanas nuces, ad Lemannicas præstigias sese conferunt: plorantis philosophia, eiularet sapientia, quando vetulæ prauis artibus infames ob suceritis s infãces supplicia pendunt, & publico in foro tardipedi traduntur Vulcano visu ardenda, & in cineres redigendæ, ne ergò à quoquam philosophia unquam suis Magorum artibus confundatur, quod etiam iubet carmine exprimere.

Nigra superstitio, Magicas quæ sustinet artes,
Concidat, exilio suppliciumq. luat.
Ast vigeat Pallas, cerebro Iouis edita Virgo,
Nullus non studijs excolat ingenium.
Cecropis hoc iubet vrbs, quã tandẽ Roma Magistram
Excepit, grato detinuitq; sinu.

An à Pythagoræorum cœtu pertigerit Romam philosophia?

Cap. VI.

AT *saltem orta Pythagoræorum Philosophia si non ex omni, aliqua certè ex parte, dicetur se Romanorum auribus insinuasse. Dio profectò Prusæus Oratione XLIX testatur.* Italos omnes à Pythagoræis institutos. *Cicero in primo Tusculanarum asserit post Pythagoræ tempora viguisse Pythagoræorum nomen in Italia, vt nulli alij docti viderentur. Plato in Italiam venit, audiuitq. Philolaum, Timæum, Architam, aliosq. in secundo de Oratore Tullius testatur* refertam quondam Italiam Pythagoræorum *fuisse. Nemo tantam socordiam im-*

pege-

pegerit Romanis, vt asseras nihil ex talibus sententijs, & dogmatibus peruenisse in vrbem.

Eiusmodi coniectura ad veritatem proximè accedit, sed cum coniectura sit, non impedit, quo minus animus vacillet, abnuatq. sentire viguisse Pythagoraam philosophiam in vrbe quoq. Roma, cum tamen id ab annalium conditoribus prod tum non fuerit. Nam quam graues motus exercuerunt populum Romanum. Sæpe inter se sunt collisi, in discrimen ingens vocata libertas. plebs fremuit contra patritios. infestabant interim vicini acrè ferentes in tantam spem condendi Imperij surgere Quiritium mentem. Inter hæc quis philosophico otio, tranquillitatiq. professorio fuisset locus? non tuba, non tympana permittebant exaudiri longinquas, & ex leis Pythagoræorum voces.

Quod si l mibus coniecturis liceret suam credere cogitationē, eodem marte fas foret dicere putasse Romanos animus hominum esse sempiternos. nam id dogma traditum scimus à Pherecyde Syrio Pythagoræ magistro. taliq. coniectura magis munire certam de immortalitate animorum sententiam, quam fides quoq. Catholica prorsus adstruit.

Aliquis etiam ex iam Copernicano mussaret, tacitusq. obseruaret putasse Romanos, terram mouere, cælum stare. Cur ita? Nam Philolaus, non quidem auditor, sed secta or Pythagoræ ita sentiebat. quæ opinio dicitur etiam fuisse Nicetæ Syracusij, si credimus Ciceroni in secundo Academicarum quæstionum, cum præsertim Seneca in quæstionibus Naturalibus dicat deliberandum, vt sciamus; an stante mundo terra vertatur.

Sed hæc tam leuia sunt, vt à minima aura dissipentur.

tacitu-

ballo, vtcunq. per aera. Doctissimi namq. Astronomi, vt philosophos omittam, immobilem esse terram magno asseruerunt consensu ad Copernici nosq. aetatem, Philolaq. Niceta, & Seneca nullam habuerunt rationem. An autem imperitiae notam eiusmodi in re licebit impingere clarissimis disciplinarum Mathematicarum professoribus? sed ne vagemur extra lineas, quas rei argumentu nobis praescripsit.

Panætium Rhodium primum videri claruisse philosophiæ nomine Romæ, eum fuisse præceptorem Minoris Africani. Cap. VII.

QVem dicere est claruisse primum Philosophico splendore Romae? An Panaetium Scipionis praeceptorem? id videtur asserendum, cum Suidas, imò Cicero, Paterculus testentur tantum belli Ducem sub eiusmodi profecisse magistro. fuit is Diogenis Stoici discipulus Stoicus Nicagorae filius, mortuus tandem Athenis.

Patriam habuit Rhodum, vt testatur Polybius lib. IV. qui etiam innuit fuisse nobili genere natum, nam eius maiores memorat, quod non fecisset si fuissent obscuri.

Docuit absq. dubio non tantum priuatim (vti videtur) Africanum, qua de re Cicero lib. I. offic. dum vocat Africanum Panaetij auditorem, sed etiam publicè valde multos, nam idem Polybius facit mentionem Apollonij Stoici, optimi inter auditores Panaetianos. vnde etiam discere est fuisse eundem Panaetium Zenonianae doctrinae professorem. id quoq. disertè testatur Cicero lib. I. offic. nam ait velle se sequi

qui

qui in materia de officijs Stoicos, & deinceps subinde recurrit ad Panætium, qui luculentum de ea re scripserat commentarium. Eum quoq. inter præcipuos Stoicos recenset Philo lib. de Mundi incorruptib. dum ait Boethum, Posidonium, Panætium viros Stoica doctrina valentissimos ad placitum de mundi incorruptibilitate transfugisse. *unde colligere est Panætium sic fuisse Stoicum, ut tamen in dogmate de mundi corruptibilitate ab ipsis descisserit. ne miremur, si asseruerit quoq. animam esse mortalem teste Cicerone, licet cæteroqui summopere admiraretur Platonem, quem omnibus locis:* diuinum, sapientissimum, sanctissimum, Homerum philosophorum *appellabat. ò lapsum magni viri, qui deserens Platonem potuit immortalitatem animorum oppugnare reclamante non tantū philosophorum sed nationum communi prope consensu.* 1. Tusc.

Discant interim Peripatetici philosophiam illatam Romæ à Stoico, simulq. veteres Romanos præ omnibus sectis philosophorum fouisse, amasse, promouisse Stoicos.

Ordine verò naturæ turbato videtur Panætius superuixisse discipulo Scipioni Æmiliano, quandoquidem ait Cicero vixisse Panætium triginta annos postquam de Officijs libros euulgasset. Quo vero dolore dicendum est affectum fuisse philosophum, quando audiuit impijs propinquorum manibus sublatum dilectissimum discipulum. nam sic periisse Scipionem colligere est ex verbis Africani Maioris apud Ciceronem in somnio. Scipio scilicet aduersabatur Caio Graccho, quamq. fortis ac validus pridie domum suam se recepisset mane in lectulo repertus est mortuus sine vulnere, vt ait Appianus. Vxor erat illi Sempronia, soror eorundem Grac-

cho-

chorum, deformis fœmina & stolida, quæ ob ea vitia contemni se à viro grauiter ferebat. suspecta ergò fuit, tanquam Cornelia matris, & Gracchi fratres iussu maritum sustulisset. de morte tamen eius nulla quæstio habita, quod ait Valerius in capite de Ingratis, qui raptorem spiritus domi inuenit, mortis punitorem in foro nō reperit. quod agens de Panætio præterire non potui, quia vulgò non ita notum est, quomodo, & quo mortis genere grauissimi philosophi triumphalis discipulus obierit. Sed misso Scipione, recitemus Epigramma honori, & gloriæ summi philosophi Panætij Rhodij, inter Stoicos nulli secundo dicatum.

Soli Sacra Rhodus genuit te, docte Panæti,
Quem secum gaudet ducere Scipiades,
Dum peragit Mauortis opus, feralia bella,
Victriciq. premit Punica regna manu.
An quisquam audebit deinceps lacerare Dynastas,
Quos animum studijs excoluisse iuuat?

Polybium à philosophiæ Romanæ censu excludi non debere. Cap. VIII.

POlybium comitem Scipionis ex censu philosophiæ Romanæ non est fas expungere. nam Velleius inquit: Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnis doctrinæ, & auctor, & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumq præcellētes ingenio viros domi militiæq. secum habuerit. Suidas autem non tacet Panætium fuisse præceptorem Scipionis post Polybium Megalopolitam. quibus verbis videtur Panætius Polybio postponi. Strabo lib. 1. eum diserte appellat philosophum. Etsi autem Polybius de

de philosophia non dicatur scripsisse libros, historiæ tamen ab ipso exaratæ satis superq. ostendunt, quantus in palæstra fuerit philosophica. in sexto profectò libro accuratissimè de speciebus Rerumpublicarum disputat, ostenditq. optimam Reipublicæ formam esse mixtam ex tribus suauiter temperatis Monarchia, Aristocratia, Democratia.

Quod Mathematica didicerit, ostendit Tactica, quæ passim sese exerit in eius historijs, vt propterea putet eruditissimus Casaubonus minus bene quædam loca versa fuisse à Perotto, quod Tacticæ, & vocabulorum ad Tacticam spectantium non esset peritus.

Descriptio quoq. locorum ostendit quantus fuerit in Geographicis, nec ignorasse historiam animalium iidem historici clamant libri, qui tamen non omnes ad nos peruenerunt. quod si extarent magis ac magis liceret perspicere, quantus in philosophico studio extiterit Polybius.

Quam verò reuerenter legendus, reuerenter habendus, audiendusq. dum præcepta Regibus tradit Polybius, quandoquidem tam studiose audiebatur à Scipione euersore Carthaginis, quo quis vnquam extitit sapientior, & fortior?

En in idem argumentum epigramma.

O fax historiæ Polybi, Sophiæq. medulla,
O lux Æneadum, Graiugenumq. nitor,
Quam meritò Dux, qui vertit Carthaginis arces,
Victor & exitio Punica regna dedit,
Te socium asciuit bello, studijsq. Magistrum,
Atq. tuo cupidus traxit ab ore sophos.

Memoratur Scipio Africanus ob philosophiam. nec omittuntur Lælius, Furius philosophus, & Gallus. Cap. IX.

O Fortunatum magni magistri discipulum Scipionem, quem nunquam vel facundissimus orator satis laudauerit. fuit enim omni virtutum genere ad miraculum usq. ornatus Scipio, addictus quoq. impense studijs bonarum artium. qua de re dubitare nos non sinit Cicero non uno in loco. in secundo libro Tusculan. sic loquitur: Semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius inprimis laudabat illud, *quod diceret eosdem labores non esse æquè graues Imperatori, & militi, quod ipse honos laborem leuiorem faceret Imperatorium.*

Item Tullius in secundo de Oratore narrat Scipionem diligenter audiuisse Carneadem, Critolaum, Diogenem, quamdiu Romæ legationis causa fuerunt. verba Tullij sunt: Itaq. eos, dum Romæ essent, & à se, & ab alijs frequenter auditos.

Ergò gratissima extitit legatio Atheniensium, cum summos suos philosophos misissent, magnopereq. iuuerunt gratiam apud Scipionem, de quo idem Tullius testatur, quod secum eruditissimos homines ex Græcia semper palam habuerit. *hinc colligimus sub Scipione valde floruisse Romæ philosophiam.*

Tulliano testimonio addenda præclarissima verba Velleij Paterculi, ut gloria Herois Scipionis magis ac magis
lib. I. *elucescat.* Scipio tam elegans liberalium studiorum, om-

omnisq. doctrinæ auctor, & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumq. præcellentes ingenio viros domi, militiæq. secum habuerit. Neq. enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperq. aut belli aut pacis seruijt artibus: semper inter arma, ac studia versatus aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

Quæres, an non asper factus fuerit Scipio præceptis Stoicorum? Nihil minus. sic enim Cicero orat. pro Muræna loquitur, vt dicat Scipionem oratione, & præceptis Panætij quamquam Stoica forent, asperiorem non esse factum, sed lenissimum.

A latere Scipionis auellendi non sunt duo summi viri, Romani proceres C. Lælius, & L. Furius. de Lælio sic pro Muræna: quis verò (Lælio) comior, quis iucundior eodem ex studio *(Stoicorum)* quis illo *(Scipione)* grauior, sapientior? *Furium autem commendat cum vtroq. in secundo de Oratore his fere verbis:* Non tulit hęc ciuitas aut gloria clariores, aut auctoritate grauiores, aut humanitate P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Græcia semper palam habuerũt.

In secundo de Finibus narrat Lælium adolescentem audiuisse Diogenem Stoicum, post autem Panætium, & sapientem fuisse appellatum, quia quod esset suauissimum duceret.

Læli præclare, ac rectè sophos, *Lucillius, ei opponit Lapathum, & Gallonium homines gulosos. veniebat inquit Cicero, ad cœnam, vt satiaret desideria natura Lælius.*

Addamus L. Philippum, & C. Galum Lælio. ipsi enim

ob sap etiam Stoicam ignoti non fuerunt, cum florerent Scipio Laeliusq. discere id est ex luculenta oratione Ciceronis pro Muraena, in qua ostendit necesse non esse, vt asper sit, & seuerus, qui Stoam colit. quod monitum vtinam non negligerent nonnulli, qui nostra tempestate triste supercilium hominibus subinde ostentant.

De Senatusconsulto, quo visi sunt pelli omnes philosophi Roma, coniectura aduersus Gellium. Cap. X.

MOx calamitas videtur excepisse philosophiam Romæ cũ vix recepta videretur fuisse. tam citone pœnituit lib. 15. *Romanos sapientiæ admissæ? Gellius narrat* Caio Fannio cap. 11. Strabone, M. Messala Coss. Senatus consultum de philosophis, *factum fuisse*, vti Romæ ne essent. *addit sub finem capitis:* Neq. illis solum temporibus minus rudibus, necdum græca doctrina expolitis philosophi ex vrbe Roma pulsi sunt, verum etiam Domitiano imperante, senatusconsulto eiecti, atq. vrbe & Italia interdicti sunt. qua tempestate Epictetus quoq. philosophus propter id senatusconsultum Roma decessit *hæc Gellius, qui non simplici modo videtur premere famam Romanorum, & à tramite historicæ veritatis aberrare. videtur enim existimare omnes prorsus philosophos discessisse Roma, eosq. non simpliciter monitos, vt discederent, sed exilio damnatos ea ratione, qua Domitianus Tyrannus, & osor sapientiæ expulit sapientiæ professores.*

Videtur autem posse coniiciari Gellianæ narrationis capita.

ea. nam teste Cicerone Scipio, Lælius, & Furius: eruditissimos homines ex græcia semper palam secum habuerunt. vixit autem post senatusconsultum, siue post consulatum Fannij, & Messalæ Scipio, quod facile quiuis ex fastis consularibus perspicere potest, cum eiusmodi consulatus inciderit in annum ab V C. Ioxcii. Ergò non bene dixit Gellius vniuersim philosophos pulsos Romæ. a. de orat.

Quis etiam credat legatos frequenter auditos à Scipione, Lælio, Furio summa auctoritate præditis exilio multare potuisse? Nonne tanti viri repugnassent, & in os contradixissent Catoni, qui certè Romæ non omnia poterat? Nonne hoc fuisset dedecore, & iniuria afficere amicissimam vrbem Athenarum, quæ semper fuit sedes Sapientiæ? legimus porrò apud Plutarchum in vita Catonis Censorij Carneadem Academicum, & Diogenem Stoicum legatos Atheniensium venisse Romam. Tunc facile sua eloquentia, & comitate adolescentes allexerunt, quod cum perspexisset Cato, persuasit senatui, vt iuberet duos philosophos redire in Græciam ad docendos iuuenes. Etenim ipse omnem Græcam doctrinam, quantum in ipso erat infectabatur. Socratem certè loquacem, & violentum hominem vocabat, qui cum in patria sua plus posse, quam leges paterentur, affectaret, priscos mores ac veteres consuetudines antiquare, ciuesq. suos ad contrarias pristinis institutis opiniones traducere molitus est. ipse interim Nearcho Pythagoreo philosopho cum iunior esset hospite familiariter vsus est non Romæ, sed Tarenti.

Ex qua quidem narratione videmur posse colligere à Senatu monitos Carneadem, & Diogenem ne diutius haere-

rent Romæ, sed expedita legatione se conferrent in patriam. Neq. enim apud veteres moris erat habere perpetuos legatos. Ergò non odio præcipuè philosophiæ videntur dimissi, sed quod præter morem legatorum se gerendo nimis diligenter ad se allicerent Romanam iuuentutem, eamq. a militia, & similibus negotijs auocarent. Certè ante legationem istam fuisse alios Romæ philosophos videtur testari Plutarchus dum inquit: Cato secum statuit vniuersos Philosophos honestatis specie Roma dimitti. verebatur ne ad humanitatem conuersa iuuentus, sic discendi laude duceretur, vt rerum gerendarum, ac militiæ gloriam contemneret.

Sed inquies, saltem fatetur Plutarchus omnes omninò philosophos dimissos. Respondeo, sic quidem censere, sed id vix potuisse ex præcedenti narratione deduci. An enim quia moniti sunt legati, vt discederent Athenas, exilio mulctati sunt omnes?

Quod si cui lubeat existimare Senatusconsulto prohibitos fuisse omnes prorsus philosophos esse Romæ, sentiat sanè vt vult, dummodo quæ protuli non prorsus extra lineas verisimilitudinis vagari fateatur.

De Carneadis incredibili doctrina, attingitur successio scholæ Arcesilee.
Cap. XI.

Siue expulsus fuerit Roma, siue honorificè dimissus Carneades, adhuc memorandus licet Roma profectus, cum eius non semel facta sit mentio à Cicerone, & cognosci me-

meretur ab eo, qui de philosophia apud Romanos statu disserere cupit haud tralatitia ratione. Memoria enim repetendum est Arcesilam acumine ingenij, & admirabili dicendi lepore fretum cœpisse Zenonem contemnere, quod putaret vix quicquam noui ab ipso depromi. Etsi autem Academiæ nomen libenter vsurparet, & frequenter summorum philosophorum dicta in ore haberet, conabatur tamen claritati tenebras offundere, omniaq. sursum deorsum vertere, vt nihil stabile fixumq. foret. Hinc emersit Arcesilæa schola à vetustate Academiæ veteris discedens ob turbidam ambiguitatem. Arcesilam porrò audiuit Lacydes, & proximè eius tenuit exedram. Lacydem excepit Euander, post Euandrum floruit Egesinus, ab Egesino institutus, & eruditus est Carneades, qui ipsos nonaginta vixit annos. tam diuturnũ fuit Arcesilææ ambiguitatis fulcrum. muniuit autem sese Carneades innumeris voluminibus Chrysippi, quem legebat, & relegebat, gratitudinem suam professus his verbis: Si Chrysippus non esset, Carneades non esset. eius erat vox prorsus resonans, quæ implebat cathedram. in disputando adeò erat acer, tamq. promptus, & eloquens, vt quisquam eius posset ferre conspectum, ea propter non ibat ad cœnas, ne cuiquam sua molestus esset præsentia. adde philosophis displicuisse admodum Carneadis institutum, quod omnia ambiguitati subijceret, quæ opinio contemptui sapientiam exponebat. quis enim labores exantlet, vt sciat id, quod sciri nequit? quis operam philosophorum magnifaciat, si quicquid pollicentur, id totũ ambiguum incertumq. est. ipse tamen Carneades valde placebat, cum sua eloquentia, suaq. copia homines in admirationem raperet. non solum autem dicendo, sed & scri-

scribendo, & libros emittendo fulciuit exedram. quin & suæ sectæ reliquit cum moreretur successorem Clitomachum, qui, & ipse non paucos reliquit de philosophia libros. quid memorem Melanthij Rhodij suauitatem? Clitomacho diu operam dedit Philo, quo superstite Carneadis doctrina non vacillauit, fuit enim Philo, & doctissimus, & eloquentissimus. Sed à Carneade digredi ausus est Antiochus Ascalonita, adq. antiquitatem Academicam regredi, qua de re aliquid inferius, suo loco attingam. fas autem non est Carneadem absq. carmine, leui sanè, & breui dimittere. id huiusmodi est.

Horridus vt miles pugnando fertur in hostem,
  Et ferit assultans, perterebratq. caput:
Sic tua, Carneades, nescit consistere virtus,
  Quin celer aduersam conterit vsq. aciem,
Et Sophien vexat, perrumpens dicta Platonis,
  Mentibus obrepit dum nouitatis amor.

De Diogene Stoico legato ad Romanos plura. expenditur quoddam dogma Stoicorum de Deo, & reijcitur. Cap. XII.

RECTÈ facit, qui Carneadem à Diogene diuidit, & si aliquis possit existimare vtrunq. fuisse Stoicum, cum legere fas sit apud historicos in primis Chrysippeos libros placuisse Carneadi. at ambigendum non est Stoicum prorsus & ex tota animi sententia secutum Stoam Diogenem, Carneadem autem liberius indulsisse opinionum varietati. putarunt quidem Romani Carneadem non minus, quam Diogenem

nem Zenoniæ porticus esse sectatorem. verum ipse Carneades liberè professus est, se nequaquam Stoicorum admirandis paradoxis addictum esse, qua de re nemo potest dubitare, qui legerit Academicarum quæstionum librum secundum. Narrat namq. Cicero A. Albinum Romanum, qui consul fuit & Prætor, cum legati ad Senatum in Capitolio starent, iocantem dixisse Carneadi: ego tibi Carneade Prætor esse non videor, quia sapiens non sum, nec hæc urbs, nec in ea ciuitas. Cui respondit Carneades: Huic *(scilicet Diogeni)* Stoico non videris, *quibus verbis se à secta Stoicorum discedere testatus est Carneades, neq. cum Diogene sentire. quæ narratio etiam indicat qualis fuit Albinus Consul, & Prætor, doctus scilicet homo, vt ibidem tradit Cicero, atq. adeò à philosophico Romanorum theatro non excludendus. At, inquies, ipse dixit se sapientem non esse, hoc est, non esse philosophum. Respondere licet, eum iocando dixisse se non esse sapientem, quod non videretur esse sapiens Diogeni, qui forte solos proceres Stoæ existimabat esse sapientes.*

Cum autem Diogenis inter Stoicos clarum sit nomen, hic non possum non promere palmare Stoicorum dogma de origine mundi. pronunciarunt namq. Stoici, quod est apud Tullium hunc mundum esse sapientem, habere mentem quæ & se, & ipsum fabricata sit, & omnia moderetur, moueat, regat. 2 quæst. Acad.

Dices, quam absurdum est dicere, mundum seipsum fecisse, an quisquam seipsum fabricari potest? exponunt suam sententiam Stoici, dum dicunt mundum esse quodammodo conflatum ex Deo, & materia. Deum enim increa-

tum, ad increatam, sed rudem, & indigestam materiam accessisse, & architectatum hanc molem. putant autem iidem Stoici commixtum esse Deum materiæ, vt forma commiscetur apud Aristotelem materiæ. sic enim explicat dogma Stoicorum Alexander Aphrodisæus in libro de mixtione; atq. ipsos duo omnium rerum primordia *esse, afferere materiam, & Deum, quorum alterum agere, pati alteram. immixtum materiæ esse Deum affirmant, perq. eam vniuersam pertransire, ipsamq. figurare, formare, atq. hoc modo exornare. quis autem sibi patiatur persuaderi Deum cum liber esset ab omni concretione mortali, voluisse se talibus vinculis vltro inserere, & implicare? sed vide quæ consequantur, si pergas reciprocare serram contentionis. nam aiunt Deum esse corpus, intelligere tamen. an igitur proprium est corporeæ naturæ intelligere? An etiam corpus cum corpore sic coalescit vt penetratum impleat? an Deus corpus est subtilissimarum partium? sed quid Deo fiet commixto, quando tota moles conflagrabit? an ipse, an Sol, Luna, Stellæ omnes, Terra, quæ intelligentia iuxta Stoicam non destituuntur, in flammas abibunt? Cicero nanq. de iisdem Stoicis ait:* fore tamen aliquando (*dicunt*) vt omnis hic mundus deflagret. *Sed tales sententiæ Diuinitati, & Deo nequaquam conuenientes missæ fiant cum Stoico Diogene, absurdæ prorsus sint, & risu potius quam confutatione dignæ.*

Non-

Nonnulla de Critolao proferuntur. Attingitur successio in schola Peripatetica, & aliquid ex ea non parum momenti colligitur. Cap. XIII.

SI diximus Carneadem, si Diogenem, non silentio excipiemus Critolaum, quem celebrem reddidit non solo ad Romanos legatio, sed forte magis successio in schola peripatetica. Rexit, inquam, Cathedram Aristotelis, & peripatum tenuit Critolaus, praestantissimus absque dubio in eo philosophiae genere. Nec enim defecit dogma Aristotelicum moriente Aristotele, successit ei Theophrastus. Theophrastum excepit Strato, qui se physicum voluit appellari. post Stratonem docuit Lycon, aut Glycon. deinceps rexit scholam Peripateticam Aristo ex Ceo. Aristonis vocem intermori non est passus Critolaus Phaselites. quod comprobare licet testimonio Plutarchi in libro de exilio. Adde Clementem Alexandrinum in primo Stromateon, dum scribit: Apud Platonem philosophatus Aristoteles, ei succedit Theophrastus, cui Strato, cui Lycon, deinde Critolaus, deinde Diodorus. *haec ille. in qua tamen recensione ex Plutarcho non est omittendus Aristo. Nec caruit subsequentis temporibus Peripatus professore praecipuo, quod hic deducere non est opus, cum non agamus hic de philosophia apud Athenienses, sed apud Romanos.*

Libenter autem attigi eiusmodi successionem, ut intelligamus dogmata semel sancita à Praeceptore in peripato retenta fuisse, & deinceps veluti lampada successoribus, im-

nionibusq. tradita. Sed dolendum scripta antiquissimorum Peripateticorum ad nos non peruenisse, praeter quaedam Theophrasti, & Andronici Rhodij paraphrasim in libros Moralium. Licet Theophrasti non pauca reperiantur fragmenta apud varios Scriptores. At defectus eiusmodi suppleri potest ex operibus Alexandri Aphrodisiensis. nam absq. dubio quae tradidit in suis libris ex sententia Aristotelis, à Magistris docentibus in peripato accepit tanquam germana summi Magistri dictata. oportet enim scholam peripateticam, si Peripatetica voluit dici, noluitq. cum Academia Platonis, & Zenonis Stoa confundi, habuisse semper, & palam defendisse suas peculiares opiniones, traditas à fundatore Cathedrae. Hinc ambigendum non est Alexandrum paulo ante memoratum mandasse literarum monumentis, quae consentanea audiuerat esse menti Aristotelicae.

Quod cum ita sit, quam putandus est esse infelix labor quorundam recentiorum, qui Peripato addictissimos se esse profitentur, interim magnis editis voluminibus in Alexandreas inuehuntur interpretationes, & in explicando Aristotele gloriantur se ab ipso discedere, dicuntq. multis studiosis se longe melius indagasse, & litteris mandasse sensum Aristotelis, quam indagauerit Alexander Aphrodisiensis, prae omnibus peripateticis, excepto Theophrasto, & Andronico, antiquus, siquidem loquimur de ijs, quorum opera ad nos peruenerunt. qua in re hi profectò videntur imitari nouos Gnosticos nostri temporis Sectarios. interpretantur ipsi Prophetarum, & Apostolorum monumenta, eisq. nouos, & miros inauditos sensus. Nos Catholici iure merito tales reijcimus expositiones. nam sumimus in manus antiquo-

quo-

quorum Sanctorum Antistitum volumina, quæ reliquerunt Veteribus Sacris. didicimus ex illis qua ratione intelligi debeant dicta Sanctorum Prophetarum, & Apostolorum, & ipsis plenam habemus fidem. Cur ita? quia ipsi non fuerunt valde remoti à tempore Apostolorum, & ex viua voce Apostolicorum virorum audiuerunt, quid sibi voluerint Sanctissimi Apostoli in suis scriptis. infeliciter itaq. imò pessimè collocant suam operam Nouatores, quando aliter exponunt dicta Apostolica, quam exposuerint veteres Ecclesiæ Sanctissimi, & doctissimi Patres. Male etiam censendi sunt mereri de Peripato, qui Peripati palmaria dogmata non sumunt ab Alexandro, sed quidlibet excogitant, vt ad sua somnia miserum torqueant Aristotelem, cui si liceret caput tollere, audireq. tales Interpretes, clamaret: Nunquam hæc, quæ vos nugiuenduli mihi impingitis, mandaui litteris. nolite torquere mea dicta. Silete, aut cum antiquis Interpretibus, qualis profectò est Alexander, loquimini.

Quæ dum profero, non propterea assero vera esse quæ Alexander dixit, cum aliud sit (quod cogor toties repetere) dicere quid senserit Aristoteles, aliud, quid veritati ipsi sit consentaneum. Ego certè iam pridem in meo opere de Aristoteleo Veterum contemptu edito hic Pisis anno MDCXLI. & in mea Cleopatra euulgata præteritis mensibus, satis superq. exposui, quam non sim addictus Peripato, nec iurauerim in verba Lycei.

Sed post digressionem forte nimis prolixam, reuertatur ad Critolaum oratio.

Eum laudat impensè Clemens Alexandrinus de summo

bono

bono quando agitur, atq. voluisse imitari antiquos, & esse valde grauem, & manere in institutis patrijs, non autem tam bene se gessisse Diodorum eius discipulum, & successorem.

Cicero in V. Tusculan. obseruat impensè laudata fuisse à Critolao bona animi, de felicitate, & summo bono quando agitur: etenim in alteram lancem animi bona, in alteram corporis, & externa imposuit, tantumq. propendere illam bonis lancem putauit, ut terram, & maria deprimat. Sic visus est Xenocratem grauissimum philosophum, sed nequaquam Peripateticum imitari in exaggeranda tantopere virtute, extenuandisq. caeteris, & abijciendis, inq. virtute non modo beatam, sed etiam beatissimam ponere vitam.

Haec hactenus de Critolao, qui missus Romam, Romaeq. aliquandiu moratus, philosophatusq. attente, & summa cum voluptate audientibus Quiritibus, ad philosophiam profecto non parum facit Romanorum, dignus, qui eiusmodi dimittatur carmine:

Auribus haurires si nunc, Critolae, recentum
Dicta Magistrorum, quos leuis aura vehit,
Qua voce exciperes iactantes scita Lycei,
Iactantes nomen, dogmaq. Aristotelis?
Acri bile tumens clamares: comprime linguam
Vulgus inops veri, turbida turba sile.
Quin audi Veteres, fundentes ore loquelas,
Quales Andronici, cum superesset, erant.
Quales suauiloqui reddebant septa Lyconis,
Pappita Alexandri, pegmata Aristotelis.
Nam quae vos pueris tumidum torquetis in orbem,
Excipit Aeolius turbo, celerq. Notus.

Ve-

Veteres Romanos caruisse Rhetoribus. eosdem pulsos vrbe. Cur inutiles visi? Cap. XIV.

CVm philosophia diuidatur secundum grauissimos scriptores in sermonitricem, siue logicam, in Naturalem, & Moralem, & sermonitricis pars non exigua sit Rhetorica, Rhetores non sunt prætereundi, quando de philosophiæ statu apud Romanos agitur. Etenim dubium non est antiquis temporibus non fuisse Romæ Rhetoras, quod colligere est ex Suetonio de Claris Rhetoribus. nam aliquot annis post C. Fannij Strabonis, Valerijq. Messalæ Consulatum iussi sunt vrbe discedere appellati nouum genus hominum. Sic loquitur Gellius lib. 15. cap. XI. Cn Domitius Ænobarbus, & L. Licinius Crassus Censores de coërcendis Rhetoribus Latinis ita edixerunt: Renuntiatum est nobis esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt: quod in ludum conueniat: eos sibi nomen imposuisse latinos Rhetores: ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, qui liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc noua quæ præter consuetudinem, ac maiorum morem fiant, neq. placent, neq. recta videntur. quapropter & ijs, qui eos ludos habent, & ijs qui eo venire consueuerunt, visum est faciendum, vt ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere. *Eadem prorsus recitantur à Suetonio in principio libelli de Claris Rhetoribus, apud quem etiam continetur Senatuscon-*

sul-

sultum factum eandem in rem C. Fannio Strabone, & M. Valerio Messala instigator præcipuus Senatus fuit absq. dubio Cato Censorius, de quo Plutarchus in eius vita: In Isocratem inuectus, eius in schola discipulos consenescere aiebat, vt apud inferos causas, quas in fidem suam recepissent, patrocinio tuerentur. *idem ad argumentum referendum est, quod legitur apud Quintilianum de Clar. orat.* Rhetoras paulò ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, & Marco Crasso, & Domitio Censoribus cludere, vt ait Cicero, ludum impudentiæ iussi sunt. *Sed paulatim, vt ait Suetonius, Rhetorica vtilis honestaq. apparuit, multiq.* eam præsidij causa, & gloriæ appetiuerunt. *Repertæ tamen sunt querelæ aduersus Rhetoras, quod non prodessent adolescentibus, sub Nerone à Petronio, sub Domitiano, aut Traiano à Quintiliano. Petronius ita:* Ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri quia nihil ex ijs, quæ in vsu habemus aut audiunt, aut vident. *Quintilianus autem:* Adolescentuli nostri deducuntur in scenas Scholasticorum, qui Rhetores vocantur. Sic fit, vt tyrannicidarum præmia, pestilentię remedia, aut quicquid in schola quotidie agitur, in foro rarò vel nunquam, ingentibus verbis prosequantur.

De Q. Tuberone ex nobilissima familia philosopho Stoico simul, & Iuriconsulto. Cap. XV.

CAtonianum supercilium non putauit contra philosophos probandum Q. Tubero, cuius familia laudatissima fuit, licet tenuitati rei familiaris insoluta. refert siquidem Plutarchus in Paulo Æmilio Elium Tuberonem virum optimum fuisse tam tenui patrimonio, vt sexdecim ex Tuberonum familia, in vnis ædibus, & quidem modicis cum coniugibus, & liberis habitarent. Quinimus autem ex præclarissima ortus familia sic appulit animum ad Stoicam Philosophiam, vt mirificos in ea fecerit progressus. nam Cicero in oratione pro Muræna nunc, eruditum virum ex studio Stoico mox eruditissimũ appellat. inclaruisse autẽ ob eiusmodi eruditionem satis constat ex Tacito, in XVI. Annal. dum inquit: ista secta (Stoica) Tuberones, & Fauonios veteri quoq. Reipublicæ ingrata nomina genuit. cum præsertim ea etiam de causa fulgeret nobilitate quod haberet matrem Sororem Africani. cum autem seueritatem Stoicam præ se ferret atq. etiam paupertati ab ineunte ætate esset assuetus, peccauit in dando epulo, & graui se reddidit reprehensioni obnoxium. Rogatus scilicet à Maximo, cum epulum dare vellet populo nomine patrui sui Africani, vt triclinium sterneret strauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos, & exposuit vasa Samia. quasi Diogenes Cynicus esset mortuus, & non diuini hominis Afri aui mors honestaretur. huius ergò in morte celebranda grauiter tulit

populus Romanus peruersam sapientiam Tuberonis, itaq. homo inregerrimus ciuis optimus, cum esset L. Pauli nepos, Publij Africani sororis filius, his hædinis pelliculis prætura deiectus est. intempestiua ergò parsimonia, & frugalitas Tuberonis satis superq. docet peccare philosophos, qui putant publicos imperiorum Rerumpublicarumq. mores posse, & debere exigi ad pauperrimam viuendi rationem, quæ obseruatur in cætibus quibusdam philosophicarum sectarum, qui se certis legibus, cum non ita multi sint, addixerunt. At quando regendæ sunt integræ nationes multum cogimur tribuere communi hominum propensioni, & consuetudini inueteratæ, quam si velis supprimere, eodem Marte totam ciuitatem confundes, & permiscebis. Sed ad Tuberonem reuertamur. is à Gellio dicitur fuisse antistes iuris ciuilis, & Stoicæ doctrinæ sectator. rara est gloria eius hominis, qui geminam simul calleat disciplinam, qualis fuit nostra tempestate Huberti Gifanij, & Iulij Pacij, qui de philosophia pariter, & Iurisprudentia scribendo bene potuerunt, & voluerunt mereri. plebeij tamen Iurisconsulti tunc putant se excellere iuris scientia, quando omnis eruditionis, omnisq. philosophiæ fuerint expertes, idq. palã præ se quoq. tulerint. lubet autem in pusillos Iuris interpretes, qui cõtemnunt philosophiam sic ludere:

Stoica deprompsit fœlici dogmata nisu
 Tubero, Romuleæ lausq. decusq. togæ.
Qui in bis sex tabulas perfudit luminis aura,
 Et responsa dedit clarus vtroq. foro.
I nunc qui Sophien temnis, chartasq. sophorum,
 Cerneq. num Themidos templa subire queas?

De L. Crasso, de Scæuola, de Sex. Pompeio, qui philosophos audiuerunt. Cap. XVI.

Sicco pede non pertransibit oratio L. Crassum, quandoquidem eius ita Cicero in primo de Oratore meminit, ut dicat cum quæstor ex Macedonia veniret, vidisse Carneadem, Clitomachum, Æschinem, Metrodorum, qui fuit auditor Carneadis, Mnesarchum discipulum Panætij, Critolaum, & Diodorum Peripateticos, aliosq. Attigit absq. dubio Crassus aliquid ex philosophia excitatus exemplo tantorum philosophorum, ex quorum ore poterat saluberrima haurire præcepta. impellente profectò vno ex cœtu Platonis legit Georgiam ex quo intellexit Oratorem non debere redigi ad conciunculas, & à Republica abstinere. Certè eloquentissimus quisq. Romæ Rempublicam sua promouit opera, notus est Hortensius, clarus Seruius Sulpicius, clarissimus omnium Cicero. non dubitauit autem Crassus quod veritati erat consentaneum tueri aduersus philosophos, ostendereq. malle se cum Platone diuino viro sentire.

Crasso adiungendus magnus ille Scæuola, quem in primo de Oratore narrat Cicero audiuisse Panætium, à quo sine dubio non pauca hausit, quibus Iurisprudentiam locupletaret, vt excellebat ipse tali peritia. idem cum Apollonio Oratore Rhodi disputauit. is Apollonius mercede docebat.

Scæuolæ addere lubet inter Romanos Sex. Pompeium, quem eruditum fuisse in Philosophia non possumus dubitare dum eundem Ciceronis euoluimus Oratorem.

Liberè tandem Romæ admissam fuisse philosophiam. eam non repugnare imperio. Cap. XVII.

IVsserint Romani liberè in vrbe sua Rhetores, aut etiam non esse philosophos, dum secutis temporibus, elegantiores, mitioresq. facti eos receperint, fouerint, coluerint. vicissitudinem moribus hominũ quis detrahat? quales fuerint Germani olim non sinit nos ignorare Tacitus, quales postea euaserint, qualesq. hodie sint scimus. qui olim arcana litterarum prorsus nesciebant, frequentes instituerunt Academias velificante illis Pio Secundo summo Pontifice, nationis inuictæ studiosissimo. Ergò mirum non est, si non semper ijdem fuerint Romanorum mores sed progrediente tempore, auctoq. imperio, extraq. ipsam Italiam porrecto, à ruditate vitæ difficilis, & militaris discesserint, & qui olim tantum fictilibus vasis vtebantur, cœperint habere magnum supellectilis argenteæ, imò aureæ apparatum. gloriatus profectò est imperator se vrbem, quam inuenisset ligneam, relinquere marmoream. qualia sub rexerunt theatra, qualia templa. quæ moles Amphitheatri excepit spectatores, cum olim tectum afforent, imò rudia pleraq. ad festa. audire lubet disertissimum vatem de splendore Romano, qualis erat cum scriberet, scribentem gaudentemq. quod Roma desierit esse rudis.

3. Am Simplicitas rudis ante fuit, nunc aurea Roma est,
Et magnas domiti possidet orbis opes.
Aspice quæ nunc sunt Capitolia, quæq. fuerunt,
Alterius dices illa fuisse Iouis.

Cu-

Curia Consilij nunc est dignissima tanti,
De stipula Tatio regna tenente fuit.
Quæ nunc sub Phœbo, Ducibusq. palatia fulgent,
Quid nisi araturis pascua bobus erant?
Prisca iuuent alios: ego nunc me denìq. natum
Gratulor, hæc ætas moribus apta meis.
Sed quia cultus adest, nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes auis.

Si obijcias, apud Plutarchum referri Catonem prædixisse tunc imperio spoliandam vrbem, cum se græcis litteris dedisset, respondere fas erit cum eodem grauissimo historico: hæc maledicta falsa fuisse, consequens tempus docuit, in quo ciuitas floruit omni commendatione humanitatis græcarum disciplinarum. *Arabes victricia cum Ægypto inferrent arma, Aristotelem, Galenum, Ptolomæum iusserunt ex græco sermone in Arabicam linguam transferri, & doceri palam in scholis. an propterea imperium amiserunt? imò id auxerunt atq. alia regna porrexerunt, effeceruntq. vt & nationes Europeæ Aristotelem tanquam redivivum viderint, & exposuerint. philosophiæ, græcarumq. literarum laude florent Galli hac tempestate. an ideò carent sceptro? imò magni vbiq. fiunt ob armorum gloriam, nec tantum sua tuentur, sed & alijs non parum exhibent negotij. quid Batauos referam, qui cum fundamenta iacerent Reipublicæ, Academiam Lugduno Batauam instituerunt?*

Quod si quis pergat esse molestus, Senatusconsultum ingerat Romanorum aduersus Philosophorum cœtum, cum Stoico Seneca dicam, Vrbem, quæ damnauit philosophiam, in fi-

in sinu suo perquam suauiter fouisse, imò suspexisse Apitium, culinariam artem profitentem, docentemq. qua ratione patrimonia per gulam abligurriri possint.

Eloquentiæ comparandæ causa Romanos amplexos philosophiam. conqueritur auctor de neglecta philosophia Platonis. Cap. XVIII.

PRæcedenti dissertatiuncula cum in genere docuerimus, pleno fauore Romæ tandem admissam exceptamq. philosophiam, nunc sigillatim aliqua causa indicenda, quæ animos impulerit Romanorum ad excolenda sapientiæ studia. fatebantur omnes re ipsa clamante indigere eloquentiæ subsidio omnes eos, qui ad populum loqui vellent, & in senatu tueri sententiam, qui defendendis causis inclarescere cuperent. hoc cum exploratum apud omnes esset, extraq. omnem aleam controuersiæ positum sponte videbatur consequi, vt qui facundus cuperet existere, à philosophis pulcherrimarum rerum cognitionem, copiamq. peteret. quam enim doctè, quam acutè non solum de natura rerum, sed etiam de moribus hominum, de virtute, de officijs disserunt. Hinc adeò factum est, vt qui causas agere vellent, perq. honorum gradus in lucem euadere apud Quirites desiderarent, vt certè honestissimus quisq. cupiebat, non tantum iuris ciuilis studio incumberent, verum etiam ad philosophos se conferrent, eorumq. doctrinis animum excolerent. frustra namq. disertus esse vult, qui Socraticas non inspexit chartas, si solis Rhetoribus vacauit. Clamat enim verò Cicero in primo de

Ora-

Oratore: Neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus artibus, quæ sunt homine dignæ libero perpolitus. *aut testatur disertè quantum debeat philosophiæ, dum ait*: quicquid in eloquentia effecerit, id se non Rhetorum, sed Academiæ spatijs consecutum. *Academiam, vt vides, nominat, hoc est exedram Platonis, Socraticamq. umbram, non Stoam, non Lyceum, non hortos Epicuri. quantum enim doctrinæ reperitur in libris Platonicis, qua quis ad facundiæ templum pertingere queat. Quis autem adminiculo philosophiæ Peripateticæ, quæ sicca est, & exsanguis, inter disertos meruit collocari? paucos licebit in censum deducere. adeò Aristoteles sapit scholasticam concertationem, & vmbraticos decet homines. Sed Plato in lucem profert suos discipulos, quos munit multiplici atq. eleganti scientia, valde ad vitam ciuilem faciente. Quò magis dolendum est nos hodie vni Aristoteli incumbere, vnum Stagiritam admirari. Non ita senserunt, nec delirarunt antiquæ ætates, quæ disertissimos in senatu, in foro dederunt Oratores. Nostri autem, qui facundi volunt videri, quam ieiuni sunt, quam rerum inopes, longeq. infra subsellia antiquorum consistentes. Repetatur Plato, agnoscatur Socrates, & pristina nos inuiset Suada, digna cui omnes eruditi obuijs occurrant manibus.*

Lucullum Proceribus Romanis præiuisse exemplo prorsus illustri ad fouendam Philosophiam. agitur de Antiocho, & Philone. Cap. XIX.

Si exclusa ab vrbe Roma philosophia dicta scribitur Catoni, Lucullus præ omnibus vt reciperetur suo exemplo effecit, primusq; iussit triumphare sapientiam, postquam ipse feliciter in Asia aduersus Mithridatem arma tractasset. Floruit ipse Romæ circa annum IↃCLXX. *cum senatusconsultum contra philosophos factum fuisset anno ab VC.* IↃLXV. *Credibile autem est mortuo Catone, mox græcorum aliquos in vrbem reduxisse, paulatimq. cœpisse euanescere senatusconsultum. nam absq. dubio multis Romanis permoleste accidit, philosophos excludi, sub quibus adolescentes possent proficere. audiamus Plutarchum in vita Catonis Censorij.* Cæteris Romanis iucundum spectaculum erat (*cum iuuenes cum admiratione audirent Carneadem*) quando plures adolescentes optimis græcis artibus erudiri, & cum spectatissimis viris versari cernerent. *Sed quicquid sit de hac re, satis constat tempore Luculli multos græcos philosophos Romæ liberè vixisse. sic enim scriptor in vita Luculli Plutarchus.* Studioso cuiq. & bibliothecæ, & quæ circa eas erant scholæ, atq; deambulacra libere perpetuoq; patebant, quo se Græci cum per ocium liceret conferre solebant, ibi loquendo, legendo, disputando diem iucundè terebant. *Et Lucullus plerumq. vbi eruditissimos viros disputare vidisset, cò*

po-

potissimum se ingerebat. Neq. enim primoribus labris degustauerat philosophicos fontes, quin pleno ore hauserat fluenta doctrinarum, nec paucis philosophandum sibi putabat, vt ille Neoptolemus apud Ennium, sed multis. audiamus Ciceronem in principio Quest. Acad. de Lucullo loquētem. maiore studio philosophiæ deditus fuit quam qui illum ignorabant, arbitrabantur. *non ineunte ætate solum, sed & pro Quæstore aliquot annos, & in ipso bello, in quo ita magna rei militaris occupatio esse solet, vt non multum Imperatori sub ipsis pellibus ocij relinquatur. Cum autem è philosophis ingenio, scientiaq. putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum secū, & quæst. r habuit, & post aliquot annos imperator. tuetur porrò Cicero Lucullum exemplo Scipionis, qui in nobili legatione ante censuram obita Panætium vnum omninò comitem habuit. Rursus Plutarchus ait Lucullum fecisse socium suæ vitæ Antiochum Ascalonitā summo studio in amicitiam tractum hominem eruditissimum, eloquentissimumq. seq. Philonis auditoribus oppo-suisse, veteremq. Academiam complexum, spreta noua, quæ tamen Carneadis scriptis, & Philonis doctrina fulciebatur nitebaturq. vt etiam cum de Carneade egimus non siluimus.*

Si dicas, Antiochum fuisse Philonis auditorem, atq. adeo inhærendo vestigijs magistri videri tutatum Arcesilæam scholam, dogmataq Carneadis, responderem, procul dubio Antiochum desciuisse ab opinionibus sui præceptoris, contemptaq. nouitate, quam inuexerat Arcesilas, & muniera t Carneades, ad vetustatem Academicam Platonis voluisse reuerti. Nouum porrò non est à discipulis deseri magistros.

Etsi autem animo esset coniunctissimus Ciceroni Lucullus, stabat tamen à veteri Schola contra nouam, quam propugnabat Cicero, vt verum sit fas esse de duabus rebus aliter atq. aliter sentire salua amicitia. At secula nostra factionibus miserandis obnoxia sunt. nunc gloriæ Luculleæ his versiculis applaudamus:

Differat immensum phœbeia penna per orbem
Luculli imperium, belligeramq. manum.
Quin varium quicumq. sophos clarantq. coluntq.
Luculli memores inclyta gesta canant.
Eius enim auspicijs Sapientia creuit in vrbe,
Cœpit & Actæos Roma fouere viros.

De Tyrannione, qui captiuus ductus est Romam à Lucullo. Cap. XX.

Tyrannion Emisenus, prius Theophrastus, posterius Tyrannion mutato nomine dictus est: quod æquales, qui in eodem secum ludo erudiebantur, vexaret, molestaretq. captiuus fuit à Lucullo, Romæq. in magnis diuitijs viuens, possedit supra tres librorum myriadas. Sic quidem scribit Hesychius Illustrius in libello de philosophis.

Nomen Tyrannionis ei impositum est ab Hestiæo Amiseno præceptore, quod exagitaret condiscipulos, vt narrat Suidas. fuit filius Epicratidis, & Lindiæ Alexandrinæ. Auditor præter Hestiæum etiam Rhodi Dionysium Thracem. quod captiuus ductus fuerit à Lucullo Romam non asserit Suidas, sed ait fuisse æmulum Demetrij Erythræi, quem affirmat ductum fuisse captiuum Romam à Lucullo, cum

Mi-

Mithridatem Ponticarum gentium Regem vicisset.

Apparet liberalitate Luculli ditiitem fallum, cum tot myriadas librorum possederit, librīq. illa tempestate magni constarent: describendi namq. erant accurata diligentia à librarijs. At nostro seculo doctorum indoctorumq. fœtus vili pretio protrudit Typographorum multitudo. in Tyrannionem meum extat tetrastichon:

Quod ferus ingenio premeres, Theophraste, sodales,
 Atq. dares socio regia verba gregi,
Te meritò dixit vulgaris fama Tyrannum,
 Nuncq. etiam tali nomine turba refert.

De Sylla transferente libros Aristotelis Romam Athenis. Cap. XXI.

QVod hodie in manibus studiosorum versantur summi viri Aristotelis volumina, id Romanis proceribus scientibus æstimare tanti hominis scripta acceptum ferimus, quia ingrati nolumus esse. Sylla scilicet cum expugnasset Athenas, quia doctus, & eruditus erat, inquisiuit in bibliothecas adeò, vt hæc de ipsius dil gentia scripta reliquerit Plutarchus in vita Syllæ: Sibi ipsi Apelliconis Teij bibliothecam peculiarem exemit in qua fere omnia Aristotelis, & Theophrasti volumina fuerant quorum notitia nondum apertè manarat in vulgus. Ea Romam delata, maximam partem à Tyrannione Grammatico digestam fuisse traditur. A quo Andronicum Rhodium cum esset facilè nactus exemplaria in medium posuisse, atq. quæ nunc feruntur Tabulas exscri-

scripsisse. *Ita absq. Sylla si fuisset, Cicero non potuisset legere Aristotelem, quem tamen diligenter triuit, multaq. in sua volumina cum vtilitate discentium transtulit.*

Andronicus porrò Rhodius sic suscepit Aristotelem, vt paraphrasin in ipsum scripserit, quia difficultas Aristotelicorum scriptorum id poscere videbatur. Neq. enim Antiqui quod nos facimus, commentaria in libros exarabant. hodie Andronici extat paraphrasis in libros Moralium Aristotelis, quæ quod germana sit, non video cur debeamus ambigere, cum præsertim magnam præferat grauitatem, & nihil non serium, nihil non antiquo seculo dignum complectatur. eius ego filum tamquam Ariadneum, dum publicè hoc anno Ethica Stagiritæ in scholis explano, lubenter sequor, cum qui hactenus in eos libros scripserunt Andronicæam diligentiam ignorauerint, quod mirum videri non debet, quia non ita multis abhinc annis VCL. eam latinè versam cum studiosis communicauit. Syllæ autem reponimus ob aduectos Aristotelis libros in Italiam, hoc Epigrammate:

Multum Corneli debet victricibus armis,
  Imperium Sophiæ sanctaq. turba sophûm.
Nam Pandionia cum signa referret ab vrbe,
  Exceptus lætis plausibus Æneadum,
Gnaeus Aristotelis præclara volumina gessit,
  Atq. auxit tali munere Troiugenas,
Qui deinceps vt apes carpentes aurea dicta,
  Ipsos sunt visi vincere Graiugenas.

Nec

Nec tuam insuper habeimus paraphrasin Andronice, quandoquidem sic canimus:

Andronici calamus perstrinxit scita Lycei,
Quæ iuuenem ad mores erudijsse solent,
Herculeumq; docent callem, sublimeq; templum,
Vltra quod felix tendere vita nequit.
Ergò qui sapiens cupis esse beatus, & ire
Quo Virtutis amor viuida corda vocat,
Andronici priscas noli contemnere chartas:
Noli tanti hominis sepoluisse sophos.

De obscuris quibusdam hominibus Romanis, qui latinè de philosophia scripserant ante Ciceronem. Cap. XXII.

IN secundo Tusculanarum Cicero memorat quosdam philosophiæ tractatores non memorabiles, qui obscuritate pressi nec dicti sunt sigillatim à Tullio, nec meruerunt ab alio relinqui aliquos stylo in hominum memoria. apparet autem fuisse latinos, & forte Romanos, Romanæ propterea accensendos philosophiæ, qui absq; dubio non imperiti fuerunt philosophicorum præceptorum, de quibus tamen cum non solum loqui, sed etiam scribere aggressi fuissent, oleum, & operam perdiderunt nihilq; famæ, & gloriæ ex suis laboribus sunt adepti. si verò à Tullio petas, vt quales fuerint, significet, contemptim dicet, fuisse quoddam genus, qui philosophi appellari volebant, qui etiam exararunt latinos libros sanè multos, non eo honore af-

fectus ab eodem Cicerone, vt indagati fuerint aut lecti. Cur ita? quia non distinctè, non distributè, non eleganter, non ornatè compositi fuerant, non præbituri vllam legentibus delectationem. quando scilicet de philosophia aliquid literarum monumentis traditur, non ieiunis verbis indicandum est, quid Principes eiusmodi disciplinæ sentiant, cum omnes mediocriter periti sciant quæ sint eorum opiniones. addenda est orationis elegantia, & copia, non omittendus apparatus, qui hominem disertum decet, alliciendus lector amœnitate, & nitore dictionis. hinc adeò factum vt Platonem semper omnes libenter legerint, etiam illi ipsi, qui dogmata Platonica non approbant. at Epicurum, & Metrodorum neglexerunt pleriq. omnes exceptis Epicureis. Seneca tamen in quadam Epistola magnificè de Epicuro loquitur, quamuis dum viueret, neglectus fuerit, & nihili factus. vices quædam sæculis ita obrepunt, vt quæ videbantur contemnenda, in pretio sint magniq. fiant. cum de Epicuro sic scriberet Cicero, suum seculum, suosq. homines eloquentia, copiaq. sermonis redundantes respexit. successerunt alia tẽpora, quæ aliter de componendis libris statuerunt. quid de nostra ætate proferret, si caput extollere posset? quid pronunciaret de ætatibus consecutis excidium rei Romanæ? Nos hodie perquam accuratè legimus, & in trutina expendimus dicta Auerrois, in quo quiduis aliud, quam eloquentiam reperias. Nonne constat trecentis abhinc annis opera ipsius Ciceronis, imò quorumlibet disertissimorum hominum fuisse escam tinearum? venit tempus, quando è tenebris euocata sunt, inq. fastigio splendoris collocata. par autem est, vt Ciceronianum iudicium de obscuris illis philosophiæ

inter-

interpretibus approbemus, repetamusq. verba, quae extant in primo Tusculanarum. Multi iam esse latini libri dicuntur scripti inconsideratè ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis; fieri autem potest vt rectè quis sentiat, & id, quod sentit politè eloqui non possit. sed mandare quemquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis est intemperanter abutentis, & ocio, & literis. *haec ille, cui concinere cupio versiculos meos.*

Expers eloquij quisquis prægrande Sophorum
  Haud dubitat furuo tradere dogma libro,
Incassum tempusq. terit, mentemq. fatigat,
  Scriptaq Persephonæ mox moritura parat.
Sic quos condiderant tenues, nulla arte, Quirites,
  Noctibus addicti tot periere libri.
At quæ conflauit Cicero, monumenta supersunt,
  Et pretium à sera posteritate ferunt.

De M. Crassi Peripatetica philosophia. cur videatur idem contempsisse aduersa signa, profectus contra Parthos? Cap. XXIII.

TE quoq. Crasse par est migrare in seriem, numerumq. eorum, qui splendorem philosophiæ apud Capitolium conciliarunt. non enim satis tibi fuit in iuuentute animum pascere historiarum, quarum peritissimus fuisti, lectione, sed robur ingenij transtulisti ad capessendam philo-

philosophiam Peripateticam, vt quidem de te locuples scriptor scriptum reliquit Plutarchus, quando tuam enarrat vitam. si vero scire cupiam, cur tuum punctum Peripato potius addixeris, tribuerisq. quam Stoæ Zenonis, aut vmbriferæ Academiæ Platonis, respondebis, tibi visam exedram Aristotelis magis facere ad tuum ingenium, ipsamq. rerum Naturam. Certè quando viuebas putabant Romani fas esse pro lubitu, vel Platoni adhærere, vel Zenonem sectari, aut etiam vestigia sequi Aristotelis. quin reperiebantur, qui miscellam architectabantur philosophiam, quali quidem ratione se gessit Horatius Flaccus, qui de se scribit:

Quò me cunq. rapit tempestas deferor hospes,
Nullius addictus iurare in verba Magistri.

Quò magis irridendi sunt nostrates homines, nostrates philosophi, qui adigunt in verba Stagiritæ discipulos, coguntq. iurare se in omnibus opinionibus defensuros Aristotelem, neq. vel latum vnguem ab ipsius recessuros tramite.

Tibi autem, ò Crasse, in bello gerendo nocuisse philosophiam Peripateticam suspicari licet. Cur ita? quia Vatum monita, & tristia signa, quæ te deterrere poterant à profectione contra Parthos, prorsus neglexisti, insuperq. habuisti. Peripatetici namq. talia videntur flocci facere & asserere Numen curam rerum humanarum non gerere prouidentiamq. à primo Motore non descendere vltra orbem Lunæ, vt quidem nostri Sancti Patres de Aristotele asseruerunt, eum propterea reprehendentes, & vt impium accusantes.

Adde Peripatum nihil de Genijs, nihil de Vaticinijs tradere, & negare somnia vlla esse à Deo. pronunciat quoq.

idem Lyceum, de futuris contingentibus nullam esse determinatam veritatem. quo effato videntur omnia Vaticinia tolli, omnisq. præsensio futurorum euerti. quid quod putant in Lyceo qui ambulant, si detur diuinatio tolli libertatem arbitrij, euerti leges, pœnis & præmijs nullum esse locum, fatiq. nomen nihil aliud esse clamant, quam causas naturales, vt quidem conatus est ostendere Alexander Aphrodisiensis in libro de Fato.

Ergòne Crasse potuisti contra morem Romanorum aduersa signa, & Vatum monita dura insuper habere? potuisti, sic meritò videris perijsse. at obtendis ipse philosophiam Peripateticam. Respondere est, non debere quemquam instituta patriæ contemnere, etsi imbutus sit aliqua secta philosophorum. nam mores patrij longè maius habent pondus, quam philosophorum placita.

Quæ tamen omnia à me sic declamata sunto, vt quæ doctissimi Peripatetici nostri temporis ac præsertim S. Thomas attulerunt ad exponendum Aristotelem ne dicatur negasse Dei prouidentiam, eiusq. rerum futurarum præscientiam non reijciantur, nec etiam aruspicina Gentilium, quam contempsisse videtur Crassus approbetur. omnia enim quæ dicuntur contra Crassum, dicuntur ex hypothesi, cum ipse tacus errore communi illorum temporum fuit obnoxius, ne quis forte suspicetur approbari superstitionem Romanorum in inspiciendis fibris, dum velut ludendo reprehenditur Crassus, tanquam suorum rituum, licet reuera falsorum, contemptor.

De Alexandro Peripatetico præceptore M. Craßi. agitur de philosophico animi robore, deq. contemptu gloriæ & diuitiarum. Cap. XXIV.

SI philosophiæ Peripateticæ nomine commendauimus M. Craßum, nostrarum quoq. partium fuerit eum memorare, cuius opera in vmbra Lycei profecit tantus Vir. de eo Plutarchus in vita eiusdem Craßi ferè in principio magnificis loquitur verbis, quem etiam appellat Alexandrum: in Aristotelis, *inquit*, disciplina præceptorem habuit Alexandrum virum temporibus illis celeberrimum. *At, inquies, Alexander Peripateticus aut fuit præceptor Neronis, aut floruit sub Seuero, & Antonino Imperatoribus.*

Eiusmodi obiectio digna est nostratibus philosophis, qui omnis historiæ, omnis Chronologiæ sunt inopes, & imperiti. Quasi nouum sit plures eiusdem nominis egregios viros varijs temporibus floruisse. Zenonem virum admodum antiquum memorat cum Melisso, & Parmenide Plato in principio Parmenidis. Alter Zeno non ita antiquus in Stoa docuit, Stoicamq. fundauit sectam. Diogenes sanè Laërtius quando narrauit vitam alicuius philosophi, tandem subijcit, ne quis nominis æquiuocatione decipiatur, plures, exempli gratia, fuisse Stratones, Aristoteles, aliosq. Nos legimus Strabonem Geographum. an ipsum confundes cum Strabone Valafrido scriptore Christiano? non, si tibi placet videri aliquid in successione temporum nosse. Tres famam conse-

cuti

enti sunt Marini, non commiscendi inter se. Marinus Tyrius de Geographia bene est meritus, de quo multa Ptolemæus. Marinus philosophus Platonicus Neapolitanus, recensetur à Suida. Marinum Neapolitanũ poetã eximiũ noui ipse Romæ aliquot abhinc annis, & suspexi. facit autem vt eiusmodi æquiuocatio in nominibus proprijs, in memoriam mihi reuocem querelam Antonij Bruni poetæ non cõtemnendi. is dolebat quẽdam alium, quem non putabat secum comparandum, itidem poetam, sed Siculum, itidem appellari Antonium Brunum.

Sed redeamus ad Alexandrum præceptorem Crassi. ipse non tantum dogmatibus, & professione fuit philosophus, sed facto, & reipsa. Cur ita? quia si credimus Plutarcho, præclarissima contemnendæ gloriæ de se præbuit exempla in ea, quam cum Crasso habuit consuetudine. *Sic enim animi moderatione calcante typhum, fastumq. Romanos reuocabat ab insatiabili illa gloriæ comparandæ cupiditate. nam quis inter Quirites tota animi contentione non ambibat dignitates, non aspirabat ad triumphos, ad colosseas statuas, quis non cupiebat ouare, & plausibus Ciuium in cælum tolli? ad cõpescendũ immodicum laudis desideriũ, par erat, vt adesset clarissimus philosophus, qui ex animi sententia illud repeteret:*

O curas hominum, ò quantum est in rebus inane.

Qui subiacet ambitioni, indignus est, qui vocetur philosophus. philosophari enim ille propriè dicitur, qui obfirmat animum aduersus dolorem, voluptatem, aduersa, secunda, qui paucis est contentus, qui totus est teres atq. rotundus, & medijs in vndis tranquillitate fruitur animi. Talem fuisse

Alexandrum mirari forte subit, quandoquidem philosophiā profitebatur Peripateticam, quae disciplina videtur potius frangere, quam munire robur animi. Etenim felicitatem, vltra ab actu virtutum sitam esse ait etiam in pulchritudine, robore, & sanitate corporis, diuitijs, nobilitate, copia amicorum id si verum est philosophus non prius putabit se consecutum felicitatem, quam talia adeptus fuerit, aut dicet se infelicem, si eiusmodi destituatur. Adde Aristotelem de altera post hanc vita non loqui, non loqui de praemijs aut poenis, postquam hinc discessum fuerit Ac rectè dixit Plutarchus Dei prouidentiam, et animae perdurationem, postquā separata fuerit à corpore, non debere diuelli, atq. separari. Stoica igitur, & Platonica philosophia longè magis videtur cōmendanda, quam Peripatetica. Nam Plato multa narrat de beatitudine bonorum virorum post hanc vitam, deq. supplicijs malorum non silet. Stoici autem in sola virtute tradunt sitam esse felicitatem. quò magis, vt dicebam, admiratione est dignus Alexander Praeceptor Crassi, qui alto supercilio gloriam, diuitiasq. calcauit sub pedibus. Vixit enim pauper etiam in familiaritate ditissimi Crassi, ostenditq. suo exemplo vera sapientia deditum, & dici non debere philosophos, qui anxiè ad diuitias anhelant. quae omnia sanctitati Christianae religionis sunt consentanea. Hinc Christus Seruator dixit adolescenti, qui cupiebat perfectus esse, hoc est, ad apicem philosophiae pertingere: vade, & vende omnia, & da pauperibus, & thesaurum habebis in coelo. *Quibus verbis excitatus S. Antonius se exuit omnibus bonis, & solitudinem petijt. Quid memorē S. Frāciscum qui diuitias parentis neglexit, & reliquit opulentas aedes,*

nudusq. nudam sectatus est philosophiam, hoc est perfectionem Euangelicam est consecutus. o ergo miseros terq. quaterq. infelices, qui cum præ se ferant philosophicã grauitatẽ, & sanctitate velint videri cœlum tangere, hæredipetæ tamen insidiantur nobilium familiarum palatijs, atq. latifundijs.

Quantus in philosophia fuerit M. Brutus, cui sectæ addictus? An verba quædam contra Virtutem protulerit iamiam moriturus? Cap. XXV.

T*Vetur se philosophia Romana Bruti summi viri auctoritate. quis enim ausit damnare philosophiam, quam adeò diligenter excoluit Brutus, nunquam sine summa laude nominandus? habuit præceptorem Aristum fratrem Antiochi. sic enim Cicero:* Aristum aliquandiu audiuit, cuius tu fratrem Antiochum. *Varronem alloquitur, qui veterem Academiam sequebatur. sed & ipsum Antiochum Ascalonitam coluit, imò admiratione prosecutus comitem viuendi vnà cum Fratre fecit, quod traditum scimus à Plutarco in eius vita. quin omnes græcos philosophos audiuit, vt quod maximè veritati consentaneum foret eligeret. hæsit in Platonicis, hoc est veteribus Academicis, spreta media, ac recenti Academia. Eò namq. sectatores Platonis sunt progressi, vt de omnibus differentes ambigui hærerent, & iudicium suspenderent. At Brutus recurrit ad fontem ad scripta Platonis, eiusq. axiomata, non passus se ab illis auelli; qua de re videndus Plutarchus, vt reijcias quorundam Italorum recentium fabellam, qui putant Stoicum fuisse Brutum.*

1. Tusc.

Nic. Villani.

tum. unde quæso id hauserunt? An quia grauis fuit Brutus Stoicus est appellandus? habuerunt suam grauitatem quoq. Platonici, licet à Stoa procul discederent. Sed ad Brutum reuertamur, de quo verba Plutarchi etiam atq. etiam notanda: Brutus bonarum artium disciplina, & philosophiæ studijs imbutus.

Nonnulla de philosophia literarum monumentis mandauit. 1. Tus. *testatur id Cicero:* Brutus noster excellens omni genere laudis sic philosophiam latinis literis prosequitur, nihil vt ijsdem de rebus Græcia desideret. *in primis composuit librum de Virtute, quem etiam ad Ciceronem* 1. de fin. *direxit. sic enim Cicero:* Ad te ne Græcis quidem cedentem audeam scribere prouocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de virtute misisti. *hinc in eodem ope-* lib. 3. *re de Finibus ait:* in optimo genere philosophiæ tantum processisti. *subdit:* Non vt ea cognoscas, quæ tibi notissima sunt. *Rependit ergò gratas vices Bruto Tullius, cum ei de Finibus libros consecrauit, atq. inscripsit.*

Mirari autem subit Brutum tantum philosophum, qui pulcherrimum librum exarauerat de Virtute aliumq. de Officio, teste Seneca Epist. XCV. sub finem vitæ iamiam exhalaturum animam erupisse in verba Tragici græci, quibus virtus dicitur esse res misera, & seruire Fortunæ, esse nomen inane, & non res solida. quæ verba à Tragico tribuun- lib. 47. in fine. *tur Herculi, & ex eo repetita sunt à Bruto, vt testatur Dio Cassius. Nonne funditus euertit suam philosophiam Brutus, qui sic locutus est? Responderim, nouum non esse vt qui in summam incidat calamitatem, erumpat in verba non consen-*

tanea

rantes robori philosophico. Non inde colligendum eum, qui sic loquitur contemnere philosophiam. dicendus tantum est molliter se gerere, & non secundum dictata philosophiæ.

Certum autem non est à Bruto talia prolata verba, & si eorum mentionem faciat Dio Cassius. nam Plutarchus, qui accuratissimè eius vitam descripsit, nihil eiusmodi narrat. Nec apud Appianum tale quid reperitur, non id omissurum, si sic locutus fuisset tantus vir, qui semper summā animi præsentiam præ se tulit. Videtur igitur Dio ei eiusmodi sententiam impegisse, vt affectaret laudem ex cognitione antiquitatis. Certè qui legit attentè Dionem de eius narrationibus non semel cogitur dubitare, qua de re plura in meo commentario Etrusco de Vita Cleopatræ iam edita. Sed misso facto Dione, ita alloquamur Brutum.

Brute tuis quis non meritis assurgat, & vsq.
  Acclamet? quis non te sophe Brute colat,
Si generosam animam potuisti impendere Romæ,
  Cæsareo renuens subdere colla iugo?
Macte Heros tali ingenio, cui nulla tulerunt
  Tempora par, deinceps tempora nulla ferent.

De Cassij philosophia Epicurea. attingitur aliquid de ἀδιαφορία Ciceroniana.
Cap. XXVI.

ANexpertem putamus fuisse philosophiæ Cassium, Heroem illum vindicem Romanæ libertatis? Non id asseret quisquis Epistolas legit Ciceronis, ex quo discimus

ad-

Epist. famil. lib. 15. Ep. 16. 18. 19. *addictum fuisse Epicureæ sectæ Cassium. Epicureos etenim appellat Tullius Cassij amicos. Cum vero isthic videatur irridere eiusmodi scholam, subiungit alloquens Cassium:* Si stomachabere, & molestè feres, plura dicemus, postulabimusq. ex qua hæresi vi deiectus sis. *hæresin cum græcis sectam vocat. Mirari Cassium virtutis nuncium remisisse delinitum illecebris Voluptatis. deinceps se corrigit, & ait in ea secta plus neruorum futurum, quam putauerit, modo ab ipso, qui fortissimus sit, probetur. Tam fortis scilicet erat Cassius, vt non solum non videretur emolliendus ab Epicuri placitis, verum additurus amicis suis robur, & firmitatem. in Epistola XVIII. postquam dixit se nullam aberrationem à molestijs habere; mox inducit Cassium quærentem:* vbi igitur philosophia? tua quidem in culina, mea molesta est, pudet enim seruire. *Tua nihil interest actumne sit de libertate vel non. nam cum ex hæresi sis, quæ vltimum finem collocat in cibo, & potu, in voluptate, modò culina non desit, seruies, viuesq. haud grauatim sub Tyranno. At philosophia, quam ego profiteor, a libertate auelli non potest. sic Cicero respondet Cassio.*

Sed alibi videtur Cicero aut philosophiam deserere, aut tanquam Anaxarchus aliquis, & Pyrrho se tueri & solari lib. 2. ἀδιαφορίᾳ, *indifferentia sic enim ad Atticum:* Dij immortales, neq. me tam εὐελπιστία consolatur, vt antea, quam ἀδιαφορία, qua nulla in re tam vtor, quam in hac ciuili, & publica. *quæ aliquis dicet discedere ab Academia, adq. Pyrrhonis se conferre scholam. de Pyrrhone sanè sic Laertius:* negabat quicquam turpe esse aut honestum, iustum, aut iniustum. eadem ratione, & in om-

omnibus nihil verè esse, cæterum lege, atq. consuetudine cuncta homines facere: Neq. enim esse quicquam istud potius, quam illud. *Pyrrho discipulus extitit Anaxarchi, de quo ibidem Laërtius:* cum aliquando Anaxarchus in scrobem incidisset, ille pertransiens nihil ei opem tulit. idq. cum pleriq. culparent, Anaxarchus ipse laudabat, vt indifferenter, & sine affectu se habentem. *hæc ille.*

Sed nequaquam existimandum est tam absurde sensisse Ciceronem, & cum Pyrrhone voluisse tollere omne iusti, & iniusti discrimen, cum tam prolixe & accuratè de Officijs scripserit, & in secundo de legibus inuictus fuerit in sententiam eorum qui sola hominum opinione, & consuetudine metiuntur iustitiam, & leges. ostendit enim ibi homines habere cum Dijs immortalibus quandam cognationem, & à Natura manuduci ad probitatem, honestatemq. eamdem sententiam grauiter tuetur Alexander Aphrodisiensis, vt intelligamus ius à Natura manare.

Quid igitur sibi vult Cicero, dum se solatur adiaphoria? respondendum eum tunc cum Stoicis loqui, qui solam virtutem putabant esse bonam, vitium solum esse malum. Reliqua omnia appellabant Media, & adiaphora, in quo censu collocabant seruitutem, libertatem, valetudinem secundam, aut aduersam, diuitias, paupertatem, robur, aut imbecillitatem, in quibus omnibus negabant collocandam esse felicitatem, cum fortuita sint, & reperiantur æquè apud malos, atq. bonos. Nonne enim multi mali, & vera virtute destituti liberi sunt, diuites sunt, proceres sunt, authoritate & imperio pollent?

Ergò Cicero cum videret omnia in peius ruere, & iam prope euersam eße Rempublicam, & frustra se patriæ tulisse opem, solatur, seipsum dum cogitat, cum Stoicis virum sapientem non quidem spernere libertatem, diuitias, dignitatem, & eiusmodi alia, non tamen magnopere dolere, neq. deijcere animũ, licet aduersa fortuna subtractis talibus cõtraria prorsus ingerat, paupertatem scilicet, fugam, exilium, ipsam deniq. mortem.

Quæ quidem cogitatio valde est consentanea Christianæ pietati, quam dum commendat S. Paulus suo exemplo nos instruit, ne reformidemus carcerem, ne alia grauissima, quæ intentari solent à Tyrannis.

Paradoxum autem Anaxarchi, & Pyrrhonis prorsus explodendum, proculq. relegandum à vita ciuili, & à societate humana, cum euertat totum fundamentum virtutis, omniaq. confusioni obnoxia reddat. qua de re plura protuli in meis prælectionibus publicis, quas habui in secundum librum Aristotelis de Moribus ad Nicomachum. Sed Cassij philosophiam dimittamne absq. versiculis? non dimittã quin sic cano:

Linque Epicureos, Caßi generose, penates,
Linque hominem, quo nil mollius esse potest.
Namq. audendum aliquid dignum virtute Quiritum,
Dignum quod Latiam migret in historiam.
Cæsaris imperium soluendum est sanguine fuso,
Ne ferat impositum libera Roma iugum.
Ergò linque larem, quo nil est fractius, ipsum
Linque hominem, quo nil mollius esse potest.

De Catio Epicureo. quod scripserit de re Culinaria, sed non bene. agitur de effluuio radiorum, & obiter quæritur: an lux sit substantia tenuissima? Cap. XXVII.

STatum Philosophiæ apud Romanos tangit etiam Catius Epicureus, etsi namq. Insuber fuerit, vt testatur Cicero lib. XV. Epist. famil. Epist. XVI. cum tamen latinè de philosophia scripserit, omittendus non est, cum eum recensuerit Quintilianus. ait enim: supersunt qui de Philosophia scripserunt, quo in genere paucissimos adhuc eloquentes litteræ Romanæ tulerunt. *Mox ait Tullium, vt vbiq. sic in philosophia æmulum Platonis extitisse. Hinc memorat Brutum præstantiorem in philosophia, quam in orationibus, suffecisse namq. sic pondere rerum, vt scires eum sentire quæ dicit. addit Corneium Celsum, qui Scepticos secutus non caruit cultu, ac nitore. non omittit Plancum vtilem ait & Stoicos rerum cognitione. Tandem de Catio hæc profert:* in Epicureis leuis quidem sed non iniucundus tamen Catius. *eius mortem non omittit Tullius. Horatius eumdem Sat. lib. II. Sat. IV. sic inducit loquentem:* lib. 10. cap. 1.

Vnde, & quo Catius? non est mihi tempus, auenti
Ponere signa nouis præceptis, qualia vincant
Pythagoran, Anytiq. reum, doctumq. Platona.

Conqueritur apud Flaccum Catius, & cogitat, quibus nominibus vtatur in interpretandis, & latinè exprimendis

Epicureis quibusdam praeceptis, quae ad artem culineriam, conuiuij apparatum, obsonia, condimenta, & similia pertinent, ait sibi non esse tempus vacuum, dum cupit literis, & memoriae mandare noua quaedam documēta Pythagoreis, Socraticis, Platonicis potiora. Tota illa Satyra irrisionis plena est, an enim decet Philosophum acutè de re culinaria disputare? irridet autem Satyricus sub persona Catij eius sectam, quae sibi valde placebat in enarrandis ijs, quae ad culinam faciunt, quam tamen cognitionem falso sibi arrogabāt. si verò ex Cicerone cupias scire an benè rem gesserit Catius inueniendo vocabula, respondet eum cum quodam Amafinio extitisse malum verborum interpretem.

Inter illa vocabula spectrorum nomen recenset Cicero. sic enim Catius, quae Epicurus, & Democritus appellarant idola, expressit; aduersus quae sic disserit idem Tullius: His spectris etiamsi oculi possent feriri, quo velis ipsa currunt, animus qui possit non video. doceas tu me oportebit, cum saluus veneris, in meane sit potestate spectrū tuum, vt simul ac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat. neq. solum de te, qui mihi haeres in medullis; sed si insulam Britanniam coepero cogitare, eius idolon mihi aduolabit ad pectus?

Caeterum, vt rem altius repetamus, non solus Epicurus, aut etiam Democritus, sed ipse Empedocles, vt est apud Aristotelem in II. de an. lumen dixerunt esse effluuium corpusculorum è corpore & Heraclitus ex hac sentētia solem fontem luminis *vocabat. apud Statium haec leguntur verba:*

nam splendor ab alto

De-

Defluit, & nitidum referentes aëra testæ.

Lucretius:

Largus enim liquidi fons luminis æthereus Sol.

Omitto alios. sumpta est metaphora, vt quisque videt, ab aqua, quæ cum valde tenuis sit, fluere dicitur. vt verò aqua tenuatur in vaporem, sic flamma in lucem, propterea asserunt aliqui lumen nihil aliud esse, quam flammulam rarissimam, tenuissimamq. sed hæc aliorsum tendunt, satis tamen apparet existimasse scriptores magnam esse affinitatem, inter aquam, & lucem, quandoquidem dixerunt lumen fundere. iam pridem à viris eruditis collecti sunt loci. Lucretius:

Semper enim noua se radiorum lumina fundunt.

Proinde calor quoniam solis, lumenq. profusum.

Ex quo modo loquendi collegerit aliquis lucem esse substantiam tenuissimam, nec enim posset fundi, si substantia non foret. Nonne aqua corpus est sed tenue, quod sese aëri immiscet. si verò quæras quæ maior sit tenuitas aerisne an lucis, forte dicet Statius tenuiorem esse lucem, nam ait alicubi lumine fusa à Luna tenuari aëra. si lux esset densior aere, densaretur aër, non tenuaretur. Sed hoc digredi est. quod lux sit tenuissima substantia, probaueris, quia veteres dicebant Solem, diem manare. *& dictum* mane, *quia tempore matutino manant radij. Manare non videtur accidentium. perpende etiam dictum Persij Sat. III.*

iam clarum mane fenestras

Intrat, & angustas extendit lumine rimas.

Nonne hoc substantiæ est? sed dices: si lumen substantia est, & corpus, qui penetrat specularia? sequeretur etiam

duo

duo corpora esse in uno loco.

Responderet forte aliquis lumen ob summam tenuitatem penetrare vitrum. Nonne aër quoq. penetrat, & tamen substantia corpus est, non ita, ut puto, tenue, ut lux.

Veteres autem non putarunt esse absurdum dicere duo corpora ob tenuitatem se mutuo penetrare. nec quilibet desinat locum superficiem corporis continentis. qui aiebant animam esse tenuissimum corpus non propterea eam à corpore crasso auellebant. quid referam Stoicos, apud quos Deus, quem corporeum faciunt, intimè omnia corpora penetrat, peruadit, præterq. alia ut docent?

Hæc dicta sint occasione arrepta ex ijs, quæ Democritei de effluuio radiorum ex corporibus proferebant. Auersamur interim illos, qui dixerunt animam esse corpus. est enim substantia incorporea, quod multò magis est proferendum de Deo, quem omnis materiæ expertem professi sunt sapientes, & profitentur hodie, quicquid in aduersam garriuerint partem Stoici.

De M. Pisone, deq. eius præceptore Stasea Neapolitano. quam libenter Romani Athenis viderent sedes philosophorum. Cap. XXVIII.

A Numero Procerum Romanorum, qui Philosophiam suo studio, suaq. auctoritate claram illustremq. reddiderunt non sine culpa excluderetur M. Piso, quem disserentem dilucidè, & copiose induxit Cicero in libris de Finibus. Habuit autem Piso apud se multos annos Staseam

Nea-

Neapolitanum insignem philosophum. sic enim Cicero: quod & Staseam Neapolitanum multos annos apud te habueris. *ex qua familia si quaeras fuerit Staseas, respondet Tullius fuisse Peripateticum. Tullij verba sunt:* memini Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum nobilem sane Peripateticum.

lib.5. de finib.

Et in 1. de nat. Deor.

Disputauit idem M. Piso cum Antiocho philosopho, qua de re Cicero: cum audiuissem Antiochum cum M. Pisone disputantem in eo gymnasio, quod Ptolomeium vocatur. *Erat hoc Gymnasium Athenis. tunc enim, & Pomponius Atticus in ea vrbe versabatur, vt ex eodem Cicerone colligitur, apud quem describitur Academiae solitudo, cui propinqui erant hortuli Platonis. Mox memorantur Speusippus, Xenocrates, & eius auditor Polemos. Quin Pomponius non dissimulat se suspicere Epicurum, cuius hortos praeterierant, ituri in Academiam, vt intelligamus hortos illius philosophi tantopere laudatos non abfuisse procul ab Academia Platonica, subijcit habitam imaginem Epicuri passim non solum in tabulis,* sed etiam in poculis, & annulis.

Nec praeterit Cicero exedram, ex qua docebat admirandus Carneades. Ego, *inquit*, moueor illa exedra. modo enim fuit Carneades, quem videre videor. est enim nota imago: a sedeq. ipsa tanta ingenij magnitudine orbata desiderari illam vocem puto. *ex quibus omnibus discere est, quantopere fauerent proceres Romani philosophiae, quandoquidem lubenter se Athenas conferebant ea etiam de causa, vt viderent sedes tantorum philosophorum, pascerent oculos imaginibus, suspicerent loca in-*

qui-

quibus deambulauerant. Ego autem, *inquit Cicero*, tibi assentior, vsu hoc euenire, vt acrius aliquanto, & attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. *hinc narrat visam Metaponti sedem Pythagoræ.*

Qui affectus erga philosophiam ex eo etiam patefit, quandoquidem ijdem Proceres libenter in suas ædes recipiebant sapientiæ mystas, quod non solum exemplo Pisonis Staseam domi detinentis, sed multis alijs, quorum aliqua hoc libro continentur, ostenditur. At Lucianus in quodam dialogo videtur improbare eos, qui patiebantur se mercede conduci à Magnatibus:

Iter porrò quod suscipiebant Romani Athenas, vt viderent sedes clarissimorum hominum facit, vt erumpam in laudem Gallorum, Germanorum, atq. aliorum Transalpinorum, qui valde multi peragrant magnam partem orbis terrarum, vt coram doctissimos viros, aut mortuorum inuisant tumulos, cognoscant ædes, obseruent natale solum; dici namq. nō potest quantopere inflammemur ad virtutem, quando talia intuemur, quando oculati testes cernimus patriam terram eorum, qui sapientiæ nomine passim inclaruerunt.

De T. Lucretio Romano, magno philosopho, magnoq. poeta. Cap. XXIX.

P*Eccarem aduersus tractationem, quam suscepi, si verborum nihil impenderē Lucretio latinissimo, doctissimoq.*

ſimoq. poetæ, qui primus auſus eſt ex hexametro carmine de philoſophia verba fundere, æmulatus perquam feliciter Empedoclem ſummum virum, quem conſtat verſibus incluſiſſe arcana philoſophica. Scio nequaquam fas eſſe aſſentiri Lucretio in ijs, quibus verſificatus eſt aſſentiendo Democriti, & Epicuri Placitis. Sed quandoquidem ea tempeſtate, qua ſcribebat, fas erat Romæ pro ſua cuique Sectæ quæ magis placuiſſet, adhærere, negare non poſſumus valde benemeritum fuiſſe Poetam de contemplatione rerum philoſophica. Quis enim neſcit viros magnos etiã quando errant, aliquatenus prodeſſe humano generi? nam excitant aliorum recte ſentientium diligentiam ad ſoluendos nodos admodum difficiles, adq. illuſtrandas abſtruſas quaſq. & reconditas difficultates. Ignorandum porrò non eſt optimè præ omnibus in Lucretio verſatum fuiſſe Lambinum, minuſq. probè ſe geſſiſſe Giphanium, qui in meſſem Lambinianam affectatam immiſit diligentiam, conatus ſibi rapere ob emendatum Lucretium coronam, quæ tamen debebatur Lambino, cum ipſe manuſcriptos perquam diligenter inſpexerit, mendaſq. plurimas diluerit, ſuſtulerit.

Scimus etiam Petrum Victorium Florentinum, virum & genere, & eruditione clariſſimum diligentiam ſuam impendiſſe eidem poëtæ, qui tamen labor non prodijt, quod auctor, vir pius, nollet videri collocaſſe ſuam operam in exponendo ſcriptore pietatis, & ipſius diuinitatis contemptore.

Sunt verò qui cuperent commentarium philoſophicum exarari in doctiſſimum poëtam, quandoquidem Lambinus videtur potius verba Lucretij exegiſſe ad manuſcriptorum fi-

dem, quam vt voluerit philosophicis sententijs illustrandis tempus impendere.

Ego in meo opere de doctrina Democriti non pauca loca (nisi fallor) Lucretij sum interpretatus. forte etiam aliquando hunc laborem exantlabo, vt obseruationes philosophicas in totum opus Lucretianum componam.

Interim sciamus Romanum fuisse Lucretium, & quidem illustri familia natum, floruisseq. ijsdem ferè temporibus quibus extiterunt summi viri senex Crassus, Cicero, Hortensius, Sulpicius, Brutus, Calidius, Caluus, Cælius, Cæsar, Cornutus, Asinius Pollio, Sallustius, Varro, Catullus.

Gratulor tibi Roma de magno alumno Lucretio, qui accessit ad philosophiam tanto cum impetu vt nobis reliquerit monumentum aere perennius, ostenderitq. Romanos non solum posse discere, sed & docere philosophiam, dumq. gratulor, effundo carmen, sicq. Epicur., Lucretijq. laudo ingenium, vt dogmata reijciam, illud præsertim quo impugnatur animorum immortalitas Platonicis scriptis præclarissimè asserta, atq. defensa.

Incolit obscuros Senior Gargettius hortos,
　　Nec docet è cathedra, sed canit: ipse sibi.
Ipse sibi vario condit monumenta labore,
　　Quæ minima expediunt corpora Democriti;
Auctorisq. vehunt latè post funera nomen
　　Sceptrigerum Sophiæ regnum vbicunq. viget.
Hinc Epicureum didicerunt dogma Quirites,
　　Deq. ipso Carus grande poema dedit,
Quod sæpe haud dubitat generoso voluere nisu
　　Ignauum quisquis vulgus abire iubet.

De

De C. Cotta recentis Academiæ defensore. cum, licet Pontifex esset, more Carneadeo disputasse. Cap. XXX.

C. *Cotta æqualis Seruij Sulpitij, familiaris Ciceronis, magna auctoritate præditus apud Romanos. Eo enim legem tulit, qua Tribunis plebis alios Magistratus capere licebat, quod vetuerat Sylla. in philosophia exiguus non fuit, defenditq. cum Cicerone recentem Academiam, ambiguitati velificatus. nam in primo de Nat. Deorum cum Cicero inuenisset C. Velleium, Lucilium Balbum & Cottam, inquit:* tres trium disciplinarũ principes conuenistis. *quod verò staret à noua Academia cũ Tullio, colligere est ex verbis illis Velleij:* Ambo ab eodẽ Philone nihil scire didicistis. *cui respondit:* quid didicerimus Cotta viderit. *auditor ergò Philonis fuit Cotta, & tãquam familiaris Tullij, existimandus est profecisse non tantum apud Philonem, sed & Diodotum, Antiochum, Posidonium. qui omnes frequenter versati sunt in domo Tullij eiusdem, vt ipse testatur, dum inquit:* orationes testantur refertæ philosophorum sententijs, & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, à quibus instituti sumus. *hæc ibi Cicero, ex cuius etiam eodem libro discere est Cottam audiuisse frequenter Athenis Zenonem, quem Philo Epicureorum Coryphæum appellabat.* 1. de nat. deor.

At erit, qui quærat: num Zeno fuerit Epicureus? responsio facilis est, sermonem esse de Zenone Sidonio, non Eleate,

non Citieo. Sidonij enim Zenonis meminit etiam Laërtius, ait q. fuisse disertum Epicureorum dogmatum professorem, ornatè scilicet, grauiter, distinctè loquebatur, nequaquam expers eloquentiæ, vt ferè indiserti erant Epicurei.

Rursus quæres, cur Cotta suasore Philone audiret Epicureum, cum esset Academicus? nihil aliud quàm ipse Philo magis ac magis confirmare in sua opinione Cottam, à quo volebat conferri Zenonem cum Academicis. deceptus igitur est vir eruditus, qui quod legisset Strabonem Geographum audiuisse Xenarchum Peripateticum, fuisse & ipsum Peripateticum asseruit.

Mirabitur porrò aliquis Cottam, cum Pontifex esset, inductum fuisse à Cicerone ea ratione, vt euertere conaretur omnia, quæ de prouidentia Deorum prolata fuerant à Balbo Stoico. Decet enim Pontificem tueri religionem, cultumq. Numinis, non ipsum impugnare. Aliquot profectò abhinc annis, cum in palatio Marchionis Sfortiæ Pallauicini exortus esset sermo de Lucretij poemate Epicureo, de dissertatione Velleij apud Ciceronem pro Secta eiusdem Epicuri, de versibus illis Iuuenalis:

Esse aliquos Manes, & subterranea regna,

nonnemo colligebat Romanos in vniuersum atheos fuisse, & Numinis irrisores. Respondi ego, verba Iuuenalis Satyricè esse prolata exaggerando multorum hominum impietatem. Lucretium scripsisse, quod permitterent Romani disputandi, & exercendi ingenij causa tueri Democriteas opiniones. Velleium, & Cottam itidem non ex animi sententia, sed philosophandi causa sic disseruisse apud Tullium.

extra

extra eiusmodi altercationem Romanos prorsus adhæsisse ritibus suorum maiorum, quos cæci & superstitione imbuti putabant rectè de Deo sensisse, & rectè eundem coluisse. Non ergò opinionibus Philosophorum metiebantur publica Sacra, sed more Vrbis antiquo. sic enim Cotta: cum de religione agitur P. Coruncanum, P. Scipionem, P. Scæuolam pontifices maximos, non Zenonem, non Cleanthem, aut Chrysippum sequor: habeoq. C. Lælium, augurem eundem sapientem. *mox subiungit:* Mihi persuasi Romulum auspicijs, Numam sacris constitutis fundamenta ieicisse nostræ ciuitatis *quæ verba cum recitassem non grauatim mea acquieuerunt responsione.*

De P. Nigidio Figulo Romano, philosopho Pythagoræo, & magno rerum naturalium indagatore. Cap. XXXI.

I*N cumulum eorum, qui bene de philosophia Romæ sunt meriti sua sponte properat P. Nigidius, cum quo testatur Cicero se multa disputasse contra physicos more Carneadeo, de quo subiungit:* fuit enim vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent ornatus omnibus: tum acer inuestigator, & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutæ videntur. 3. de nat. deor.

Quæres, ex qua secta is fuerit? res habere videtur aliquam difficultatem. nam si cum ipso more Carneadeo *Tullius disputauit contra physicos, videtur Nigidius fuisse ex recentibus Academicis.*

Sed aduersus hoc pugnare videntur, quæ apud eundem

Tul-

Tullium ad summam talis viri commendationem proferetur ibidem: sic iudico post nobiles illos Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodammodo, cum aliquot sæcula in Italia, Siciliaq. viguisset, hunc extitisse qui illam renouaret.

Hinc licet, vt puto, colligere nequaquam Nigidium fuisse Carneadeum. & Academicum, quamuis Cicero dicat se cum illo aduersus physicos disputasse, hoc est ipso audiente, siue assensum præberet, siue non. etenim disertè testatur fuisse Pythagoræum, & sectam Pythagoræ quasi intermortuam quodammodo in vitam reuocasse. atq. hic ipse videtur primus Pythagoreus inter Romanos, quod quidem ego sciam. nec enim legi hactenus, quis fuerit ex Romanis proceribus sectator Pythagoræ.

Dices, Catonem Censorium videri fuisse Pythagoræum cũ Tarenti audiuerit Nearchum Pythagoræum. dicendum est, etsi Cato audiuerit Nearchum non propterea euasisse philosophum, sed leuiter tantum nonnulla didicisse. id discere est
lib. 29. cap. 1. *ex ipsius verbis apud Plinium, dum inquit:* bonum est (*Græcorum*) literas inspicere, non perdiscere. *Vaticinatus hinc est perituram Romam, receptis literis græcorum. eius verba sunt ad Filium.* hoc puta Vatem dixisse: quandocumq. ista gens literas dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, cum Medicos suos huc mittet. *quæres, an verus fuerit Vates Cato? negat Plutarchus, vt iam à nobis relatum est suo loco in præcedentibus. respondere ipse, receptis literis Græcis florente Lucullo, aliisq. proceribus, exorta dissidia, & tandem absolutum principatum inuectum in vrbem, eiecta libertate. Sed aduersus Catonem*

dice-

dicerè licebit non videri ob amissam philosophiam, & Medicinam Græcorum natas dissensiones, & bella ciuilia.

Nunc de P. Nigidio quærendum, an cum tantus physicus, tantusq. philosophus fuerit, aliquid de rebus naturalibus mandauerit literarum monumentis? id affirmandum quandoquidem Plinius libro I. eum sæpe recenset inter auctores Romanos, & latinos, videturq. etiam vocatus Figulus. nam apud Macrobium hæc verba reperiuntur: Sed quod ait Plinius de acipenseris squamis, id verum esse maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus ostendit, in cuius libro de Animalibus quarto ita positum est: cur alij pisces squama secunda, acipenser aduersa sit? *quo testimonio vsus sum in meo Commentario de vita Cleopatræ, vt ostenderem acipenserem Veterum non esse nostrum Sturionem, quicquid in contrariam partem scripserit Rondeletius in suo opere de piscibus, cum præsertim ne squamas quidem censeatur habere idem Sturio, coriò tectus.* lib. 3 Sat. cap. 16.

Gellius non admodum honorificè videtur sensisse de Nigidio, tradit namq. ob obscuritatem in vulgus eius non emanaße opera. Sed Gellianæ auctoritati erit qui opponat Macrobianam.

De C. Velleio Senatore Romano fidenter defendente Epicuream sectam. eius quędam disputatio contra Platonem, & Zenonem perpenditur. Cap. XXXII.

ETsi Epicuri absurdæ sint sententiæ, non tamen Romanorum nonnullos, libertate sua vsos pudebat ipsi suppetias ferre, dareq. operam in disputando, vt probabi liot censeretur esse secta, quæ suas opiniones ad Epicurum, & porrò ad Democritum referebat. iam in hoc libro recensuimus Cassium in Epicurea vmbra latentem. nunc recitare lubet nomen C. Velley Senatoris, hominis proinde grauis, qui tantam vim, tantumq. studium Romæ, ad defensionem Epicureæ scholæ adferebat, vt primus in eo genere censeretur esse, & cum paucis Græcorum compararetur à L. Craßo. qua de re non sinit nos dubitare Tullius in I. de Natura Deorum ex quo etiam colligere licet fidenter *admodum se gessisse in disputando Epicureos, sicq. locutos, ne viderentur vllo modo esse ambigui, & se perinde gessisse ac si sua dicta depromerent ex Concilio aliquo deorum. quod eò lubentius credo, quia nostra quoq. tempestate reperire est homines quam plurimos, qui dum profitentur philosophiam, tertio quoq. verbo illud:* Certum est, hæc sententia extra omnem controuersiam ponitur, *v, urpant, à quibus formulis abstinerent, si quantum obscuritatis insit rebus naturalibus perpenderent. sed ad C. Velleium redeamus, qui apud Tullium in primo de Deorum Natura Platonicos, Stoicosq. alacriter admo-*

admodum commentitiarum, futiliumq. sententiarum accusat, obijcitq. Zenoni portenta & miracula somniantium, non disserentium philosophorum.

Platonem etenim putat grauiter impingere, dum ait, genitum mundum, fore tamen sempiternum, nam quæ coagmentatio potest esse non dissolubilis? cui quidē obiectioni occurrit præclarè Plato in Timæo, dum docet natura sua esse solubilem coagmentationem, non tamen sic iubente Deo soluendam vnquam.

Sed dum quæritur secundū Platonem, genitusne sit, an non mundus? non desunt inter Platonicos, qui dicant videri sibi cōtradixisse præceptorem, iam enim dixisse esse genitum, iam negasse. qua de re videnda, quæ tradūtur à Plutarcho in Opusculo de Procreatione animarum, atq. alibi. hinc non nemo inter Platonicos ingenitum appellauit mundum, vt Sallustius, negauitq. creatā animā mundi à Deo Alcinous. Galenus autem non vno in loco, quod videret inter se dissidere dicteria, testatus est nescire se, genitusne sit an ingenitus mundus?

Sed qui Platonici docuerunt mundum esse genitum secundum Platonem, vt certè plerique docuerunt, scissi sunt in contrarium studium. nam aliqui dixerunt mundum esse factum esseq. æternum hoc est conditum ab æterno, quam sententiam inter nouissimos Platonicos conatus est tueri Proclus octodecim argumentis.

Alij autem, quod existimarent repugnare esse æternum & esse factum, pronunciarunt mundum conditum in tempore à Deo, dum inordinatam materiam ordine dignauit, & affabrè composuit, quod videre est apud Plutarchum in libello de procreatione animæ. Errat enim, & errat vehe-

menter quisquis Plutarchum non recenset inter philosophos. Quod autem Plato, & Platonici putarent mundum non factum ab aeterno, docet etiam C. Velleius, dum inquit: ab vtroq; autem (*scilicet Platone, & Zenone*) sciscitor cur mundi aedificatores repente extiterint, innumerabilia ante secula dormierint? *in quam opinionem acerrimè inuebitur apud eundem Ciceronem.*

Quae lubuit proferre, quod Velleius ea attigerit disputando, & res ipsa valde digna sit, quae diligenter perpendatur à studiosis Platonicae philosophiae.

Nam ad veritatem ipsam quod attinet, nos edocti diuinitus à Mose edocti sumus, à Deo optimo maximo ex nihilo in tempore factum esse hunc mundum, relinquentes philosophis gentilibus sua dissidia, suasq. altercationes nunquam finiendas.

De Lucilio Balbo insigni Stoico. agitur etiam de Deo Stoicorum, cum anima mundi Platonicorum, non confundendo. Cap. XXXIII.

Q. *Lucilius Balbus itidem Romanus dignus est habitus, quem Cicero in Stoica disciplina cum excellentibus Graecis exaequaret, vt videre est in libro primo de Deorum natura.*

Hinc adeò factum, vt disertissimam orationem de Deorum natura, & prouidentia iuxta decreta Zenonis ei tribuerit in eodem opere de Natura Deorum, quam legi, ac relegi cupiam ab ijs, qui Stoica decreta callere volunt. Cui

ad-

addenda contentio inter ipsum, & Cottam in Tertio libro: ex quo si placuisset Lipsio cum physiologiam Stoicorum componeret plura depromere, melius fortè fuisset meritus de Cleanthea fruge.

Cum autem Balbus multis conetur ostendere Mundum esse Deum, & esse sapientem, nihilq. melius ipso reperiri, sidera non carere ratione, Naturamq. non esse brutam sed prouidentia, & intelligentia præditam, quærere lubet, annon omnia ista sint eadem cum ijs, quæ Platonici de anima mundi protulerunt? eiusmodi namq. anima secundum Platonicos sapiens est, imò diuina est, infunditurq. toti mundo, omnibus rebus largiendo sensum, & motum. interrogare etiam lubet, annon Virgilius in VI. Æn. cum Stoicis locutus sit, quando dixit:

Spiritus intus alit, totamq. infusa per artus
Mens agitat molem.

Et in Georg. itidem cum Stoa cecinerit:

Deum namq. ire per omnes
Terrasq. tractusq. maris, cœlumq. profundum.

Respondere est, non debere confundi animam Mundi, de qua Platonici loquuntur, cum Deo Stoicorum. nam apud Platonicos tres gradus reperiuntur diuinitatis. est Deus, prima causa, est sermo, architectus mundi, est demum Anima mundi. prima causa est ingenita. Sermo gignitur à prima causa. à sermone prodit anima mundi. hæc igitur anima facta est, corporiq. iungitur, aut non omninò incorporea est, mouetq. mundum. Sed prima causa eiusmodi munere non fungitur, seiuncta prorsus à corpore, & corporis expers. Ergò secundum Platonicos non licet dicere: mundo nihil esse

melius. nam prima causa absq. comparatione est melior anima mundi. in Stoa autem præter mentem illam, quæ coalescens cum materia mundum constituit, non reperitur Deus, non datur causa superior, & nobilior. Viderint verò aliqui ex nostratibus philosophis, qui aiunt Deum opt. maximum, conditorem mundi huius, & sospitatorem esse formam, animamq. mundi, & partem intrinsecam, & essentialem vniuersi. qui modus dicendi consentaneus quidem videtur esse Stoæ, sed abhorrere à Platone, ab Aristotele, & demum ab ipsa veritate Christiana. Plato quidem primam causam non commiscet cum mundo. Aristoteles primum motorem, incorporeum commendat cum intelligentijs, qui quidem primus motor tantum est in Oriente, & in parte conuexa primi mobilis, non autem infunditur toti moli, nec peruadit sua substantia totum mundum. secundum autem Religionem nostram, & secundum veritatem Catholicam Deus non est forma, & anima mundi, quia non est pars, nec tanquam pars concurrit ad constituendum mundum. vbiq. est, infinitus est, omnia mouet, omnibus salutem impertit, vt causa effectrix, non vt forma.

Virgilio quæ fuerit mens in VI. æn. facile deprehendit, qui totam Anchisæ narrationem legit: Platonica enim est quanta quanta est, ad Stoam, ad Deum Stoicorum non trahenda. ipsi enim vix quicquam de transmigratione, & circuitu animarum. Cur ergò à Stoicis accepisset Virgilius dogma de Deo, & in te transgressus fuisset ad placitum non faciens ad Chrysippum, aut Zenonem?

Verba porro in Georgicis tam secundum Stoicos, quam iuxta Academiam Platonis explanari, accipiq. possunt. vult

enim

enim ostendere rationis non esse expertes apes. Cur itaq; ista Deus (Deum appellant Platonici etiam animam mundi) omnia implet, in omnibus agit, vbiq. est. quod effatum consentaneum est non minus Stoæ, quam Academiæ. quæ proferre volui, ne quis Seruium secutus in VI. æneid. Stoice accipiat verba Virgilij.

Obiter quæret aliquis: anon videantur verba S. Pauli Act. XVII. in ipso sumus, viuimus, & mouemur, *Stoice accipienda, cum præsertim constet Pharisæum fuisse S. Apostolum.*

Responsio in promptu est, nam effatum S. Pauli ad causam est referendum effectricem, non alio trahendum. Etenim S. Apostolus sic dicitur fuisse Pharisæus, vt resurrectionem mortuorum cum ipsis crediderit, in cæteris non incesserit per talium hominum vestigia.

Proferuntur de Nigidio, de Cotta, de Lucilio, & Velleio versiculi. Cap. XXXIV.

NOn pauca admodum seriò superioribus quatuor capitibus cum deprompserim, ne semper serius esse censear, videarq. nescire interponere studijs aliquid amœnitatis, age versiculos recitemus, honori magnorum virorum dicatos.

Ad Nigidium.

PYthagoræorum nomen, cœtumq. domumq.
Et varium occulti dogmatis arbitrium,

Quis

Quis potuit Latia generosus in vrbe tueri
Aduersus Sophiæ lumina, Stoicidas,
Contra Academiæ platanos, daphnenq. Lycei,
Contra Gargetti culta vireta Senis?
Quis Samiæ haud timuit genti præbere recessum,
Submittens magno lumina Pythagoræ?
Hæc tua laus, Nigidi, est, quæ tunc vaga deseret orbem,
Quando orbem Phœbus lampade destituet.

Ad Cottam.

CVr cum sacra feras, clarissime Cotta, Sacerdos,
Et prisca Numen relligione colas,
Instar Carneadis pugnando spicula torques,
Contra fatidici prouida dicta gregis,
Contra auium aereas voces, dextrumq. volatum?
Cur furua fibris detrahis arte fidem?
Nempe superstitio, pauidum quæ detinet orbem,
Ferre iubet dubio te quoq. calle pedem.

Ad Lucilium.

LVcida, Lucili, sapientum templa subire
Si lubet, & Sophiæ splendida ferre sacra,
Cur Stoam ingrederis, cur dogmata mira retractas,
Graiugenum sermo quæ paradoxa vocat?
Cur salebras calcas, cur per iuga pendula gaudes
Ferre pedem, tuta nescius ire via?

Sci-

Scilicet hic hominum mos est, vt proxima temnant,
Sollicitiq. vago rara labore parent.

Ad Velleium.

CVr, ò Vellei, magnum per inane vagaris
Leucippũ anteuolans, Democritumq. sequens,
Si nil iste sophus sine risu promit, & vsq.
Quæ modò construxit pondera, sternit humi?

Aliud.

Magno Epicureos redimenda dolore Voluptas
Obscuro porcos detinet vsq. lare,
At te, Vellei, manet inter sidera Romæ
Gloria non atro diminuenda die.
Ergò Epicureas Leucippi linque tenebras,
Iq. sequax, quò te læta Minerua vocat.

Varronem fuisse summum philosophum, sed in scriptis tantum delibasse philosophiam. Cap. XXXV.

SI quis putat philosophiæ expertem fuisse Varronem, quia inter philologos numeratur, næ ille magno in errore versatur. Apuleius enim insignis philosophus philosophicam sapientiam ei tribuit liberali manu, dum ait: memini me apud Varronem philosophum virum accuratissimè doctum, & eruditum legere. *an philosophus non sit, qui*

accu-

accuratissimè est doctus? ipse Varro homo minimè vanus, & prolatus ab homine, qui non decipiebatur, apud Tullium in primo Tusculanarum sic loquitur: in illis veteribus nostris Menippum imitati multa ex intima philosophia, multa Dialecticè dicta. *quales, boni Dij, fuerunt libri Diuinarum humanarumq. Antiquitatum, ex quibus aliquid citat S. Augustinus. quanto cum detrimento ab edacissimo ablata tempore. nullus mortalium possit talem com-*

1. Tusc. *pensare iacturam. Audiamus Ciceronem, qui eiusmodi verbis opus illud commendat:* Tu omnia Diuinarum, humanarumq rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. *Etsi autem tantus vir penetralia philosophiae perspecta prorsus haberet, noluit tamen quae nouerat latinis literis commendare. nam graecè fortè non potuisset tam bene quam latinè commentari. Cur etiam repetijsset, quae iam praeclarè, & subtiliter ab ipsis enarrata fuerant? suspicari etiam licet existimasse Varronem latinis literis nequaquam explanandam philosophiam. sic enim hodie aliqui, imo plerique sentiunt philosophica praecepta lingua Italica comprehendi nec commodè posse, nec si posset debere, quod hoc sit arcana cum vulgo profanum in morem communicare, & contemptui exponere.*

Nihilne igitur ex philosophia propinauit Varro in suis scriptis? delibauit plurima, non autem pleno fonte propinauit. Meos, *inquit*, amicos in Graeciam mitto. *Cicero autem eandem in rem sic fatur:* philosophiam multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum. *Nunc iubet his hexametris summum virum prosequi:*

Varro potens Vero, Varro doctissimus inter
Romuleos proceres, Latiæ lux aurea linguæ,
Faxq Vetustatis, Satyrarum conditor, ingens
Inter doctiloquos Vates, cœtumq. sophorum;
Edidit excelsa in patria tot millia librûm,
Totque voluminibus Sophien ditare sategit,
Quæ prope cuncta tulit longæui temporis ætas.
O detrimentum lacrymarum flumine dignum,
O senij sæuasq. vices, crudeleq. factum.
O vim tardipedis Fabri, quem Lemnos adorat:
Siccine Varronis potuisti extinguere chartas?
Ætherea dignasq. die dignasq. iuuenta,
Perpetua, dignas, quæ nunc in luminis aura
Versantes, nitidæ nos aurea dicta docerent.

Commendatur Cicero ob philosophiam, quam primus literis latinis locupletauit. posse eos, qui Reipublicæ præsunt, quandoq. vacare philosophiæ. Cap. XXXVI.

Consuetudine amplissimorum hominum, & clarissimorum hominum ciuium philosophiæ deditorum cum subinde vteretur Tullius Cicero, non potuit non & ipse in sapientiæ studia ferri, suiq. ingenij vim, quæ ingens erat, ad arcana scientiarum extendere. quod eò minus mirum videri debet, quia Philonem columnam Arcesilææ sectæ, nouæq. Academiæ fulcrum studiosè audiuit, cuius

etiam philosophandi rationem libenter est amplexus; quod homo occupatissimus in caussis forensibus, inq. negotijs Reipublicę assiduus, videretur posse facilius de omnibus quæstionibus cum probabili verisimilitudine disserere, atq. tempus cum voluptate transigere, quam vnius sectæ certis dogmatibus adhærescere, proq. ipsis tanquam pro aris, & focis pugnare. Satis autem sibi non putauit esse philosophorum libros gnauiter voluere, sententias Platonis cognoscere, Aristotelem penetrare, ad Zenonis porticum se conferre, de talibus opinionibus cum amicis conferre, & suauiter colloqui, nisi appulisset calamum ad facienda latina, quæ hactenus conclusa manserant græcis fontibus. Nec existimauit suæ dignitatis esse, ex græco latina facere vertendo. quin libros texere voluit de varijs argumentis, in quibus sic se gessit, vt nec sermonis copia, & elegantia, nec sententiarum pondere, aut argumentationum robusta structura quicquam Græcis concedere deprehensus fuerit. vt sese in omnes partes vertit, vt pro sua probabilitate strenuus est, vt vera ex historijs admisceat, ne labatur, quod sustinet. vide de Natura Deorum dissertationes, inspice de diuinatione opus, lege sedulus de legibus libros, in tuum succum conuerte Academicas quæstiones, ne præteri de Finibus enarrationes, versare in Tusculano vt Tusculanas edisces. qualem fructum industriæ feres, quale operæ reportabis pretium, quos thesauros congeres, quos flores leges vt sedula apis. Nam si quis accuset Ciceronem, quod vir consularis sapientia mentem excoluerit, aliosq. erudire satagerit, respondebit ipse pro se in quæst. Academ. quasi vero, *inquit*, clarorum virorum tacitos congressus esse oporteat, aut ludricos ser-

mones

mones aut rerum colloquia leuiorum, tractatio philosophiæ optimo atq. amplissimo quoq. dignissima est nec quicquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus in hoc gradu collocauit, nisi ne quid priuatis studijs de opera publica detrahamus. *Sic se excusat doctissimus Pontifex Pius secundus, dum geograficos exarat libros, sibi enim licere temporis aliquam partem, qua vacat à negotijs diurnis, nocturnæ impendere lucubrationi. Sed superuacaneum est tueri Ciceronem, cum totus prope liber de initio, & progressu philosophiæ apud Romanos tali defensione fungatur. Nobis profecto qui in Etruria sumus, suppetunt clarissimorum ciuium Florentinorum exempla, qui cum Rempublicam regerent, & sustinerent pondus ingentium curarum, frequenter tamen philosophabantur, erudita voluptate animum subleuantes Tales fuerunt Vidus Caualcantius, Dantes Algerius, Diacetus, Bartholomæus Caualcantius, Oricelarius, Victorius, aliq. ipse magnanimus Franciscus Etruriæ Magnus Dux peritus linguæ Græcæ atq. latinæ quandoq. conquiescebat in sinu doctrinarum, in gremio philosophiæ. Referunt autem cum aliquando professor ei librum latinè versum ex Græco obtulisse dicens, se hac opera functum, vt ipse posset auctorem legere, respondisse eruditum Principem, se non adeò hospitem esse in lingua Græca, vt volumen græcum non intelligeret. Pedem refero ad Ciceronem, cuius gloria sequens epigramma ad scriptum volo:*

Dogmata conglomerent alij, decretaq. cudant,
Insolito nec ament tramite ferre pedem,

Dum Cicero, quo non facundior extitit ullus,
Socratico pulchrum temperat ore Sophos,
Et modò per Stoam magni Zenonis alumnus
Ambulat, atq. celer per Paradoxa ruit.
Nunc cum Pythagora numerando construit orbem,
Mox ab Aristotelis syrmate multa trahit.
O decus æternum Arpini, splendorq. Quiritum,
Quem Latium extollit, Graiugenæq. colunt;
Te sequor impauidus quò me tua subuehit ala,
Et lentum patior repere vulgus humi.

De Pompeij erga philosophiam propensione. agitur simul de Possidonio, Cratippo, Q. Valerio. Cap. XXXVII.

NE mutila mancaq. sit, de suscepta materia tractatio, exerat, imò attollat venerabile caput magnus Pompeius, cuius ingentem ergà mystas sapientiæ humanitatem non prætermiserunt historici. Plutarchus sanè scriptum in Pomp. *reliquit eum cum Rhodi adesset, professores liberalium studiorum audisse, quin cuiq. talentum dono dedisse. Posidonium præcipuè coluit. hinc narrat ille ipse literis ad Hermagoram aatis se à Pompeio auditum, recensetq. quænam tunc in prælegendo quæsita expositaq. fuerint. apud Ciceronem autem in secundo Tusculanarum hæc habentur:* Narrare solebat Pompeius se cum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium, sed cum audiuisset eum grauiter esse ægrum, quod vehementer eius artus laborarét, voluisse tamen nobilissimum philoso-

losophum inuisere. *an vero excidit suo voto Pompeius nihilq. audiuit ex ore disserentis? imò generosus philosophiæ antistes non commisit, vt frustrà tantus vir ad se venisset, cubansq. ostendit, nihil esse bonum, quod non sit honestum.*

Illud quoq. recenset Plutarchus, quod cum fugeret Pompeius è Mitylene in portum descenderit Cratippus, ad quem conuersus Pompeius, aliquid de prouidentia ingessit, vt forte intelligeret, cur permisissent Dij causam, quæ libertatem patriæ tuebatur, succubuisse: sedulò quæstionem declinauit Cratippus, breuiterq. innuit ob reipublicæ mala debuisse rem Romanam in absolutam dominationem labi. quod alij quoq. tradiderunt, atq. inprimis Tacitus, in primo Annalium, dum ait interfuisse pacis, vt cuncta ad vnum referrentur.

Hic est ille Cratippus, quem præceptorem habuit filius Ciceronis, cuiusq. perhonorificam facit mentionem ipse Cicero statim in principio librorum de officijs.

Sed si adeò fauebat philosophiæ Pompeius, cur Q. Valerium, virum philosophum, eruditione florentem interimi iussit, quod Syllanæ aduersaretur factioni, cum tamen cum ipso collocutus fuisset, factis quibusdam spatijs?

Retulit quidem hæc Plutarchus, sed non approbauit tanquam vera. Cur ita? quia Oppius Pompeianæ gloriæ infensus, & Cæsari ex asse addictus retulit. par autem est, vt talis hominis fides sit suspecta, cum verisimile sit ab ipso omnia conquisita, vt obtrectaret summo homini, quem vix credere est sese voluisse doctissimi viri sanguine polluere. viderit igitur lector, an narratio Oppij à Plutarcho prolata sit in discrimen danda? quin eiusmodi calumnia in ventos

abire

abire iussa recitemus Epigramma commendans non tralatitiam Pompeij erga professores sapientiæ beneuolentiam.

Siccine qui terras ingenti nomine comples,
Bellaq, victurus pontica regna, geris;
Haud dubitas facilis Sapientum inuisere cœtus,
Lenis & auditor discere grande sophos?
Macte animo tali. nam te fauisse lyceo,
Atq Academiæ, postera secla canent.

De M. Catonis philosophia, & sapientia non pauca. Cap. XXXVIII.

EXultat, seq. iure merito iactat philosophia, quando Cato Vticensis memoratur. de eo vt loquamur illud in primis quærendum: quos audiuerit, quosq. habuerit præceptores? Respondet Plutarchus Catonem operam nauásse Antipatro Tyrio Stoicæ disciplinæ professori, quem etiam sibi admodum reddidit familiarem, amplexatus omnem virtutis speciem, sectatusq. ciuilia atq. moralia præcepta. Antipatro Tyrio addendus Athenodorus cognomine Cordilio, itidem Stoicus. sed audiamus Plutarchum: Cum audiuisset *(Cato)* Athenodorum cognomine Cordilionem Stoicæ disciplinæ hominem Pergami cômorari, iamq. senescentem Regum Principumq. familiaritates refugere non putauit Cato per litteras, atq. nuncios, quicquam se profecturum, sed cum per leges ei duos menses abesse liceret, transgressus in Asiam hominem adijt, flexitq. eius animum. & ex sententia deiecit, effecitq. vt se in castra sequeretur lætus atq. gloriabundus,

dus, velut ingentem adeptus palmam, & multò clariorem, quam aut Pompeius, aut Lucullus qui tunc vniuersi orbis Reges, nationesq. subigebant. *Hæc Plutarchus, cui consentit Plinius lib. VII cap. XXX, dum scribit:* Cato Vticensis ex tribunatu militum philosophum deportauit. *addit alium ab eodem relatum ex legatione Cypria, quem suspicari licet fuisse Antipatrum Tyrium nam duobus philosophis vacasse Catonem affirmant pariter Plutarchus, & Plinius. Sed Antipatrum, & Athenodorum recenset Plutarchus. Vnde colligere fas est, quantopere amaret cum philosophia philosophos quanq. cupide studio Sapientiæ incumberet, quod amplius discere lubet ex ijs, quæ sequuntur. in Tertio de finibus sic Tullius:* Vidi M. Catonem sedentem in bibliotheca multis circumfusum Stoicorum libris. *adijcit fuisse in eo inexhaustam legendi auiditatem, quam non poterat satiare. in ipsa nanq. Curia solebat sæpe legere, vt propterea ab eodem Cicerone meruerit dici:* Helluo librorum.

Cum autem interdiu vacare non ita commodè posset philosophis, eos ad cœnam inuitabat, detinebatq. inter philosophicos sermones in multam noctem, & quandoq. vsq. ad auroram. hinc discere est fas esse in mensa philosophari, si mensæ accumbant viri docti. qua de re non sinunt nos Plato, Xenophon, Macrobius, Athenæus, ipseq. Plutarchus ambigere. Quid enim prohibet seueritatem philosophicam conuiuali hilaritate temperare? Ergò ne tam serij seueriq. sint Stoici, si Cato Stoicam sectam professus sciuit hilaris esse.

Is ipse tamen extra cœnas videtur nimis austerus fuis-

se, quod fatetur Seneca, qui tamen optat Catonem eligi tanquam exemplar perfectum virtutis. audi eius verba: Elige Catonem, si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum, Lælium. *in eandem sententiam Cicero in oratione pro Murena postquam recitauit Stoicos docere sapientem gratia nunquam moueri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere, neminem misericordem esse, nisi leuem, viri non esse neque exorari, neque placari, atque alia plura, subijcit:* Hæc hominem ingeniosissimum M. Catonem auctoribus eruditissimis inductum arripuisse non disputandi causa, sed viuendi. *vitam porrò Catonis sic exprimit:* petunt aliquid Publicani? caue quicquam habeat momenti gratia. supplices aliqui veniunt, & calamitosi? sceleratus, ac nefarius fueris, si quicquam misericordia adductus feceris. *plura ibi lege eiusdem monetæ, quæ tamen prolata sunt à Cicerone non tam quod prorsus sic se res haberet, sed potius vt causæ inseruiret. promouebat autem petitionem Murenæ, qui vehementer à Catone oppugnabatur. de Catone porrò non omittenda verba Senecæ, quibus rursus eum, vt typum sapientiæ proponit:* philosophia modestè tractanda est, & tranquille. quid ergò, inquis? videtur tibi M. Cato modeste philosophari, qui bellum ciuile sententia sua reprimit.

lib. 1. Epistol. cap. 11.

Illud etiam de tanto viro proferendum, quod moriturus, seque subtracturus manibus hostium bis Phædonem Platonis, vbi agitur de animorum immortalitate legerit, mox alto somno sopitus, vt prorsus inconcussus, & non turbatus etsi constituisset se vita mox spoliare. Lucanus profectò tanti facit auctoritatem Catonis, vt tam amarulenta sen-

sen-

tentia audeat Deorum sententiæ opponere dum ait:

magno se iudice quisq. tuetur,
Causa dijs victrix placuit, sed victa Catoni.

Nos autem eius memoriæ, pusillum offerimus epigramma:

Quod tibi, magne Cato, statuam templumq. melosq.
Quos pangam numeros, vt tua regna canam,
Impauidæ imperium mentis, cessuraq. nullis
Sceptra Tyrannorum fascibus, atq. minis?
Languida prægrandi sub pondere Musa labascit,
Et merito ingenium se minus esse videt.

Sed quæret aliquis, cur tanti fecerit Phædonem Platonis Cato, cum Stoicus esset, atq. adeò non prorsus esset ei certa de immortalitate animorum sententia? respondere est, plerosq. Stoicos sensisse saltem animas magnorum virorum superesse, & permanere vsq. ad mundi conflagrationem. adde necesse non esse vt Cato, quamuis Stoicus esset, in omnibus Stoæ adhæreret, quod in alijs quoq. obseruauimus. Panætius profectò insignis philosophus, admirator Platonis, aduersus Platonem contendebat animos esse mortales, vt narrauimus ex Tullio, cum de duobus ageremus Panætijs.

Id quoq. antequam à Catone discedamus obseruare est cum Plinio, magnam deprehendi diuersitatem in Catone Censorio, & Vticensi. nam ille vt refert etiam Plinius lib. VII. cap. XXX. censuit legatos esse dimittendos, quoniam Carneade argumentante, quid veri esset haud facilè discerni posset. *imò* vniuersos ex Italia Græcos pellendos censuit. *at iste eius pronepos non attigit tantum, sed perdidicit Græcorum arcana philosophica, philosophosq. peramanter fouit. O morum immutationem. ò institutorum huma-*

humanorum varietatem. ò dissidium propensionum in diuersas abeũt, cõtrariasq. prorsus sententias viri grauissimi, quando de rebus maximi momenti agitur, & erit quisquam qui reprehendat Aristotelem, quando putauit de moribus disserendum populari, crassaq. Minerua?

Agitur de disputatione habita à Catone cum Cicerone. proferuntur nonnulla de primo Domestico. Cap. XXXIX.

A Catone nondum possum auelli, quandoquidem in Tertio de Finibus praeclaram habet disputationem cum Cicerone, qui tamen Stoicos non sequebatur. Incidit autem Tullius in Catonem, cum è Tusculano se contulisset in villam Luculli, vt ex eius bibliotheca promeret aliquos libros Aristotelicos. sed obierat Lucullus ille Asiae domitor, relicto filio, cuius curam magnam habebat ex testamento idem Tullius.

Cum porrò Cicero dixisset venisse se, vt auferret quosdam commentarios Aristotelicos, ait Cato: quam vellem vt te ad Stoicos inclinasses: *prorsus enim Stoicis erat addictus Cato, quod superiore capite iam narrauimus. Respondet Cicero in verbis potius esse dissensionem, quam in ipsa re. & profectò, qui varias sectas philosophorum inter se conciliare conantur, solent frequenter dicere, non in re principes sectarum Philosophicarum dissentire, sed altercari saepe de verbis; quod necesse est proferri ab ijs, qui concordiam inter Platonem, & Aristotelem nobis pollicentur.*

Pronunciat deinceps Cato eos qui sine vlla doctrina na-

turam secuti multa laudabilia, fecerunt vt censuisse viint habendum in bonis praeter honestum, nihil in malis praeter turpe. Subiungit, si semel statuamus id solum bonum esse, quod honestum, nullo modo probare nos posse beatam vitam virtute esse.

Et profectò si sapiens miser esse potest, cur datur opera philosophiae? Si enim beatè viuendum, quod post consecuti sapientiam, adhuc possumus esse infelices, oleum & operam in excolenda philosophia amittimus.

Idem Cato postea suscipit totam sententiam Zenonis, & Stoicorum exponendam, remq. altius repetit.

Cum verò fateatur animal simul ac natum est sibi ipsi commendari ad se conseruandum, & auersari ea quae interitum adferunt, negat propterea in eiusmodi principijs naturalibus collocandam esse voluptatem, ne si voluptatem natura posuisse in ijs rebus videatur, multa turpia sequantur.

Receptum autem est apud philosophos, vt illud, ad quod animal statim à natura fertur, vocetur primum Familiare seu Domesticum, vt est videre apud Alexandrum Aphrodisaeum libro secundo de Anima. cap. 40.

Quod detur primum domesticum ex eo colligitur, quia si est aliquod vltimum appetendum, aliquod etiam eius oportet dari principium. Stoici autem, etsi non omnes, aiunt primum domesticum esse animal ipsum sibi. vnum quodq. enim animal, vbi natum est, sibi domesticum fieri, & ipsum quoq. hominem. quod exponit Cato apud Ciceronem, licet nomine primi domestici non vtatur.

Alij dicunt ad constitutionem, & conseruationem nostrā nos, vbi in lucem editi sumus, accommodari.

At voluptas primum domesticum visa fuit simpliciter Epicureis, qui progressu temporis hanc voluptatem corrigi exactius, atq. emendari dixerunt.

Megarici primum domesticum asserunt esse vacationem à perturbationibus, & molestijs, Academici vacationem lapsus, & erroris.

Secundum Aristotelem eiusmodi domesticum est vnusquisq. sibi, cum nullos præ nobis amemus. maximè enim quisq. à seipso amandus est. Sed de sententia Peripateticorum vide plura apud Alexandrum præcipuum Aristoteleæ philosophiæ interpretem.

De profectu philosophico Pomponij Attici. an philosophia necessariò cum eloquentia sit coniungenda? Cap. XL.

Pomponium Atticum inter columnas Romanæ sapientiæ non præterimus. præit nobis Cornelius Nepos in eius vita. Principum philosophorum ita percepta habuerat præcepta, vt his ad vitam agendam, non ad ostentationem vteretur. *quam sectam est secutus? videtur multum tribuisse Epicureæ, cum tamen optimis præditus fuerit moribus, vt nequaquam ex opinionibus semper de moribus sit pronunciandum. quamuis non desint, qui vitam moresq. Epicuri, & Metrodori vt inculpatos tueantur. sed audiamus Atticum apud Ciceronem in V. de Finibus de seipso loquentem:* Ego, quem vos, vt deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phædro quem vnicè diligo, vt scitis in Epicuri hortis,

quos

quos modo prætcribamus. *ibidem legimus quod Pomponius sic se Athenis collocauerit, vt esset pene vnus ex Atticis, & nomen inde habuerit. Cum autem Cicero quod minus eloquenter scripsisset, Epicurum contemnere visus fuerit, Pomponius autem aliter senserit, imò Lucretius, & Seneca, videamus an necessariò cum eloquentia sit coniungenda philosophia? id affirmes, si cogites Peripateticos, & Academicos habuisse consuetudinem de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, quod esset ea maxima dicendi exercitatio. Philo profectò, quem se audisse testatur Tullius instituit alio tempore Rhetorum præcepta tradere, alio philosophorum. quam diserti fuerunt plerique omnes, quorum scripta de philosophia arcanis ad nos peruenerunt. In aduersam partem cogitare licet Arabes, apud quod solos viguit sexcentis, & pluribus abhinc annis philosophia fuisse artis oratoriæ expertes, quod eorum significant libri. an quicquam, quod ad robustam rerum cognitionem facit, requirimus in Algazele, Auicenna, Auerroe? Pythagoræi multa de rerum natura exararunt absque apparatu elegantis dictionis. quam doctus est liber Sallustij Philosophi de dijs & orbe, qui tamen ob breuitatem non commendatur à copia dicendi. quid quod robur rationum non in multis verbis situm est, sed in nexu argumentationis. Nonne satis constat Rhetorum propria esse probabilia argumenta? sed profunda veritatis cognitio colores reijcit, fucum submouet, synonima respuit, demonstrationes autem studiosè conquirit. Cur etiam summus vir Aristoteles in Acroamaticis putauit parce esse loquendum, & populares cogitationes esse missas faciendas?*

Erit qui non contentus his omnibus, quæ pro simplicitate philosophica construxi, clamet suspectum debere esse quicquid in hac causa commentus est Cicero, cum orator foret, qui libro primo de legibus non ambegit contemptim loqui de antiquis historicis Romanorum, quod simpliciter res gestas absq. congerie concionum literis mandassent. Amat nempe vnusquisq; maximè commendare ea quibus excellit, cæterosq. superat.

Quid nobis in hoc dissidio, tantaq. controuersia inter sese certantibus magnis hominibus pronunciandum? Subijciatur res tota lectoris arbitrio.

Astronomiæ peritissimum fuisse I. Cæsarem Dictatorem. Cap. XLII.

PHilosophis cogimur accensere Iulium Cæsarem dictatorem, nam Astronomiæ peritissimus fuit, & numerum siderum latinè perscripsit, vt ait Iulius Firmicus. fastos enim correxit, iam pridem per intercalandi licentiam vitio Pontificum adeò turbatos, vt neq. messium feriæ æstati, neq. vindemiarum autumno competerent, annumq. ad cursum solis accommodauit, vt trecentorum sexaginta quinq. dierum esset: & intercalario mense sublato vnus dies quarto quoq. anno intercalaretur, vt narrat Suetonius in Cæsare cap. XI. & Plutarchus in eius vita, qui inquit Cæsarem rem proposuiße discutiendam inter philosophos præstantissimosq. Mathematicos, & propriam quandam emendationis cum diligentia viam demonstrâsse.

Tantum profectò sibi gloriæ ex huiusmodi emendatione

para-

parauit, vt sint qui pronuncient, Cæsarem magis gloriosum esse ob annum emendatum, quam imperium conditum.

Ipse se iactat apud Lucanum siderum cognitione, & anni emendatione. lib. 10.

Sed tamen & vestri media inter prœlia semper
Stellarum, cœliq. plagis, superisq. vacaui,
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Subijcit se philosophia esse cupidissimum, quandoquidem desiderat scire Niliacam originem ait enim:

Sed cum tanta meo viuat sub pectore virtus
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim
Quam fluuij causas per sæcula tanta latentis.

Hæc Cæsar apud Lucanum. Animaduertendum porrò minus rectè ab Ammiano Marcellino lib. 11. anni emẽdationem tributam Octauiano Augusto, quod repugnat reliquis scriptoribus. nam etiam Seruius ad V en. sic scribit: annum primò Eudoxus, postea Hipparchus, deinde Ptolomæus, ad vltimum Cæsar deprehendit. *addit idem Marcellinus correctam inconstantiam annorum* spatijs duodecim mensium, & sex horarum magna deliberatione collectis. *idem explicat cur sacerdotes errarent in intercalando:* gratificantes, *scilicet* publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant.

An Iurisconsulti Romæ florentes fuerint Stoicæ Sectæ addicti, quia exquirebant vim verborum? reijcitur sententia viri docti. Cap. XLII.

Non deest inter recentiores vir eximius, qui existimat ea etiam de causa debere nos dicere Iurisconsultos præcipuè Stoicæ Sectæ fuisse sequaces, quia anxiè exquirebant vim vocabulorum, eorumq. originationi perdiligenter incumbebant. nam Iurisconsultos fuisse sollicitos de verbis testatur Tullius lib. IV. de Republ. apud Nonium, dum inquit: Admiror nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. *idem testatur Greg. Thaum. Panyg. ad Orig. de leg. Rom. de Stoicis porrò hæc sunt apud Senecam Ep.* 88. Philosophi (*scilicet Stoici*) quantum habent superuacui, quantum ab vsu recedentis? ipsi quoq. ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum, & præpositionum proprietates descenderunt. *ijdem originationes verborum exquirebant. Cicero lib.* 1. *de off.* Audeamus imitari Stoicos, qui studiosè exquirunt, vnde verba sunt ducta. *idem tribuit Antistio Labeoni Gellius lib.* 13. *cap.* 10. Latinarumq. vocum origines, rationesq. percalluerat, eaq. præcipuè scientia ad enodandos plerosq. Iuris laqueos vtebatur.

Sed hæc nequaquam ostendunt Iurisconsultos fuisse Stoicæ Sectæ addictos. Nam sic quoq. posses dicere Platonicos fuisse Iurisconsultos, quia integrum librum, Cratylum nempe de originatione vocabulorum scripsit Plato, neq. ipse Aristote-

stoteles spreuit etymologias, quod videre est in libro de Cælo, vbi agit de vocabulo Ætheris.

Necessitate autem quadam Iurisconsulti ad exactam cognitionem vocabulorum contulerunt suam diligentiam, propterea quia legum earatio est, vt semper quæratur quid sibi voluerit legislator. legislatoris porrò mens ex proprio significatu vocabulorum colligenda est.

Adde omnis iuris Ciuilis fuisse fontem leges XII. tabul. at illæ prisca lingua conscriptæ non ita facile intelligi poterant à posteris. quapropter Labeo, qui commentarium accuratum in eas exarauit, penetrare se coactus est in antiquorum vocabulorum significationem, quod hodieq. faciunt, qui XII. tabulas interpretantur. Vt verò pateat verum esse, quod de Labeone protulimus repetere quædam non ab re fuerit ex Gell. lib. XX. cap. I. Phauorinus profectò pronunciauit apud Sextum Cæcilium Iurisconsultum, quem aliqui putant esse Africanum, in libro XII. tabul. animaduertisse quædam, aut obscurissima, aut lenia. Respondet illicò Cæcilius: Obscuritates non assignemus culpæ scribentium: sed inscitiæ non assequentium, quamquam ij quoq. qui quæ scripta sunt, minus percipiunt culpa vacant. Nam longa ætas verba atq. mores obliterauit, quibus verbis moribusq. sententia legum comprehensa est. hæc & plura Cæcilius, vbi etiam fit mentio Labeonis scribentis ad XII. tab.

Illud quoq. cogit Iurisconsultos vim verborum exquirere, quia stipulationes, & verborum obligationes, vltimæ voluntates, legata nituntur proprietate verborum, quam proprietatem non parum iuuat originatio. hinc iam multa

de legatis tertio, de auro, & argento legato depromuntur ad vim vocabulorum facientia. hæc & huiusmodi si quis perpendat nequaquam dicet Iurisconsultos antiquos, & Labeonem, ut se Stoicos, quia exquisiuerunt vocabula.

Veteres Iurisconsultos videri potius cum Platonicis & Peripateticis, quam cum Stoicis sensisse. Cap. XLIII.

NOn nego aliquid à Iurisconsultis translatum ad legum interpretationem ex Stoica disciplina, cum enim Romæ vigerent Stoici, & necesse esset homines doctrinæ studiosos in ipsos incidere, quid mirum si aliquid adhæserit iis, qui legum cognitionem profitebantur, & de iure respondebant? illud asserо peccare eos, qui putant Iurisconsultos præcipuè addictos fuisse Stoicis & ex ipsorum decretis suas opiniones conformásse, & confirmásse. Etenim ciuilis, & forensis vita longè maiorem habet cum Aristotelica, & Platonica philosophia affinitatem, quam cum Zenonis schola. Certè in hac valde multa proferuntur quæ leges euertunt, minimeq. ad rationem ciuilem faciunt. docent Stoici omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, *nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum cum opus non fuerit quam eum, qui patrem suffocauerit. Hoc aures Iurisconsultorum ferre nequaquam possunt. sic enim differentia omnis pœnarum tolleretur, omnesq. eodem supplicio, qui peccant, essent afficiendi, quo quid absurdius dici potest?*

Est iurisprudentia ars æqui, & boni, sed æquitas vix videtur habere apud Stoicos locum, qui etiam suis dogmati-

minatibus clementiam è medio tollunt, preces euertunt, non relinquunt vllum commiserationi locum, quod colligitur ex ijs, quæ paulò ante prompsimus.

Veniæ non permittunt nos versificari ijdem Stoæ cultores. sic Cicero loquitur de Catone Stoicos imitãte in vita. Fatetur aliquis se peccâsse, & eius delicti veniam petit, nefarium est facinus ignoscere. Pro Mur.

Iurisconsulti opinantur, & coniecturis vtuntur, pronunciant sæpe, hoc vel illud videri. sed Stoicorum sapiens nihil opinatur, non putant dicendum: errâsse aliquã in re, aut deceptum.

Quæ perpendens idem Tulius commendat Peripateticos & Platonicos ciuilitati consentaneos, dum ait: nostri illi à Platone, & Aristotele moderati homines, & temperati aiunt apud sapientem valere aliquando gratiam, viri boni esse misereri: distincta esse genera delictorum, & dispares pœnas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem sæpe aliquid opinari.

Fuerit Iurisconsultus, & Stoicus simul Tubero, & Tuberonem audiuerit Labeo, an ideo Stoam inferes, legibus Romanis? non te sequar præeuntem. Leges XII. tabularum, interpretatio prudentum, formulæ, iudiciorum vsus, iura Magistratuum, & ciuium Romanorum prius manârunt in tumultis auras, quam quicquam de Stoicorum decretis Romæ explanaretur. ostendat quæso, qui Iurisconsultos Stoicis annumerat ab eiusmodi Magistris immutata Iura Romana, & ab antiquo depulsa vsu.

Dices, Stoici dicunt natura omnes esse liberos, idem tra-

diderunt Iurisconsulti, sed & veteres Romani sciuerunt ante Stoicos seruitutem per vim à bellis inuectam. Nunquam autem eò rem deduxerunt Iurisconsulti Romani, vt nollent quemquam esse seruum, imò semper sic diuiserunt homines, vt assererent alios esse liberos, alios esse seruos. At Stoici suum effatum lubenter eo deduxissent, vt omnes homines iuberent esse liberos, à quo sine dubio abhorrebant aures Romanorum.

Si addas, natura sua pecuniam non facere fructus, sed vsuras solùm ex stipulatione, idq. petitum à Stoicis, manasse ad Iurisconsultos, respondebo Aristotelem extra Stoam idipsum protulisse, & notius esse, quam vt à Stoa petatur. Certè apud Romanos semper in vsu fuerunt vsuræ, qui tamen nunquam existimárunt ex pecunia pecuniam nasci secundum naturam. opus enim industria est, vt nummis vtamur ad emptiones, adq. alios contractus, sicq. rem nostram augeamus.

De Chaldæis Roma pulsis, de eorum disciplina valde diligenter obseruata sub Imperatoribus.

Cap. XLIV.

IN censum philosophiæ cum veniant Astrologi, alias dicti Chaldæi, & Mathematici, dicendum nobis quatenus floruerint Romæ, aut tolerati sint, vel prohibiti.

Valerius igitur Maximus lib. I. cap. III. sic scribit: C. Cornelius Peregrinus M. Pompilio Lænate, & Cn. Calpurnio Coss. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe, atq. Italia iussit: leuibus & ineptis in-

ingenijs fallaci sydcrum interpretatione quæstuosam mendacijs suis caliginem nutrientes, inijcientes. *Videtur id edictum factum anno ab VC. DLXXX. in eum namq. incidit consulatus M. Pompilij Lanatis, licet ibi non appareat simul nomen Cn. Calpurnij.*

Miretur autem quis Valerium Maximum retulisse sub Tiberij Imperio eiusmodi edictum cum ipse Imperator peritissimus esset Chaldaicæ scientiæ, eamq. didicisset à Trasyllo.

Nemò profectò nescit sub Principibus cum cætero qui langueret philosophia, viguisse sideralem scientiam, quia cum omnia redacta essent ad Principatum, & vnius potentiam, lubenter indagabant Romani, ipsiq. Cæsares, quis imperaturus foret, quamdiù victurus, quando moriturus, & quomodo. Tiberius quorum genituram deprehedisset regiam, & magna spondentem, ijs, ne pertingerent ad Principatum insidias struebat, & exitium.

Agrippinæ Matri Neronis dictum fuit filium eius imperaturum, à quo tamen esset occidenda. hinc erupit in illa verba: occidat dum imperet.

Quid memorem eos qui dixerunt Othoni, annum illi illustrem foret quo vaticinio ex sideribus petito ad rapiendum imperium impulsus est.

De Vespasiano sic scribit Suetonius cap. XXV. Conuenit inter omnes tam certum eum de sua, suorumq. genitura semper fuisse, vt post assiduas in se coniurationes ausus sit affirmare Senatui, aut filios sibi successuros, aut neminem.

Illud mirabilius, quod est apud eundem historicum in

Domitiano cap. XV. Nulla tamen re perinde commotus est, quam responso, casuq. Asclerarionis Mathematici. hunc delatum, nec infitiantem iactâsse se, quæ prouidisset ex arte, sciscitatus est quis ipsum maneret exitus, & affirmantem fore, vt breui lacerаretur à canibus, interfici quidem sine mora sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoq; accuratissimè imperauit, quod cum fieret, euenit vt repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer discerperent canes. *hæc ibi*

Cum igitur tantopere dediti essent Romani Genethliacis obseruationibus, mirum non est si auguralis, & aruspicina non tanti amplius factæ sunt, & obseruatæ, vt olim sub republica obseruabantur accuratissimè. Nam Auguralis, & Aruspicina proxima tantum & imminentia pandit, at Sideralis præ omnibus diuinationum speciebus longinqua, & remota explicat, eruitq.

De statu Chaldaicæ disciplinæ sub imperatoribus plura. Cap. XLV.

AN pulsos putamus Roma sub Domitiani Imperio Mathematicos, & Chaldæos? Non affirmârim, quia nomine philosophorum nō veniunt apud scriptores Chaldæi, & Genethliaci. sic ergò æstimata est Chaldaica professio, vt de ipsa accuratissimum opus ediderit Ptolomæus Alexandrinus, qui floruit sub Marco Antonino. Certè si tunc vetita fuisset ars, non ei tantam diligentiam impendisset vir summus, nisi velis recurrere ad verba Taciti de Mathema-

ticis: genus hominum, quod in ciuitate nostra semper vetabitur, & semper retinebitur.

Imperatores porrò Diocletianus, & Maximianus, vt est C. de Maleficis l. II. edixére, artem Mathematicam damnabilem esse, & interdictam omninò. *Iulius tamen Firmicus, eam quoq. suis libris illustrare conatus est temporibus Constantini. nam sub Imperio Theodosij Manilium non scripsisse, sed extitisse sub Augusto cum de ipso ag emus, ostendemus.*

Dissimulandum interim non est, videri semper capitale fuisse inquirere de vita Principis, quæ causa est, vt putem dixisse Firmicum Principis genituram nequaquam siderum positura obnoxiam esse. quia scilicet Firmicus voluit professorem sibi cauere ab indagatione genituræ Principis. quamuis sciam Cardanum eò rem deducere, vt doceat genituram Regum pendere à momento, quo conditum est aliquod imperium, vel regnum.

Vates certè videtur fuisse Tacitus, dum dixit Chaldaicam artem Romæ semper vetandam, semperq. retinendam. Nam non vnus ex sanctissimis Pontificibus seuerissimè edixerunt contra huiusmodi professores, opus tamen fuit renouare talia edicta, vt renouata sunt prudentissimè à Sanctissimo Vrbano VIII. cur ita? quia nunquam potuit satis vetari in huiusmodi vrbe, in qua omnibus patet aditus ad magnas dignitates.

De

De M. Fauonio, æmulo Catonis, Stoicisq. addicto.

Cap. XLVI.

IN theatrum philosophicum prodi nunc generose Fauoni, quem iuuit sequi castra Cassij, & Bruti pro libertate Patriæ pugnantium; felicem te voco, dum propositum constantiæ, & laudis plenum respicio, infelicem, dum exitum prælij Philippensis intueor. sed iuuat audire quid locupletes scriptores de te prodiderint. Valerius Maximus, libro secundo, capite vltimo, quod summa beneuolentia, artaq. amicitia fuerit Catoni coniunctus testatur disertè. quod Zenonis Stoam ambiuerit, colueritq. non tacet Tacitus, in XVI. Annal: his verbis. ista secta (Stoica) Tuberones, & Fauonios genuit, *contumaces scilicet, quod Tyrannis non libenter collum submiserint. Tu verò non pœnitendus rigidæ seueræq. sapientiæ mystagogus victus, & captus in prælio Philippensi non illibenter patriæ condamnatæ sanguinem impendisti, & iamiam occidendus liberas voces in Augustum effudisti. Sic enim Suetonius in vita Augusti:* Quare cæteri, & in his M. Fauonius ille Catonis æmulus cum catenati producerentur, Imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdissimo conuitio coram proscinderunt. *Hinc tuam memoriam non dubitaui exiguo, tenuiq. epigrammate prosequi, quamuis ingens, & ornatum mereremis carmen:*

Tu quoq pro patria occumbis generose Fauoni,
Pro patria sanguen fundere non dubitas.

Scili-

Scilicet hoc magnum sophos est, odisse Tyrannos,
Nolleq. seruili subdere colla iugo.

Quid verò de Augusto tui sanguinis effusore dicemus? vbi illa humanitas tantopere scriptoribus decantata, si iubet interfici Catonis æmulum, Stoica sapientia imbutum? Seneca clementiam, quam historici tribuunt Augusto, lassam tam crudelitatem appellaret. Ego verò, quanta soleant per malam necessitatem in bello ciuili fieri etiam atq. etiam cogito, simulq. obitum tuum tam tragicum deploro Fauoni.

De Augusti erga philosophiam, & Arium, Nicolaumq. philosophos affectu. Cap. XLVII.

E*Xpertem philosophiæ fuisse Augustũ non asseret, qui lẽgerit apud Suetonium verba capite LXXIX.* Eruditione varia repletus, Speraci philosophi, filiorumq. eius Dionysij, & Nicanoris contubernium inijt. *in eandem rem Paulus Diaconus sic loquitur lib. XII. dum laudat Theodosium:* habuit à naturæ munere, quod Augustus à philosophiæ doctore. *adeò percrebuerat fama de Augusto, quod operam dedisset magistro in philosophia non indiligentem.*

Vt verò didicit philosophari à præceptore ipse, ita omnes philosophiæ vacare cupiebat, saltem Proceres, & Patricios, dum id permitteret ætas, permitteret negotiorum multitudo. composuit namq. vt refert idem Suetonius cap. LXXXV. hortationes ad philosophiam.

Philosophia porrò in Augusto elucet splendidissimè, quia

summa est complexus beneuolentia Arium Alexandrinum, in quam rem hæc prodeant. Iulianus Imperator in Epistola ad Alexandrinos inquit: fuit autem Arius iste, ciuis quidem vester, amicus autem Augusti, vir philosophia clarus. *Themistij quoq. non negligendum est testimonium in orationibus, quo testatur gratissimum Cæsari extitisse Arium. Plutarchus in Antonio narrat tribus de caussis ignouisse Augustum Alexandrinis, qui secuti fuerant Antonij partes, ob Alexandri conditoris memoriam, ob frequentiam vrbis, ob Arium philosophum. qua de re quid vetat hos fundere versiculos?*

Vrbs quod Alexandri non perditur, hoc Arío
Imputat Augustus: tanti facit arbiter orbis
Arcanæ mystam Sophiæ, Peithusq. medullam.

Nunc aliqua referenda sunt de affectu, quo ille ipse terrarum dominus est Nicolaum Damascenum itidem philosophum prosecutus. sic Plutarchus in Symposiacis libro VIII. quæst. IV. Imperator Nicolaum Philosophum Peripateticum ingenuum prosequens amore suauibus moribus hominem, gracili, & procero corpore, faciem plenam emicãtis punicei ruboris, maximas, & pulcherrimas palmulas Nicolaos nominauit. *Concinit Plutarcho Athenæus libro XIV (dico)* ab Augusto Imperatore hoc nomen (*Nicolaos*) inditum, qui eo admodum delectabatur cibo, quod Nicolaus Damascenus eius amicos palmulas sæpius ad eum mitteret.

Hic est ille Nicolaus, cui aliqui non dubitant tribuere librum de Mundo ad Alexandrum. Sed reclamant alij, qui Aristotelis non patiantur detrahi opus. sic sentit Bonauentura

Vulcanius, quem refutare conatus est Heinsius in orationibus. pro Vulcanio stat Patritius, stant alij.

Quicquid autem sit de eiusmodi doctorum hominum dissidio, ego non censeo fas esse uti tali libro, quasi in eo germana prorsus Aristotelis dogmata in operibus acroamaticis exposita contineantur. quam verò bene de primarijs sententijs Stagiritæ mereatur recentior philosophus, dum dicta Stagiritæ ad librum de Mundo controuersum exigit, ipse, vt acutus est, viderit.

De Athenodoro, cui multum credebat Augustus. Cap. XLVIII.

Athenodorum vt bonum virum, & honestum coactus est laudare Mæcenas in oratione apud Augustum, quæ recitatur à Dione. eius consilijs Imperatorem auscultâsse refert Suidas. fuit Stoicæ sectæ professor. omnibus rebus tam naturæ quam rectæ voluntatis extitit ad philosophiam instructus, præfuitq. aliquandiù splendide discipulis, à Salustio, qui hominem admirabatur igni similis dictus est esse, propinqua omnia incendenti. is tamen Athenodoro persuasit, vt non philosopharetur quod factum videtur post Augusti obitum sub Tiberio. Etenim, vt est apud Suidam, cum Tiberius Augusto in Imperio successisset, adulatores ab Imperatore muneribus, & honoribus affecti, maxima imperia inuadebant. Viri autem boni, & quieti, qui vitam eandem non amplectebantur, non iniuria dolebant eadem non sibi tribui. Ita fiebat, vt vrbes seditionibus, & tumultibus implerentur.

Sed quærere iubet, an in Athenæo doceret Romæ Athenodorus? quod videtur affirmandum quandoquidem dicitur splendidè discipulis præfuisse. Sed eiusmodi præfectura videtur sic accipienda, vt vel eam referas ad vrbem Athenarum, si forte in ea ex cathedra publica docuit Athenodorus, vel dicas ipsum domi Romæ docuisse philosophiam, quemadmodū Iurisconsulti erudiebant iuuenes non in publica schola, sed domi suæ interpretabantur ius Romanum. Neq. enim videntur philosophi antiquis præsertim temporibus docuisse philosophiam Romæ in Athenæo, quod non lego extitisse. sic Medici Alexandriæ cum non docerent publicè, videntur itidem domi suæ præcepta artis tradidisse adolescentibus. legimus enim magnifactos eos, qui Alexandriæ eiusmodi disciplinam assecuti fuissent. In Athenodorum porrò sic iubet scribere:

Lubens Athenodoro
Auscultat Imperator,
Mitisq. frænat iram,
Nec dissipat Quirites
Victos furore Martis.

Ergò canora Vatum
Caterua Athenodorum
Extollat, inseratq.
Astris, choroq. Diuûm.

Cum autem in Catone Vticensi diximus Athenodorum Stoicum Pergamo adductum Romam, erit fortasse qui putet hunc eundem postea innotuisse Augusto, eiq. carum fuisse. Sed duos fuisse Athenodoros vix dubitandum videtur; nam Athenodorus ille Pergamo adductus à Catone iam tunc senescebat, teste Plutarcho. Non ergo potuisset tamdiu superesse, vt versaretur cum Imperatore Augusto post profligata altera ciuilia bella. sic ergò inuenimus duos celebres philosophos Stoicos eiusdem nominis, quod tamen obseruatum apud Interpretes antiquitatum Romanarum non memini.

De

De Athenæo, & Xenarcho, qui floruerunt sub Augusto. Cap. XLIX.

STatum Philosophiæ sub Augusto dum memoramus, præterire fas non est Athenæum è Seleucia Ciliciæ virum clarum in philosophia Peripatetica, versatum etiam in Republica, quandoquidem rexit suos ciues. is contracta cum Muræna amicitia cum illo fugiens captus est, cum insidiæ contra Cæsarem Augustum deprehensæ fuissent. Sed cum insons esset inuentus, à Cæsare dimissus est: Rediens autem Romam multis eum salutantibus, & interrogantibus illud Euripidis respondit: Aduenio ab imis atq. cęcis inferûm Tenebris.

Breue autem tempus superuixit, à ruina domus, vbi habitabat, per noctem oppressus. hæc omnia leguntur apud Strabonem lib. XIV.

Nec omitti debet Xenarchus, cuius fuit auditor Strabo Geographus. is elegit vitam docendi Athenis, Alexandriæ, & tandem Romæ, primum Arij, postea Cæsaris Augusti amicitia vsus, vsq. ad senectutem in honore habitus sed paulò ante obitum visu orbatus, morbo vitam consummauit, quæ nobis tradita sunt ab eodem Geographo lib. XIV.

Intelligimus si Xenarchus Romæ docuit sub Augusto, inq. honore est habitus, non auscultasse Augustum Mæcenati suadenti, vt missos faceret philosophos tanquam seditiosos.

Sed ijs, quæ hactenus tam de Athenæo, quam Xenarcho protulimus, addamus aliquid, non silentes Athenæum hunc non confundendum cum doctiss. illo medico eiusdem

nominis, quem laudat, & citat Galenus in suis operibus fuit & alius Athenæus sophista Naucratita, de quo Suidas, quiq. librum eruditissimum Dipnosophistarum composuit, & euulgauit sub Antonino.

Xenarchus autem etsi profiteretur se esse Peripateticum, non dubitauit tamen contra Aristotelem defendere, non dari quintam substantiam, distinctam à quatuor elementis. qua de re multa profert ex Alexandro contra eundem Xenarchum Simplicius in primo de Cœlo.

Iulianus Imperator in orat. de Deûm Matre inducit Xenarchum differentem contra Aristotelem de quinto corpore, & de Intelligentijs. verisimile autem est sermonem esse Iuliano de eodem Xenarcho. nam ait se audiuisse quendam Peripateticum solertem, vt Xenarchum. is argumentabatur ex antiquo Xenarcho contra Aristotelem. Scio aliter accipi verba Iuliani ab eruditissimo Petauio, sed mihi eius non placet interpretatio.

Quatenus Mæcenas apud Augustum commendârit, aut vituperauerit Philosophos. Cap. L.

Q*Vod Augustus non valde fauerit philosophis, id forte quis probauerit ex oratione Mæcenatis apud Dionem lib. LII.* philosophiam profitentes haud pauci faciunt (mentiendo hominibus rerum nouarum tentandarum causam præbent) *verisimile namq. est Augustum secutum Mæcenatis consilium, vt res ipsa testari videtur. Respondendum est, Dionem ipsum testari*

non

non in omnibus prorsus se ita gessisse Augustum, ut suasit Mæcenas. Addiderim mox Mæcenatem postquam locutus est de philosophis, subiungere expertum fuisse Arium, & Athenodorum bonos ac honestos viros. Interim negare non possumus cupiuisse Mæcenatem ab Augusto obseruari eos, qui se philosophiæ nomine venditarent populo, dum inquit: ca- uere te iubeo *philosophos*. Neq. enim quia Arium, & Athenodorum bonos ac honestos viros expertus es, omnes alios idem studium præ se ferentes, similes eorum iudicare debes, quum hac specie viri multi, infinita mala populis, priuatisq. hominibus adferant. *quæ an vere a Mæcenas protulerit, ambigere licet, ut licet de tota illa oratione, quam finxisse videtur Dio, & tanto viro affinxisse. loquitur enim cum Augusto Mæcenas ac si pædagogus instrueret adolescentem, quam verò falsum philosophos eo tempore consueuisse infinita mala adferre populis. respexisse potius videtur Dio ad sequiora, & posteriora tempora, in quibus reperire est querelas contra Philosophos.*

De Strabone Geographo. cui sectæ fuerit addictus? Cap. LI.

TE quoq. commemorat, Strabo, Parnassia rupes,
Inq. domos Superúm carminis ales agit.
Namq. Augustæos auxisti lumine fasces,
Doctaq. clarasti tempora Romulidum,
Dum terras tractusq. maris, montesq. sinusq.
Et dixti exacto cuncta fluenta opere,

Quod

Quod Phlegethonteus tūc correptum obruet humor,
Cum disiecta cadet Regia Cœlituum.

Constat temporibus Augusti floruisse Strabonem, qui cum doctissimum de Geographia reliquerit opus, ad philosophiam Romanam debere eius referri nomen, nemo sanæ mentis infitias ibit. Nam quæ disciplina orbem terrarum describit, pars procul dubio philosophiæ est, cum præsertim satis constet philosophiæ haud ignauam nauatam esse operam à Strabone. audiuit scilicet Xenarchum Peripateticum, ut ipse testatur lib. XIV. cumq. Boetho Sidonio se exercuit in eadem philosophia Aristotelis, qua de re non sinit nos dubitare lib. XVI. suscepit discendi videndiq. causa peregrinationem in Ægyptum atq. aliò. philosophorum autem propè proprium fuit comparandæ sapientiæ causa orbem terrarum perlustrare, qua de re libellum etrusco sermone conscriptum propediem euulgabo.

Si verò quæras, cui sectæ philosophorum addictus fuerit, video ambigi posse in danda responsione. Nam si præceptores habuit Peripateticos, & in Lyceo se exercuit, videtur inter Peripateticos recensendus.

Sed alia sunt, quæ suadere videntur eum fuisse Stoicum. nam Zenonem lib. XVI. suum vocat, & alibi Stoicos, nostros. noster, *inquit,* Zeno, nostri Stoici.

In primo libro asserit sidera exhalationibus nutriri, quod proprium est Stoicorum, ut patet etiam ex Cæsaribus Iuliani Imperatoris.

Alibi memorat Prouidentiam, quam profitentur, & agnoscunt Stoici, non autem Peripatetici, quandoquidem Aristoteles in XII. Metaph. tradidit primum Motorem

torem præter seipsum nihil nosse.

Alio loco meminit fati, asseritq. multa fieri fato, quorum causa reddi nequeat.

Quæ satis superq. ostendere videntur Stoicum fuisse Strabonem. nam potuit habere præceptorem Peripateticum, & deinceps approbare dogmata Stoicorum, cum alibi dixerim in hoc ipso opere nouum non esse, ut discipuli deserant placita præceptorum.

Sed quid dicemus de Fr. Patritio, qui opus Geographicum, quod hodie extat, detrahit Straboni, tribuitq. Stratoni, quem asserit vixisse sub Tiberio, & scripsisse libros XVII. Geographiæ?

Puto decipi Patritium. nam Plutarchus bis citat Strabonem in Historia. Strabo autem qui hodie legitur libro I. testatur se scripsisse historiam: Ergò Strabo, non Strato scripsit Geographiam. adde interpretem Dionysij Afri perpetuò citare Strabonem non Stratonem. Neq. vllus vsq. ad Patritium credidit Stratonem scripsisse libros Geographiæ, quos legimus.

Nec facessit negotium Suidas. nam absq. dubio ignarus aliquis librarius pro Strabo, scripsit Strato. at qui scribendum erat Strabo. nam memorauerat Strabonem Amasiensem, & Geographum. Scimus apud Suidam bis, aut ter describi vnum eundemq. auctorem, quia idem Suidas sua excerpebat vario tempore ex varijs scriptoribus secundum ordinem Alphabeti.

At inquit Patritius, qui vixit sub Tiberio, non potuit nouisse Posidonium Stoicum, discipulum Panætij. respondeo, Strabonem nusquam dicere se nouisse Posidonium, cau-

tum est Posidonium fuisse illo tempore eruditissimum philosophum. non autem est necesse, vt qui appellat aliquem clarum suo seculo, eum viderit. nam seculum est spatium centum annorum. non ergò rectè accepit verba Strabonis Athenaeus.

De M. Manilio, qui sub Augusto de Sphæra, & siderali disciplina scripsit. reijcitur opinio Geuartij. Cap. LII.

ASTRONOMICORUM libros scripsit M. Manilius, cuius optimum exemplar depromptum fuit ex bibliotheca Palatina à F. I. & illustratum obseruationibus Iosephi Scaligeri, in quibus tamen videtur aliquando se corrigendo, & nonnulla inuertendo gerere, more iam passim recepto. Neq. enim quisquam sperat se posse de aliquo scriptore bene mereri, nisi multa ex proprio etiam iudicio absq. ope manuscriptorum immutet. sed ad rem. Caspar Geuartius vir eruditus in suis collectaneis ad Statium ausus est Manilium ad tempora Theodosij, & Arcadij referre, non dubitans asserere Manilium esse Manlium Theodorum, quem suis versibus ornauit Claudianus. Sed eiusmodi effatum prorsus verisimile non est etenim si quis accuratè legat totam Astronomiam Manilij, nullum obseruabit vestigium, quod tempora Theodosiana sapiat. omnia verò concinunt temporibus Augustais. Statim enim in principio dicit:

Nunc mihi tu Cæsar patriæ princepsq. paterq.
Qui regis Augustis parentem legibus orbem,
Concessumq. patri mundum Deus ipse mereris.

Quis

Quis nescit Augustum appellatum patrem patriæ? nec poeta vocasset Christianum Imperatorem, Deum. saltem hæc verba magis conueniunt Augusto, quam ulli alij. sub finem porrò eiusdem libri primi apertissimè ostendit se vixisse Augusti seculo. nam postquam locutus est de bello Actiaco, deq. bello gesto contra filium Pompeij in Siculo mari, subijcit:

Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant.
Atq. adamanteis Discordia cuncta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clausa.
Sit pater inuictus patriæ, sit Roma sub illo,
Cumq. Deum Cœlo dederit non quærat in orbe.

Quæ discordia tempore Theodosij erat compescenda? rectè enim discordiam appellat inter ciues, aut sanguine iunctos nam bellum in externos non vocatur discordia. si allocutus fuisset aut Theodosium, aut vnum ex filijs, debuisset narrare barbarica bella, & subijcere:

iam bella quiescant.

Nec pronunciasset Imperatorem Deum *esse datum cœlo. an etiam Chaldæorum disciplina, in qua fatum asseritur, tolliturq. arbitrij libertas, oblata fuisset Christiano Cæsari, qui à talibus absq. dubio abhorrebat? vide quæ habet Manlius lib. IV. p. 86. prorsus contraria pietati Christianæ. At inquit, Geuartius, Manlius Theodorus de Sphæra scripserat. sit ita. at non scripsit de Chaldæorum disciplina scrutante euentus hominum ex inspectione siderum. quam diuersum etiam est nomen. noster in omnibus exemplaribus appellatur M. Manlius, ille* Manlius Theodorus. *quis talia nomina inter se patiatur confundi, cum præsertim non*

praeant manuscripti? sed rursus est molestus Geuartius, & ait eum vocabulum, quanti, vsurpasse, pro quot, quod inualuit sequiori seculo. verum ex significatu vnius vocabuli paulo aliter accepti velle dubitare de seculo alicuius, Auctoris imbecillitatis est specimen. Cum enim quantum significet quantitatem continuam mirum non est si translatum fuerit ad significandam discretam, & ipse Manilius seculo quamuis Augustæo sic vsurpauerit. ipse profectò Ouidius in multis suæ libertati indulsit, quæ tamen in auctoritatem ob vetustum seculum abijt.

Expedita de seculo, quo vixit Manilius, controuersia, transeo ad Epigramma, quo tantum poetam, imò Astronomum prosecutus sum:

Stellarum scrutantem ortus, obitusq. tulerunt
Principis Augusti tempora Manilium,
Qui casus vitæ aduersos, cursumq. secundum
Astris inscribit, sidereoq. polo.
Inde etiam virtutis iter, præclaraq; facta
Deducit, vitijs quin alimenta petit.
Nequicquam. nam pulchra animum sapientia munit,
Atq. hominem impellit quo vocat arcta via.

Magnum instar Philosophiæ existimâsse Romanos esse Homerum. Cap. LIII.

HOmerum quisquis primus intulit Romæ, ua ille magnum, imò præcipuum instar philosophicæ sapientiæ adportauit, vt nunquam caruisse philosophia dici possit vrbs

dom-

domina gentium, postquam cœpit in suo fouere sinu tantum scriptorem. Certè qui supra vulgus sapere conabantur, in primis Homeri scripta sibi cognoscenda existimabant. Ipsi Imperatores eum sibi reddiderunt familiarem, vt è renata sententias ex ipsius poesi depromere possent. Horatius certè lib. I. Ep. II. ait se Præneste relegisse Troiani belli scriptorem:

Qui quid sit pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid nõ
Planius, ac melius Chrysippo, ac Crantore dicit.

Plutarchus in libro de Homero: deprehendimus philosophiæ initia ac semina Homerum scriptis suis interuisse.

Prosequitur deinceps multa, ostendit putasse Homerum omnia orta ex aqua, dum dixit:

Præbuit Oceanus cunctis primordia rebus.

Xenophonius Colophonius dum asseruit principia rerum esse aquam, & terram, videtur id hausisse ex verbis illis:

Vos verò in terram cuncti redigamini, aquamq.

Proponit alia non pauca de philosophia Homerica, quæ legi possunt magno cum fructu. Maximus Tyrius in suis dissertationibus philosophicis quam frequenter sua tuetur dicta auctoritate Homerica. quod facit quoq. Themistius, qui sic pronunciauit de diuino viro, vt ipsum appellauerit primum parẽtem, auctoremq. Platonis & Aristotelis sermonum. *Dionysius autem vocat* verticem omnium, & quasi scopum, ex quo cuncta flumina, cuncta maria, cuncti fontes. *Quintilianus:* in verbis, sententijs, figuris, humani ingenij modum excedit: vt magni viri sit virtutes eius nõ æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. *Velleius*, quod neq. ante

illum,

illum, quem ille imitaretur: neq. post illum, qui eum imitari posset, inuentus est.

Apparet Synesio summo viro perquam familiarem fuisse Homerum, vt propterea ab aliquibus Homericus appellatus fuerit.

Paucis dicam: quemadmodum nos Christiani familiares nobis reddimus Sacras litteras, & frequenter eas in ore habemus, ex quibus petimus probationem eorum quæ probatione indigere videntur: Ita Romani, Græci, philosophi, Oratores se tuebantur plerumq. Homerica auctoritate, quod verum esse dubitare non potest, qui hospes non est in scriptis Veterum.

Quod protuli vt intelligeremus, non destitutam Romam philosophia, ex quo cœpit habere, & cognoscere Homeri diuina scripta. quid quod Strabo lib. I. inter philosophos primum locum tribuit Homero, & Porphyrius scripsit librum quo probat Homerum esse philosophum, etsi liber ille perierit. Eat nunc Tassonus, eat Floretus, eant alij & laxent habenas linguæ, conenturq. Homerum, vt ignarum mendicabulum conterere, & explodere.

De Tiberij præceptore Trasyllo. an philosophiæ operam dederit idem Tiberius? Cap. LIV.

Tiberius in siderali scientia, quæ euentus hominum scrutatur multum operæ, & temporis collocauit, cum quasi exul versaretur in insula Rhodo. Tunc explorauit, atq. reipsa deprehendit, quantus in huiusmodi disci-

plina

plina esset Thrasyllus, vt propterea eum arcanorum suorum deinceps voluerit esse conscium. Sed lubet Taciti verba audire in VI. Annal. interrogatur *Trasullus*, an suam quoq; genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. ille positus siderum ac spatia dimensus, hærere primò deinde pauescere, & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, postremò exclamat: ambiguum sibi, ac prope vltimum discrimen instare. *Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum, & incolumem fore gratatur, quæq. dixerat oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet. sub quo etiam præceptore profecit in scientia Chaldæorum tam feliciter, vt Galbæ seram ac breuem potentiam prædixerit. sic enim ipsum est allocutus:* & tu Galba quandoq. degustabis Imperium.

Paulò aliter de Trasyllo scribit Suetonius in Tiberio cap. XIV. Trasyllum quoq. Mathematicum, quem vt sapientiæ professorem contubernio admouerat tunc maximè expertus est, affirmantem naue prouisa gaudium afferri eum quidem illum durius, & contra prædicta cadentibus rebus, vt falsum, & secretorum temere conscium, eo ipso momento, dum spatiatur vnà, præcipitare in mare destinâsset. *hæc ille.*

Trasyllum inter auctores, atq. etiam Medicos memorat Plinius. Iulianus Imperator in Epistola ad Themistium, indicat alia quoq. à Trasyllo exarata fuisse, sicq. purgasse famam suam à labe, quæ ei poterat aspergi, quasi ambitiosus vtq. honores adipisceretur, sectatus fuerit crudelem illum

Ty-

Tyrannum. quin coactus est cedere tempori, & Imperatori obtemperare, ex qua tamen familiaritate exiguum percepit emolumentum in Thrasyllum sic poetice ludo:

Viuida Trasylli solertia templa Tonantis
Scandit, & astrifero ducit ab orbe sophos.
Dinumerat Stellas, humanos prospicit actus,
Fataq., Coelituum Regia iussa, notat.
Hinc Nero, qui astrorum consultos mergit in vndis,
Et vafra varios detegit arte dolos,
Vnum hunc haud dubitat socium sibi iungere dextra,
Et donare arctæ munere amicitiæ.

Num verò philosophiæ dedit operam Rhodi, sideralem scientiam si excipias, Tyberius è hæreo, nescius an præter Rhetoras ibi philosophi quoq. profiterentur. sic enim Suetonius cap. XI. in Tiber. Cum circa scholas, & auditoria professorum assiduus esset, moto inter antisophistas iurgio. *Sed Sophistæ sunt Rhetores. cap. XXXII. facit idem historicus mentionem Diogenis Grammatici, qui Rhodi docebat, cum ibi moraretur Tiberius. cap. LVI. memorat Tranquillus conuictores Græculos, quibus maximè acquiescebat, agitq. de Zenone relegato Ænariam, & Seleuco grammatico ad mortem adacto. sic nihil disertè proferre de philosophis licet.*

De Babillo equite Romano, præfecto Ægypti. Cap. LV.

N*Escio an Babillum ijs accenseam, quibus Romana se iactat philosophia. non enim disertè possum dicere,*

an

an philosophus fuerit. fuit tamen cultissimus omni genere literarum, præfuit Ægypto, & nonnulla scitu d.gna literarum monumentis mandauit. Eius meminit Seneca perhonorifice in opere quæstionum Naturalium his verbis: Babillus virorum optimus, in omni literarum genere rarissimus auctor est cum ipse præfectus obtineret Ægyptum. *quando potissimum vixerit, dicere non est, sed satis, constat vixisse aut sub Augusto, postquam in prouinciam redacta est Ægyptus, aut post Augustum, ante tamen Neronẽ. Scimus enim ab Augusto cæpisse mitti in Ægyptum non Senatorij ordinis viros sed equites eam ob causam quam reperire est apud Tacitum in II Annalium, quamq. ego exposui latius lib. I. mearum expositionum iuridicarum, quas edidi Florentiæ typis Sermartellianis. Romanus igitur fuit Eques Babillus notus absq. dubio Senecæ, cum ab ipso virorũ optimus appelletur. quid verò prodiat de Nilo ipse Narrat* Heracleotico ostio Nili, quod est maximum spectaculo sibi fuisse delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine aduersum agmen agentiũ, velut pro partibus prœlium. Crocodilos ab animalibus placidis morsu innoxijs victos. *Crocodilis superior pars corporis dura, & impenetrabilis est, etiam maiorum animalium dentibus, at inferior mollis, ac tenera, hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, subinersi vulnerant, & in aduersum enixi diuidunt.* lib. 4. cap. 2.

De Canio Iulio philosophici roboris viro sub Caio Caligula. eius mors generosa expenditur. Cap. LVI.

cap. 14

TEmporibus quoq. Caij Caligulæ vixit vir inprimis magnus Canius Iulius, de quo agit Seneca de tranquillitate vitæ. Magnus ideò quoq. quod generosa, & robusta philosophia imbutus esset, contemptor propterea mortis, & de immortalitate animorum non prorsus male sentiens cum Stoicis, qui saltem magnorum virorum animas interitus expertes existimabant, cum deberent omnes eximere interitui cum Platone. Sed vide quam impauidum Canium fecerit sapientia aduersus mortis horrorem. Ludebat latrunculis, cum centurio agmen periturorum trahens, & illũ quoq. citari iubet. Vocatus numerauit calculos, & sodali suo: Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. *Tale quid refertur ab historicis superioris seculi de Magno Principe, cui ludenti cum nunciaretur mors, ipse prorsus non turbatus perrexit ludere, mortem omninò contemnens. sed accipiamus specimen Canianæ philosophiæ. allocutus iam iam moriturus, sic est tristes amicos:* Vos quæritis an mortales animæ sint. Ego iam sciam, nec desijt in ipso veritaté fine scrutari, & ex more suo quæstionem habere. *sic genere non dubitarunt se in extremo momento vitæ constituti, vt de immortalitate animorum loquerentur. id de Iuliano Imperatore refert Ammianus Marcellinus, egoq. id obseruaui in meo libro de philosophia Iuliani. aderat enim Imperatori Maximus philosophus. sic videtur locutus Thraseas Pætus, cum exhalaturus esset,*

animam, habens oculos intentos in Demetrium Stoicæ sapientiæ professorem. Sed pergamus in recensendo exitu philosophico Canij. Philosophus illum prosequens ad locum, cum non esset procul tumulus, in quo Caio quotidie fiebat sacrum de sanguine (vt puto) ciuium Romanorum; quid, inquid philosophus, Cani nunc cogitas, aut quæ tibi mens est? obseruare inquit Canius proposui velocissimo momento an sensurus sit animus exire se. promisitq. si quid explorâsset circumiturum amicos, & indicaturum quis esset status animarum. *quæ narratio mihi reuocat in memoriam pactum initum inter Marsilium Ficinum, & Monardum, vt qui prior decederet, rediret, & amico nuntiaret, quis status animarum. obijt prior Monardus, apparensq. Marsilio hæc verba protulit: vera sunt ò Ficine, quæ de immortalitate animarum disserebamus. quod factum sibi sumpsit literarum monumentis commendandum vir Magnus Baronius.*

De Philone Iudæo, qui Romæ sub Caio functus est legatione. agitur de eius allegorijs, deq. dogmatibus potius Platonicis, quam Mosaicis. Cap. LVII.

QVandoquidem legationẽ pro Hebræis obiuit ad Caium Principem Philo, fas erit eum ad Philosophiam Romanam referre, quoniam ipse Romam vidit, Romæ legatus aliquandiu hæsit. opera non pauca reliquit, in quibus non solum elegantia, copiaq. orationis est suspicienda, sed inprimis indaganda contemplatio philosophica cum se-

ria, tam docta, ut quid fieri magis serium, magisq. doctum possit, vix despiciam. in allegoriis quam acutus, quam ingeniosus existit. Sed danda nobis opera est, ne tales allegoriæ extra lineas euagentur, veritatemq. historicam traditam à Mose concutiant, atq. euertant. ipse namq. Gentium doctor Paulus quandoq. allegoriarum ansam est amplexus, ut videre est in Epistola ad Galatas, & Corinthios, non interim veritatem ipsam rerum gestarum pessum dedit. at Philo sic excolit allegorias, ut nihil nisi allegoriam in narratione Mosis videatur deprehendere eiusmodi allegoriæ ad Essæos, tanquam primos autores referendæ sunt. Neq. enim omnes Iudæi eas sunt complexi. Non Pharisæi, non Sadducæi, qui tamen apud Iudæos magnifiebant. Eò autem usq. sunt progressi nonnulli etiam inter Christianos, ut literam siue sensum historicum putarent supprimendum, resq. gestas insuper habendas. Princeps talium interpretum habitus est Origenes, qui non rectè huc trahit dictum S. Pauli pronunciantis literam occidere, spiritum autem vitam ingerere. intereunte porrò cœtu Essæorum videntur prorsus apud Iudæos euanuisse allegoriæ. nam Rabbini Cabalam sectati talia non solent depromere.

Quis porrò non miretur Philonem de Messia, quem Regem fatidici Vates sunt polliciti, nusquam, quod sciam, locutum?

Illud dissimulandum non est de Philone quando agitur eum sic hausisse dogmata Platonis, ut talibus opinionibus imbutus transuersam rapuerit Mosaicam sapientiam. Certè ut Iudæi olim reprehensi sunt, quod Gentium more sese gererent, & multa de tali superstitione traherent, id pro-

ferri

ferri debet de Philone, qui Mosen ad Platonis Academiam trahere satagit. Nonne psalmo centesimo secundo ait Dauid perituros Cælos ab initio à Deo conditos? Philo tamen integro libro conatus est ostendere Platonem secutus, mundum incorruptibilem esse, nunquamq. periturum, quod etiam secundum religionem Christianam asserere non possumus. Christus enim dixit: Cœlum, & terra transibunt. & Iohannes in Reuelatione dicit, se vidisse Cælum nouum, & terram nouam.

Quid quod idem Philo videtur satis disertè tradere materiam siue terram rudem à Deo ex nihilo non fuisse creatam, sed Deum ea vsum ad condendum mundum, quod dixerunt etiam Stoici, & docuit Hermogenes, qui forte suum dogma de terra increata, deq. materia hausit ex scriptis Philonis Atqui Tertullianus contra eundē Hermogenem docet ipsam quoq. terram ex nihilo à Deo conditam.

Platonici porrò de Materia satis obscurè locuti sunt, quandoquidem non putauerunt Materiam fuisse ante Mundum, cum tradant mundum ab æterno à Deo emanásse. quamuis apud Plutarchum longè res aliter explicetur secundum Platonicos.

Idem Philo videtur docere solem, atq. astra reliqua Deos esse, intelligentia præditos, quod Platonicum est, Mosaicæ doctrinæ de Deo vno prorsus contrarium.

Ergo qui legunt Philonem sciant ipsum magis adhærere Platoni in multis rebus, quam Mosi, atq. adeo sibi caueant.

De

De liberalibus studijs Claudij Imperatoris. Cur ei nihil profuerint? Cap. LVIII.

Liberalibus studijs ab ineunte ætate cum impense addictus fuerit Claudius, nemo dubitabit philosophiam quoq. ab ipso excultam. sic Suetonius cap. III. in eius vita: Disciplinis tamen liberalibus ab ętate prima non mediocrem operam dedit, ac sæpe etiam experimenta cuiusq. publicauit. *cap. XL. asserit neq. indoctum, neq. infacundum fuisse:* & liberalibus studijs pertinaciter deditum. *hinc adeò factum, ut valde multa scripserit, in quibus necesse est admixta quædam ex philosophia, Ciceronis nempe defensionem contra Asinium Pollionem, libros XX. Tyrrhenicon, & Carchedoniacon VIII. quæ recitabantur quotannis in veteri Musæo Alexandriæ, quod Musæum videtur fuisse philosophis addictum, ut colligitur ex Adriani vita, de qua suo loco agemus.*

Scripsit quoq. de sua vita octo volumina, forte æmulatus Augustum, de quo Suetonius cap. LXXXV. scripsit aliqua de vita sua, quam tredecim libris Can abrico tenus bello, nec vltra exposuit. *quod exemplum postea secuti sunt alij Imperatores, inter quos nominare hic licet Hadrianum, & Septimium Seuerum, & philosophum Marcum. vita tamen Hadriani, & Septimij perijt, sed quæ de se ipso exarauit Marcus adhuc supersunt, dignissima profecto quæ nunquam deponantur ex manibus studiosorum, ex quibus etiam suo loco, quando de Marco agemus, depromam. sed dices, in ijs nonnulla periculo non carent, nam ait*

alicu-

alicubi se prorsus contemnere dæmonum adiurationes, accusat etiam Christianos, quod ruant temere in mortem, & supplicia contemnant. facilis est responsio. nam quis ex scriptoribus gentilibus non dicit aliqua, quæ lectorem simplicem possint turbare? sed iam cum superstitio antiqua euanuerit, facile talia contemnuntur. nam quod adiuratio Dæmonum non esset impostura, res ipsa docuit. Christiani enim eiusmodi miraculis errorem gentium profligârunt, & pro sua religione non dubitârunt sanguinem effundere. hinc concidunt, quæ profert Marcus. sed ad Claudium vt reuertamur, cum ipse stultus fuerit, & ineptus, ea forte de causa censuit Agrippina eius vxor philosophiam imperaturo esse inutilem, imò noxiam, si credendum est Suetonio, vt infra dicemus, hincq. ipsa noluit suum Neronem philosophiæ incumbere.

Sed ideò nihil profuerunt liberalia studia Claudio, quòd natura eum inutilem, & mancum fecisset, & prorsus ineptum, quod satis superq. norunt, qui Suetonium legerunt.

De Annæo Cornuto, quem Nero relegauit. Cap. LIX.

SVb Nerone floruit Annæus Cornutus, cuius amicitia Persius ita vsus est, vt nusquam ab eo discederet, à quô introductus aliquatenus in philosophia est, vt referunt glossæ Veteres in eundem Persium. fuit autem Stoicæ sectæ addictus idem Cornutus, de quo hæc apud Dionem in Nerone:
Cogitabat (*Imperator*) de gestis Romanorum versibus scri-

scribere, quum tamen euolueret magnum numerum librorum antequam aliquid eorum componeret. Qua in re, adhibebat Annæum Cornutum virum illis temporibus doctrina, & eruditione clarissimum: quem tamen parum abfuit, quin interfici iusserit. in insulam certè relegauit propterea quod nonnullis existimantibus, quadringentos libros à Nerone scribi oportere nimium multos esse dixit. quumq. alius quidam obijceret, Atqui Chrysippus quem tu laudas, & imitaris, multò plures composuit, illos vtiles esse vitæ hominum respondit. huius rei causa exilio multatus est. *Si Cornutus imitabatur Chrysippum, profectò Stoicus erat; Et certè Stoica dogmata sapiunt satyræ Persij, qui institutus est à Cornuto. Pauci autèm omni tempore extiterunt qui eruditioné coniunxerint cum philosophia quos inter memorare est Longinum, Porphyrium, & Cornutum. Propterea enim eius iudicium exquirebat Nero; quia norat esse eruditissimum.*

Dices, non videri fuisse Stoicum, quandoquidem Persius inquit:

teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.

Respondendum est, etiam Stoicos è Socratis schola, tanquam ex equo Troiano, produsse. nam inter Socratis discipulos Antisthenes: huius Diogenes, præceptor Crateris Thebani, quo vsus Doctore Zeno. adde omnem Moralem philosophiam à Socrate profectam. Ergò Socraticus sinus est institutio in morali philosophia. nunc fortè expectas lector, vt meo more poeticis verbis venerer Cornutum. respondeo

tuo voto, si tamen respondeo, quem iam tenuiter scribo.

Quisquis Principibus iucundum obtrudere palpum
  Abnuit, & Verum dicere durus amat,
Exeat ex aula. Regalia limina vitet,
  Inclusus Sophien, Pieridasq. colat.
Nam Nero Cornutum cultorem Palladis vrbe
  Eijcit, & Gyaris consenuisse iubet:
Laudibus in cœlum quod tollere carmina nollet,
  Quæ Phœbo haud dextro fecerat ipse mala.

De Alexandro Ægeo Peripatetico præceptore Neronis. Cap. LX.

P*Raeceptorem habuit Nero, qui vocabatur Alexander, de quo Suidas:* Alexander Ægæus, philosophus peripateticus, præceptor Neronis Cæsaris, vna cum Cheræmone philosopho filium habuit nomine Cælium. Hic Neronem vocabat lutum sanguine maceratum. Malorum discipulorum, vt opinor, peiores fuerunt Magistri: virtus enim doceri, & vitium excoli potest. *Dubitet aliquis an talem præceptorem habuerit Nero, cum scribat Suetonius cap. LII. quod mater eum auerterit à Philosophia, monens imperaturo contrariam, cur ergo et admouit Senecam? respondendum Neronem iam virum fuisse, cum ab exilio reuocaretur Seneca. verba porrò apud Suidam:* Lutum sanguine maceratum, *prolata sunt de Tiberio, narrante Suetonio cap. LVII. Theodorus Gadareus Rhetoricæ præceptor in obiurgando subinde appellans eum: lutum à sanguine maceratum. potest tamen*

men fieri, vt Alexander imitatione Theodori sic allocutus fuerit Neronem.

Sed id, quod subiungit Suidas de Magistris falsum est. nam Neronis praeceptor Seneca fuit optimus vir, pessimi Imperatoris Magister. Quid dicam de Quintiliano? deq. aliis? quis dubitet bene educatum fuisse Commodum, qui tamen prorsus degenerauit à parentis optimi moribus, vt taceam de Caligula praestantissimi patris deterrimo filio.

De Cynico Demetrio, qui vixit sub Caligula, Claudio, & Nerone. obiter de more illustrium virorum, quando sunt morituri. Cap. LXI.

INfelicia fuerunt tempora, quibus imperauit Nero. non tamen suacaruerunt felicitate, quandoquidem magna Virtutum exempla tulerunt, & non pauci ad robur philosophicum generosa indole dignum pertigerunt, quos inter Demetrius Cynicus, cuius sententias ex ore haustas suis scriptis inserit Seneca. lib. itaque VII. de benefi. cap. I. refert ipsum dicere solitum, plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi, & in vsu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. *eiusdem libri cap. IX. inducit eundem grauissimè disserentem, mox q. in principio cap. XI. de ipso subiungit: cum Caius Caesar illi ducenta donaret ridens, reiecit, ne dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur. ingentem rem ab illo se audiuisse inde narrat Seneca, cum miraretur dementiam eius, quod se putasset tanti*

canti posse mutari: si tentare, *inquit*, me constitueras toto illi sui experiendus imperio. *vides sub C. Caligula innotuisse sapientiam Stoicam Demetrij, ad cuius laudem illud referendum, quod est apud Tacitum XIV. Annal. Thraseas scilicet accepto mortis arbitrio, supremæ uitæ iam vicinus*, maximè *fuit* intentus *Demetrio* Cynicæ institutionis doctori, cum quo de natura animæ, & dissociatione spiritus corporisq. *inquisiuit. solent namq. viri magni mox obituri lubenter seipsos solari argumento ab immortalitate animæ petito. sic Socrates se gessit, vt expressum reliquit diuinus Plato in Phædone. & Cato Vticensis vltimus libertatis Romanæ vindex cum statuisset se occidere ne viuus veniret in potestatem Cæsaris, bis Phædonem Platonis legit.*

Introductus est in cubiculum Demetrius, postquam accepisset Thraseas Senatusconsultum, doleo autem non superesse narrationem totam Taciti de morte summi viri. desinit enim in hæc verba: Post lentitudine exitus graues cruciatus afferente obuersis in Demetrium.

Demetrij quoq. fit mentio apud Philostratum in vita lib. 4. *Apollonij, quando describitur eiusdem Apollonij aduentus Romam tempore Neronis. Narrat historicus cum celebraretur magna pompa dies festus, Demetrium ingressum in templum disseruisse aduersus vsum balneorum. ijs enim potius fœdari, & polui corpora, quam lauari hominesq. eiusmodi more fieri effœminatos, & molles. quam sententiam videntur etiam approbasse veteres Christiani, qui seueritatem professi non ita balnea frequentabant, ne viderentur molliter, & delicatè viuere. Tacitus tradit balneorum*

inuectum Britannis vsum vt frangeretur ipsorum robur, sicq. lubenter Romanum ferretur iugum. Non dissimulat autem Philostratus magnopere offensas fuisse aures populi Romani oratione Demetriana habita aduersus balneorum vsum, parumq. abfuisse, quin à furore concitatæ plebis interimeretur. Etsi autem euaserit incolumis, non tamen expers pœnæ prorsus fuit, actus in exilium iussu Tigellini ob dissertationem contra balnea.

De Cœrano, aut etiam Clarano.
Cap. LXII.

lib. 14. C*Oeranus fuit Græci generis philosophus. eius meminit Tacitus in An. quando agit de Plauto morituro, cui fuerint auctores opperiendæ mortis Cœranus, & Musonius. Plinius in indice lib. II. inter scriptores, quos delibauit, recenset Cæranum. incertum an intelligat de isto. Porrò est Claranus, quem tantopere laudat Seneca lib. I. Ep. LXVI. condiscipulum suum, quem vidisse se ait post multos annos, viridem animo, ac vigentem, & corpusculo suo colluctantem. apparet fuisse turpi corpore præditum. nam ibidem inquit Seneca,* miq; se naturam gessisse & talem animum malè collocasse. *aut voluisse ostendere posse ingenium fortissimum, ac beatissimum sub qualibet vite latere. subiicit sibi errare videri Virgilium, dum scribit:*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Quod si ages Claranum esse eundem cum Cœrano, saltem facilius potuisse, & debuisse enumerari, dum agitur de philosophia apud Romanos.

Stoi-

Stoicum fuisse Thraseam Pætum. Cap. LXIII.

Multa clamant studiosissimum fuisse Stoicorum Thraseam Pætum, de quo tam honorificè loquitur Tacitus, vt dicat Neronem cum vellet interficere Thraseam, cogitâsse ipsam exscindere virtutem Annal.lib. XVI. Thraseas hic ex libro, quem Munatius ediderat, de rebus Catonis incensus est studio Stoicæ disciplinæ fortiterq. mortuus est damnatus à Nerone. Patauinus fuit. Martialis ad Decianum Stoicum sic scribit:

Quod magni Thraseæ, consummatiq. Catonis
Dogmata sic sequeris.

Apud Tacitum accusator: ista Secta (*Stoica*) *Tuberones, & Fauonios genuit. cum exhalaturus esset animam voluit sibi adesse Demetrium Cynicum, de quo Seneca Epist, LXIII.* Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor illum admiror. *de laudibus porrò Thraseæ scripsit Iunius Rusticus, appellauitq.* virum sanctissimum, *non omisso Eluidio Prisco, cuius rei causa à Domitiano interemptus est. O decus immortale Thraseæ, o philosophiæ Romanæ immensum incrementum. triumphat enim sapientia in morte splendidissimi Senatoris de Tyranni perditissimi crudelitâte, & Musa his numeris memoriam inuicti philosophi, imò Herois veneratur:*

Æthereo flagrat Thraseas virtutis amore,
Exultat studijs, Stoicidasq. fouet.

Indo-

Indomitus renuit dirum laudare Neronem,
Tanta viro probitas, tantus honorq. comes.
Ergò etiam potuit crudelem temnere mortem,
Pulchraq. Cygneo fundere verba sono.

Seneca aduersus quosdam maledicos defensus. de eius operibus legendis. quam impauidum se præbuerit in morte. Cap. LXIV.

Seneca adeò notus est, vt de ipso verba facere prorsus superuacaneum foret, nisi nebulones summum virum carperent auaritiæ, & ambitionis nomine. Aiunt eum conflâsse immensas pecunias, & fœnori ipsas exposuisse ambiuisse quoq. imperium. vt ad vltimum respondeam, dico nusquã apparere in historia coniurationis à Pisone initæ aduersus Neronem, Senecam conscium eiusmodi consiliorũ fuisse. legatur narratio Taciti & calumnia illicò in vêtos abibit.

Pecunias non ipse conflauit, sed accepit à Nerone, quem scimus vt nulla in re, sic nec donando tenuisse vnquam modum. absq. præsenti profectò periculo non potuisset Imperatoriæ largitioni repugnare philosophus.

Fœnus porrò intra certos limites receptissimum semper fuit apud Romanos, vt Tirones quoq. norunt. fœneratores certè malè audiuerunt, quod immodicis vsuris reliquos premerent. quod si secundum morem Romanum liceret reprehendere Senecã, reprehendendi fuissent omnes, qui suas ædes agros, & alia locâssent, accepissentq. inde pensionem. nam fœnus apud Romanos instar fructuum fuit. Sed si eius

legi-

legitimum, à lege pop. Rom. definitum.

Defenso Seneca aliquid proferendum de operibus, in quibus sic Stoicum agit, vt quandoq. libere à sectæ suæ decretis discedat. quod fecerunt ferè omnes philosophi. An non enim Theophrastus in multis aliter docuit quam Aristoteles? non decet generosa ingenia in vnius hominis verba iurare. quam variè se gerunt Platonici, quamq. multiplici ratione præceptorem interpretantur.

In opere quæstionum naturalium legendo sic proficere licet, vt non solum haurias cognitionem eorum, quæ in superiore regione fiunt, verum etiam non paucas sententias celebrium virorum, quorum scripta interierunt, conoscere mandareq. memoriæ possis.

Illud etiam de Seneca proferre par est, vt sciamus exitum prorsus respondisse professioni, ostendisseq. quam alto pectore hærerent præcepta sapientiæ alijs tradita, cum seueritate non fucata, & innocentia vitæ coniuncta. quod verbis quoq. expressit, quando imperterritus mortis contemptor dixit: vbi præcepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio vitæ aduersum imminentia? *videnda cætera apud Tacitum. nam proximus morti, & post brachia ferro exsoluta, manante sanguine quædam dictauit. Ego raptus in admirationem Herois Stoici duo Epigrammata scripsi, quorum primum hoc est:*

Flet Sophie, pectus plangit, sciditq. capillos;
Dum talem torquet læua cicuta virum,
Qualem vix Tyberis stupuerunt agmina, postquam
Stoicidam excepit maxima Roma gregem.

Al-

Alterum sic habet.

Ad Senecam cupidus Sophiæ progressus anhelat,
Ad Senecam, ciuem Corduba clara tuum.
Ad Senecam, quem sæpe audiuit Roma loquentem
De terra, atq. salo, sidereoq polo,
De fati imperio, cui cedere cogitur æther,
Quodq. hominum sæua compede facta ligat.
Talia clarauit Stoæ generosus alumnus,
Cuius grata libros nunc quoq. Roma colit.

De Senecæ mira temperantia. quibus argumentis ostendant Stoici diuitias non esse bonas. cur Seneca liberalia studia non putet confundenda cum sapientia? Cap. LXV.

PErquam frequenter Seneca in suis scriptis seueritatem ingessit, suiq. seculi mores damnauit, reprehensis Peripateticis, qui docebant diuitias ad felicitatem facere. seueritati autem dogmatum visus est præire sua vita suoq. exemplo. in Epistola LXXXVII. sic de se loquitur: Cum paucissimis seruis quos vnum capere vehiculum potuit sine vllis rebus, nisi quæ corpore nostro continebantur, ego & Maximus meus biduum iam beatissimum agimus. culcitra in terra iacet, ego in culcitra. ex duabus penulis altera stragulum altera opertorium facta est. *vescebatur caricis, quæ instar pulmentarij erant, quando aderat panis, quandoq. deerat panis, & caricæ pro pane erant. quale autem fuit vehiculum*

culum, cuius non salua mensione, Rusticum. Mulæ, quæ trahebant vehiculum, vix ossibus hærebant, viuere tamen ambulando se testabantur. auriga muleo calceis carebat non propter æstatem, sed quod putaret Seneca calceos contemnendos multum.

Audeo contra totum humanum genus vocem attollere, & dicere: insanitis, erratis, stupetis ad superuacua. *Extendet magnum Caleuarij librum, auream supellectilem, quæ diuites in via sequitur, immodicum modum agri suburbani, vehicula cælata.*

instratos ostro alipedes, pictisq. tapetis.
Quibus aurea pectoribus dimissa monilia pendent.
Qui tecti auro fuluũ mandunt sub dentibus aurum.

Inuenitur in triclinios in via diuites, quibus cursores, & Numidæ.

Multis verbis commendat M. Catonem Censorium, qui canterio vehebatur, & hippoperis quidem impositis, vt secum vtilia portaret. O quantum erat (*exclamat*) sæculi decus imperatorem triumphalem Censorium Catonem vno caballo contentum esse. *quem quidem caballum, & canterium putat præferendum* obesis mannis, & Asturconibus, & tollutarijs.

Tantum autem abest, vt putet in talibus sitam esse felicitatem, vt pronunciet esse humanæ vitæ impedimenta.

Sed expendantur argumenta Stoicorum contra Peripateticos. Fortuita bonum non faciunt. Ergò non sunt bona. Vt eiusmodi nodum soluant Peripatetici non pauca depromunt, quæ iam examinare nos vacat.

Si diuitiæ facerent bonum, non possiderentur à pessimis homi-

hominibus. atqui Chelidon, vnus ex Cleopatræ trossu-
bus, patrimonium grande possedit, nuper Natalis
tam improbæ linguæ, quam impuræ, in cuius ore fœ-
minæ purgabantur, & multorum hæres fuit, & mul-
tos habuit hæredes.

Bonum ex malo non fit. diuitiæ fiunt *ex auaritia. di-
uitiæ ergò bonum non sunt.*

*Dum diuitias consequi volumus in mala incidimus. Er-
gò diuitiæ bonum non sunt.*

*Quæ neq. magnitudinem animo dant, nec fiduciam, nec
securitatem; contra autem insolentiam, tumorem, arrogan-
tiam creant, mala sunt. à fortuitis autem in hæc impellimur,
ergò non sunt bona.*

*Argumentationem porrò istam pro sua non agnoscunt
Stoici: ex malis bonum non fit, ex multis paupertatibus
fiunt diuitiæ. Ergò diuitiæ non sunt bonum.*

*Alia Epistola, nempe sequenti agit Seneca de studijs li-
beralibus, quæ græcis significantur nomine Encyclopædiæ.
sapienter à. fermen ingens instituit inter studia liberalia, &
sapientiam, quæ non tam docet, quam facit animum bo-
num, virtuteq. & robore inuicto instruit mortales. eius-
modi discrimen præclare constituit, & exposuit ante Sene-
cam Philo. nam nomine sapientiæ ait significari Saram, no-
mine autem Encyclopædiæ venire in Genesi Agarem. vi-
de apud eundem Philonem totam enarrationem de con-
gressu Abrahæ cum Agare, & de sterilitate Saræ, vt re-
ctius intelligas Senecæ sententiam.*

De

De statu non admodum florente philosophicarum sectarum, cum floreret Seneca
Cap. LXVI.

Postquam de Seneca locuti sumus, antequam ulterius progrediamur, non negligenda sunt eius verba, quæ profert cap. XXXII. lib. IV. Natur. quæst. ut magis ac magis intelligamus floruisse præ omnibus sectis Stoicos Romæ illis temporibus, exiguo autem loco fuisse Pyrrhonios, Pythagoræos, atq. alios. sic autem loquitur: tot familiæ philosophorum sine successore deficiunt. Academici, & veteres, & minores nullum antistitem reliquerunt. quis est, qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagoricæ illa inuidiosæ turbæ schola præceptorem non inuenit. *hæc ibi. quod porrò subiungit, valde notandum ab eo, qui ignorare non vult statum philosophiæ apud Romanos; ait enim:* Sextiorum noua, & Romani roboris secta inter initia sua, cum magno impetu cœpisset, extincta est. *de huiusmodi Sextijs nihil fateor mihi lectum, nec, si quid legi, memoria iam suggerit. Ad quæstiones naturales qui scripserunt notas, nihil proferunt quod nos iuuet. Notus est quidem Sextus insignis philosophus, sed ille floruit sub Imperatore Marco, de quo suo loco nonnulla proferemus. explicet qui potest qui nam Sextij isti fuerint, philosophi apud Romanos, qui tamen citò defecerunt.*

De scelere P. Celeris Egnatij, Stoicam philosophiam professi. Cap. LXVIII.

Nihil tam sanctum est, quod pollui nequeat à prauitate hominum, aut nullum institutum adeò rectum, sub cuius specie fallere non soleant quandoque subdoli, callidique homines. dolet sanctitas philosophiae, quòd inuitata recta, uerti ad scelus. Temporibus sceleratis Neronis P. Egnatius Celer Soranum deferendo perdidit, qua de re Iuuenalis non sine indignatione scripsit:

Sat. 3.

> Stoicus occidit Baream, delator amicum,
> discipulumque senex.

Impurus testis cliens Sorani emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicae sectae, ut scribit Tacitus XVI. Annal. praeferebat habitu, & ore ad exprimendam imaginem honesti, & exercitus, caeterum animo perfidiosus, & subdolus, auaritiam, ac libidinem occultans: quae postquam recluserant, dedit exemplum praecauendi quomodo fraudibus inuolutos, aut flagitijs commaculatos: sic specie bonarum artium falsos, & amicitiae fallaces. *oppressus quidem est Soranus, nec tamen impune tulit nebulo Stoicus, ingratissimum caput. nam sub Vespasiano, ut est apud Tacitum eundem in IV. Hist. inuectus est Musonius Rufus in Publium Celerem à quo Baream Soranum falso testimonio circumuentum arguebat. subijcit Tacitus:* Sorani sancta memoria *Celer professus sapientiam dein testis in Baream, proditor, corruptorque amicitiae, cuius se magistrum ferebat. adeo magnum est visum historico scelus, ut*

putauerit repetita detestatione utendum. *Magister est discipulo instar parentis: quis porrò pater prodiderit filium?* Nec tamen tunc damnari potuit Celer ob aduentum Muciani in urbem. interim hanc supplicium euasit reus interposita mora. nam eodem libro Tacitus narrat placuisse repeti cognitionem inter Musonium Rufum, & P. Celerem; damnatumque Publium, Soranique manibus satis factum.

Illa ergò tempestate in philosophos animaduertebatur à magistratibus, nec illos reddebat tutos pallium, pollutum iis, qui aliquo scelere.

Vide verò quam generosum se præstet Tacitus. nam licet ab alijs miris laudibus fuerit ornatus Demetrius Cynicus, non tamen omittit culpare hominem, qui reum manifestum conatus fuerit defendere. *Ambitiosius quam honestius visus est aggredi eiusmodi defensionem.*

Licet autem aliquatenus excusare Demetrium, cum videret totam sectam male audire ob unius Celeris scelus, quod ipse Demetrius maxime cupiuisset diluere. Sed ut iam audiuimus, frustra fuit, & ambitionis se obnoxium reddidit notæ.

Liberè ergò in omni genere hominum reprehendenda sunt flagitia ab historico, ut omnes quicumque demum illi sint, ab ijs perquam diligenter abstineant, reformident historicam libertatem, quæ nulli mortalium obtrudere debet palpum.

Qua

Qua ratione vulgus Cynicos irritaret, & vexaret. Cap. LXIX.

NEronianis temporibus præter Stoicos, Cynicosq. vix alÿ videntur Romæ fuisse philosophi. quos tamen valde multi à philosophia et Græcorum disciplinis abhorrentes ludibrio habebant. id testatur Persius Sat. I.

multum gaudere paratus
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Magna scilicet erat rudium Cynicorum ruditas, vt vulgo omnes ÿs illuderent, quos etiam percutiebant, varÿsq. onerabant contumeliÿs. quod ne ipsis quidem nolentibus faciebant, cum nati ad gloriam homines, argumento opus haberent, in quo suam etiam admirabilem patientiam ostentarẽt. apparet namq. solitas à petulantibus hominibus meretrices cum illis committi, vnde necesse erat sequi magnum risum omnium eorum, qui talis certaminis spectatores erant. Simillimum est, quod in schola Alexandrina factum aliquando est, nequissimorum quorundam nebulonum conspiratione in Theodorum iuuenem omni iam laude virtutis conspicuum, atq. illustrem. summissum est enim scortum impurum quod in ipsum ingrederetur. hic est qui postea Gregorius Thaumaturgus est dictus, cuius vitam Gregorius Nazianzenus libro singulari est complexus.

Iulianus etiam Imperator, quia legerat in Euangelio Matth. V. prabendam esse alteram genarum ei, qui vnam percussisset, dandamq. tunicam surripienti pallium, pergendumq. cum angariante vltra quam ipse traheret, taliaq.

de ge-

de genere, hoc, aiebat non debere conqueri Christianos si vexarentur, quandoquidem ita voluntati diui se facerent satis.

Mirandum porrò non est vexatos Cynicos, nam cum præferrent toruitatem vultus ac dissentientem a cæteris habitum, pessimis moribus, & impuræ obscænitati incumberent; ita ergò spernebantur: qua de re legendus est Dio serm. XIV. & alio sermone habito Alexandriæ.

De baculo, pera, & barba Cynicorum, & tenui victu iuuenum, dantium operam Stoicæ philosophiæ. Cap. LXX.

Cynicis adhuc inhæremus, quandoquidem ferè sola hæc secta cum Stoicis Neronianis temporibus reperiebatur Romæ, aliquid subiungentes de ipsorum habitu. Etenim peram, & baculum velut insignia deferebant, quibus tamen carebant Platonici. Iubet autem ex Apologia Apuleij aliqua de pera, & baculo excerpere. gratum habitum ad contumeliam diceretis rem familiarem mihi peram, & baculum fuisse. *Crates profectò arbores frugiferas pro vno baculo spreuit, villas ornatissimas vna perula mutauit, imò laudauit flexis ad hoc Homericis versibus. baculum, & barbam tu philosophis exprobrares? igitur, & equitibus phaleras, & peditibus clypeos. Non sunt quidem ista Platonicæ sectæ gestamina, sed Cynicæ insignia familiæ. veruntamen hoc Diogeni, & Antisthenι pera, & baculus, quod regibus diadema. hinc ferulas, & virgas salsè mordedo nominauit* Sceptra pædagogorum *Martialis.*

Diogenes quidem Cynicus cum Alexandro Magno de verbitate regni certabundus baculo vice scepteri gloriabatur.

Hinc etiam se Agamemnonem appellauit. sceptrum enim habeo baculum. *dolium aiebat esse regiam, vt non dubitarit S. Hieronymus dolium illud Praetorium Diogenis nuncupare.*

Hodie mendici, & quidem caeci vtuntur baculo. pera autem non destituuntur pauperes peregrinantes.

Baculo, & pera addenda est barba, quam Cynici promittebant seueritatis ostentandae causa. hinc Persius:

multum gaudere paratus
Si Cynico petulans vellat Nonaria barbam.

Quod est insultare, contemnere. magnum enim est argumentum contemptus vulsio barbae. hinc idem Persius:

stolidam praebet tibi vellere barbam.

Nonariae nomen denotat impudentem meretricem. nam apud veteres scorta à nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione, illò irent adolescentes, quod obseruatum est à scholiaste eiusdem Persij.

Iuuenes quoque qui se in disciplinam Stoicorum dabant, victu tenui contenti erant. apud Persium haec leguntur:

iuuentus
Inuigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Quis nescit victum esse tenuem, polentam, aut panem secundum, & siliquas leguminum, quod pecoris immundi potius quam hominum cibus esse quod videre est apud Lucam cap. XV. Plinius quoque ait siliquas pecudum esse pabulum gratissimum. Horatius extremam frugalitatem carmine expressit:

Vi-

viuunt siliquis, & pane secundo.

Iuuenalis Sat. XI.

Sed laudem siliquas occultus ganeo.

Prudentius quoq. vtitur huiusmodi vocabulo. Sunt porrò siliquæ nihil aliud, quam leguminum opercula. polēta ex hordeo fiebat, quod discere est ex Plinij descriptione lib. XVIII. cap. VII.

De Stoa, vnde Stoici dicti, digreßiuncula excerpta ex prælectione habita ad XVI. annalium Tacit. Cap. LXXI.

ETsi Stoa, qua dicti Stoici, nequaquam fuerit Romæ, sed Athenis, quia tamen non infrequens mentio Stoicorum in hoc opusculo, nihil vetat aliquid per digressionem subijcere de eadem Stoa, petita ex prælectione, quam habui ad annal. Tacit. lib. XVI. cum perpenderem factum Egnatij, qui aßumens auctoritatem Stoicæ Sectæ perdidit Soranum. de Stoa autem agit Persius Sat. III. Æmilius Probus in vita Miltiadis, Diogenes Laërtius in Zenone, Pausanias non vno loco, atq. alij præsertim recentiores. Laërtius igitur in Zenone sic: Vertens igitur se ad porticum variam, quæ & Pisianactios appellabatur. græcè dicta Pœcile, varia. primum nomen huius Porticus erat Pisianactia, sed Phanippo imperante Athenis (fuit enim tunc Marathonium prælium commissum) à picturæ varietate Pœcile nuncupata, vt scribit Aristidis Scholiastes. Laertius ita: appellabatur ex varia, & multæ scientiæ pictura Polygnoti Pœcile. Concinit Æmilius Probus in Miltia-

de: In porticu, quæ Pœcile vocatur. *idem traditur à Pausania in Atticis*: pergentibus verò ad eam porticum quæ à picturæ varietate Pœcile dicitur.

Quid in ea depictum? pugna inprimis Marathonia, decem prætores, qui ad gerendum bellum creati fuerunt. Æmilius Probus: Namq; huic Miltiadi, qui Athenas totamq. græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur cum pugna depingeretur Marathonia, vt in decem prætorum numero, prima eius imago poneretur isq. hortaretur milites, præliumq. committeret. *hæc ille. Persius sic scribit Sat. III.*

Quæq. docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus.

Medi, & Persæ ÿdem, licet quo tempore gestum est bellum Marathonium Persæ appellarentur, sed non deerat in exercitu natio Medorum cum Persica conflata.

Pugnæ porrò Marathoniæ adscripserunt.

Pro Græcis pugnantes Athenienses in Marathone,
Occiderunt Medorum viginti myriadas.

Quod tamen videtur per iactantiam græcanicam dictum. Cur autem potissimum talem pingi pugnam voluerint Athenienses, facile est discere ex verbis Pausaniæ in Atticis, dum inquit: Nullam fuisse victoriam, qua sint magis Athenienses gloriati quam ea, quam ex Marathonia pugna sunt adepti, hinc præcipuè vt credam adducor.

Quis Auctor picturæ? Polygnotus, quod nos docet Laërtius, cuius verba iam sunt prolata. Polygnoti huius facit men-

mentionem alibi quoq. Pausanias in Atticis: hæc omnia Polygnotus pinxit.

Ignorandum porrò non est in hac porticu aliquando interfectos fuisse MCCCCXXX. ciues, quod narrat Laërtius. sed Zeno locum hunc voluit reddere quasi sacrum, tradendo ibi philosophiam. audiamus Laërtium: volens locum illum stabilem reddere, & nullis porrò seditionibus violabilem. *Certè constat Stoicos solitos maiorem illi venerationem tribuere, quam templis Deorum. extabat adhuc temporibus Honorij, & Arcadij Cæsarum. non tulit autem Proconsul quidam Achaiæ Stoicorum superstitionem. deturbauit ergò locum, & tabulas abstulit, eoq. facto superborum philosophorum supercilium non parum retudit.*

Cæteri tamen philosophi, & ipsi suas scholas putabant esse sacras. nam si quis è Lyceo, Academia pallium, aut ampullam esset furatus, morte plectebatur.

Imponam finem dissertatiunculæ, si prius monuero apud Eleos quoq. fuisse Porticum in Alti, quæ etiam Pœcile appellabatur. sic enim narrat Pausanias. signum est in porticu, quæ in Alti est. ea porticus appellatur Pœcile, à picturæ varietate, qua olim parietes exornati fuerant. *adijcit eandem à multis Echus nominari*, quod vocis emissæ imago septies, & sæpius reciprocat.

An & quatenus Cynici, & Stoici habuerint eandem originem? describuntur adhuc mores Cynicorum. reijcitur calumnia Iuliani Imperatoris contra Monachos. Cap. LXXII.

DE Stoa postquam diximus, quandoquidem Cynici à Stoicis parum aut nihil differre visi sunt, quaerendum hic? An Cynicae sectae, & Stoicae disciplinae idem fuerit initium? idemq. progressus? respondendum est Cynicum institutum ad Diogenem sic referri, vt tamen Zeno non excludatur. Etenim Crates discipulus fuit Diogenis, praeceptorq. Zenonis Citiei. Zeno porrò suam disciplinam conflauit ex Platone, Socrate, & Cratete nonnullis immutatis, vt solet fieri, additisq. aliquibus ex propria inuentione. Nam et Plato in Naturali philosophia valde est imitatus Pythagoram, in morali Socratem. sic Zeno in Theoretica sapientia secutus est aliquatenus vestigia Platonis, pauca inueniens ipse, & differens saepe in nominibus potius, quam in re ipsa.

A Cratete accepit horrificam illam seueritatem, libertatemq. paradoxis miris non destitutā, ne tamen institutum tam rigidum homines à se repelleret, nonnihil moliuit Cratetis dictata, philosophiamq. suam traduci passus est ad ciuilitatem, ad coniugium, aliaq. eiusmodi. quam tamen moderationem sunt qui tribuunt non Zenoni, sed discipulis. sic enim Iulianus Imperator: Citiēsis Zenonis discipuli cum ciuitates animaduerterent meram illam nimiamq.

orat. 6.

canis hoc est Cynicæ sectæ libertatem auersari, quibusdam illam integumentis inuolucrisq. texerunt, nimirum rei domesticæ cura, opum comparandarum studio, vxoris contubernio, ac prolis educatione. *hactlle.*

Verum non omnibus placuit eiusmodi inuolutio, quin aliqui non passi sese auerti à moribus Diogenis, & Cratetis existimârunt sibi faciẽdum, vt ad Rempublicam non accederent, à muneribus vitæ ciuilis abhorrerent, sordes sectarentur, & squalorem, spernerent omnem elegantiam, ferrent peram, baculum, & comam. & isti dicti sunt Cynici non tam ob dogmata, quam sordidum modum viuendi: in hos Cynicos inuecti sunt ipsi Gentiles grauissimè, inprimis Lucianus, & Iulianus Imperator orat. VII. vt nihil dicam de S. Iohanne Chrysostomo. Iulianus sic loquitur; mihi isti Canes latronibus videntur esse improbiores, communia iura naturæ miscentes palam, & in omnium oculis obambulant. sanè plerιq. nunc illorum haud paulò verecundiores extiterunt, cum procaces, ac petulantes antea extitissent.

Longè aliter se gesserunt Diogenes, & Crates. Verbis facta iubebant præire: & qui paupertatem honorabant ante omnes, ipsi sua patrimonia contemnere videbantur.

In sequentibus graphicè degenerum Cynicorum describit mores. nam Heraclium vnum ex ipsis sic alloquitur: quid tu dignum Diogenis baculo præstitisti? An hoc magnum tibi videtur fustem capere, comam promittere, vrbes circumire, & comitatus, optimis quibusq. con-

uitia-

uitiari, pessimis adulari? *Mox de alijs quoq. eiusdem farinæ agens, inquit:* vagi vbiq. discurritis, comitatui Principis importuni. *vt mirum non sit, si affirmet per tales mores philosophiam esse inuisam.*

In dialogo Luciani sic auctor eos reprehendit, vt inducat Cynicum sese defendentem. describitur ibi vita victusq. Cynicorum, quia vt mendici incedant: vt canes quibusq. retrimentis vescantur, & vt feræ nullas certas sedes, nulla habitacula habeant, quod ipsam naturam negligere videantur. sed operæ pretium est quædam ipsius Luciani audire verba ex aliena translatione: barbam habes, & comam, tunicam non habes, nudus conspiceris ac sine calceis, delectaris nimirum vaga inhumana, ac ferali vita. nunc huc nunc illuc circumis, in arido præterea solo cubans, adeò vt plurimum etiam sordium tritum istud pallium referat. aquam bibis, comedis quicquid offenderis, gramen tibi sufficit (*ad cubile*)

Quæ satis ostendunt à Iuliano per insignem calumniam Cynicos comparari Monachis, cum tamen esset magna differentia inter vtrumq. genus. Monachi degebant extra vrbes in Cœnobijs, agros colebant, vt inde victitarent, & reliqua pauperibus largirentur, parebant suis præfectis, non discurrebant per vrbes, noctu surgebant ad laudandum Deum, castè viuebãt a Venere prorsus abstinentes, absit ergò vt errones, vagi, Cynici nusquam consistentes, nullum certum locum habentes, nullius imperio, & iussis obnoxij componantur cũ sanctissimis Monachis, qui abdicauerant se omnibus bonis, vt deinceps nihil possiderent, atq. ex opere manuum viuerent.

Sed

Sed cui ignotum est maximum odium, quo Christianos, & Christianorum omnia instituta prosequebatur Iulianus? discant interim Nouatores nostri temporis, qui Monasticam vitam insectantur, quemnam imitentur, dum Monachos irrident, & damnant? Imitantur Iulianum Religionis Christianæ desertorem.

De aduentu Apollonij Tyanei tempore Neronis Romam. de Telesino consule addicto philosophis. An iusserit Nero ire in exilium philosophos? quam parum tuta fides sit Philostrati. Cap. LXXIII.

DOlendum est non totam narrationem Taciti de imperio Neronis ad nos peruenisse. forte enim haberemus nonnulla facientia ad philosophiæ calamitatem, cuius auctor videtur fuisse sæuus Imperator. Sanè Suetonius nihil de philosophis pulsis ex vrbe magno agmine agit. At non tacet Philostratus libro IV. vbi ait Neronem non permisisse, vt homines incumberent philosophiæ, quam vanitatis accusabat. accusatosq. non paucos, quod operam nauarent diuinationi. cum porrò Apollonius Romam se conferret incidit in nemore Aricino in Philolaum philosophum eloquentem quidem, sed meticulosum, à quo monitus est, vt maturè sibi consuleret, neq. tot socios in exitium duceret, Romæ namq. philosophos admodum vexari. eiusmodi suasione effecit, vt non pauci discipuli deseruerint Apollonium discesserintq. ex agro Romano. octo tamen ei constanter adhæserunt. Meminit deinceps Menippi, qui non dubitá-

bitáuit Musonium in carcere alloqui, & solari, non omit̃tit Philostratus Dioscoridem Ægyptium itidem Apollonij discipulum.

Deinceps refert narrator congreßum fuisse Apollonium cum Telesino consule, quem multis commendat verbis permisit namq. vt philosophus liberè pro lubitu inuiseret omnia templa deorum, & si quid emendatione indigeret, corrigeret.

An verò verisimile sit Demetrium Cynicum sæpe missum fuisse ab Apollonio ad Neronẽ ad tollendam suspicionem videat quæso lector. Cur enim Nero ipse non iussisset ad se venire philosophum? Cur tam facilis pateret aditus ad Imperatorem superbum misero Cynico?

Cur etiam, si Telesinus ei fauebat consulari præditus auctoritate, ait Tigellinum in exilium misisse Demetrium? an etiam verisimile est si Nero tantopere oderat philosophiam, & philosophos, voluisse tam frequenter Telesinum tamq. familiariter colloqui cum Apollonio, & haurire ab ipso dogmata philosophica? hoc certe fuisset à beneuolentia Neronis cum summo periculo excidere.

An etiam verisimilia sunt illa, quæ subijciuntur de Apollonio accusato, & quod libellus, in quo scripta fuerat accusatio, repertus fuerit expers scriptionis? & quod sibi valde metuerit Tigellinus, iusseritq. eum abire liberè, quo lubet.

Sed non est, quod valde laborem in eleuanda fide Philostrati, aut Damidis, cum satis constet quidam pridem de eiusmodi opere scripserint viri sapientes, ne quis sibi patiatur dari verba ab ijs, qui voluerunt tot laudibus exornare

homi-

hominem magicis artibus infamem, qualem fuisse Apollonium iam nemo dubitat.

Certè vacillare fidem Philostrati in hac narratione de Apollonij aduentu Romam, ex eo colligere licet, quia Dio, Suetonius non nobis memorant exilium tot philosophorum sub Nerone, neq. adeò tragicè exponunt statum philosophiæ.

Nonne verò in eo fallitur Philostratus, dum ait à Nerone occisam matrem in mari, cum constet ex Tacito non submersam mari, quandoquidem non respondit euentus voluntati, sed postea palam interfectam?

De Dionysio Alexandrino, qui videtur floruisse Romæ sub Nerone. Cap. LXXIV.

Dionysium Alexandrinum credibile est Romæ floruisse, quandoquidem testatur Suidas eum à Nerone vsq. ad Traianum docuisse, ac Bibliothecis præfuisse. sed dices, non debere recenseri quando de philosophia agitur, quando quidem Grammaticus fuit. Responderim, subijcere Suidam non fuisse eum simplicem grammaticum, se philosophum quandoquidem fuit discipulus Chæremonis philosophi, cui etiam Alexandriæ successit. Grammaticorum nomen profectò cum litteratoribus non est confundendum. nam olim publice non absq. stipendio interpretabantur Poetas, & fabulosam inprimis enarrabant historiam, ritus veteres exponebant, omne deniq. genus eruditionis studiosæ iuuentuti propinabant. instructi autem cognitione antiquitatis, periti librorum variorum nonnulli ex ipsis vlterius suam por-

vigebant diligentiam, quandoq. etiam robur philosophiæ ipsius confectati. quod præstitit iste Dionysius Alexandrinus Glauci filius, qui meruit præesse Bibliothecis. quis autem ignorat eos, qui Bibliothecarum illustrium sunt præfecti, politore omnigena rerum cognitione, esseq. Criticos, ut de libris, & scriptoribus quibuscumq. iudicium facere possint, Apocrypha à germanis scriptis secernere, egregios auctores commendare, excelsos suspicere, futiles reijcere vereatur? quorum quidem hominum magnum prouentum vidit felicitas superioris secu i, videtq. nostra, postquam caligo præteritorum temporum perquam feliciter depulsa est. si quis porrò nosse velit, quales fuerint veteres grammatici, legat Scholiastas græcos in Pindarum, in Aristophanem, in Theocritum, Euripidem, atq. alios, euoluat scholiasten antiquum Iuuenalis, atq. inprimis cognoscat Seruium in Virgilium. Subit autem miserari vices Adolescentum, qui recentiores nescio quos sequuntur: Seruium verò, talesq. interpretes negligunt. Atqui vel solius antiquitatis causa erant longè recentioribus præferendi, cum præsertim non pauca ad philosophiam facientia veteres illi Grammatici enarrent. qualia valde multa sunt apud Seruium, vt propterea aliquando ego editurus sim, deo dante, de Seruiana philosophia commentarium. in Suidæ quoq. collectaneis non contemnenda Veteris philosophiæ fragmenta continentur quæ tamen hactenus prorsus à nostratibus philosophis, qui nihil inspiciunt præter interpretes protritos Aristotelis, neglecta, insuperq. habita fuerunt.

De Heluidio Prisco sectatore Stoicorum, reuerso Romam sub Galba. Cap. LXXV

EXosculatur Heluidium Priscum Romana philosophia, quod ab ipso magna fuerit aucta gloria, & impulsa, imò euecta ad splendorem dignitatis memorabilem. Quidni se tanto iactaret alumno, qui ingenium illustre altioribus studijs iuuenis admodum dedit: non vt pleriq. vt nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior aduersus fortuita, Rempublicam capesseret. sic enim de clarissimi Senatoris primis annis loquitur Tacitus in IV. historiarum. Multi enimuerò negotijs impares vacarunt sapientiæ præceptis, & lectioni librorum, vt expertem negotiorum vitam, inutilemq. commendarent. aliter senserunt Romani, quibus recta mens, quamuis immeritò accusarent Christianos inertiæ, nam ipsi excludebantur ab honoribus ob religionem, nauaturos cæteroqui suam operam Reipublicę. At otium videtur tegere felicitatis nomine Aristoteles, dum ait hominis beatitudinem in contemplatione rerum esse positam. hinc Auerroes non pauca de coniunctione intellectus possibilis (vt vocant) cum Agente disseruit. In aliam sententiam abibant Proceres Latini, qui putabant philosophiam ad decus, & emolumentum Reipublicæ dirigendam. Cur enim ipse Aristoteles summum finem humanæ vitæ penes Politicen collocat? Politice porrò non tam in contemplando, quam in agendo occupatur. vltimus ergò finis positus in eo est, vt virtutes, quæ appellantur practi-

ea exerceantur: sed de hac quæstione alio loco agemus, vbi simul ostendemus, cur Architectonicam vocauerit Politicen Peripateticorum Princeps. ad Priscum reuertor, eiusq. Tacitum narrantem à Prisco auditos Stoicos, quorum ea capitalis fuit sententia: sola bona honesta, mala tantum quæ turpia. potentiam, nobilitatem, cæteraq. extra animum, neq. bonis, neq. malis *annumeranda.*

Quæ opinio magno robore videtur instruere mortales aduersus casus aduersos, impelleréq. hominem, vt nudus, & expeditus solam virtutem sectetur.

Res ipsa cæteroqui clamare videtur ex bonorum censu non esse excludenda nobilitatem, & eiusmodi alia. Cur enim tanto studio talia comparare plerìq. omnes satagunt? cur paupertatem, exilium, infamiam tantopere auersantur? Neq. est quod dicas, mollescere animos nostros, quando talia audimus. Mortales enim nati, & nudi pluribus rebus indigemus, & absq. ijs vitam non possumus tolerare omneq. animal statim, atq. nascitur satagens est alimenti, vitatq. diligenter, quę nocitura videntur. Mirum autem non est si Stoici à censu felicitatis excluserint ea, quæ humani generis consensus bona videntur cum alia multa prodiderint à communi hominum sensu abhorrentia. sed quicquid sit de ea opinione, Heluidius à Thrasea didicit libertatem, intempestiuo sanè tempore, cum imperaret Nero, sub quo nolle seruire, erat exitium sibi attrahere: Heluidius tamen mira felicitate euasit mortem, seq. exul reseruauit ad meliora tempora. Rediȷt enim sub Galba, accusauitq. delatorem Thraseæ Marcellum Eprium, quam tamen accusationem dubia voluntate Galbæ omisit, scisso in studia Senatu.

Vt-

Visum fuisse aliquibus appetentiorem famæ, ait Tacitus quod sapientes soleant plerumq. laborare nimia gloriæ cupiditate. nam Tertullianus animal gloriæ *vocauit philosophum. Apud Arrianum in Epictetum lib III. cap. XXIII. habetur dissertatio de iis, qui ostentationis ergò legunt, & disputant. inducitur ibi philosophus, qui dicit: laudato me homo. quomodo vis laudem? dic mihi, papæ, & præclarè. subiungit Arrianus: Num aspernanda sunt hæc? absit. Num verò philosophus homines ad se audiendum inuitat? quis medicus rogat, vt aliquis se ab ipso curari sinat? refert ibidem nonnulla quæ dicebat Rufus philosophus: si tantum habetis otij, vt me laudetis, ego nihil dico. Itaq. sic dicebat, vt quisq. nostrum qui assideremus, putaret se ab aliquo criminis cuiusdam reum peragi. sic reprehendebat ea quæ fiebãt, sic mala cuiusq. ob oculos ponebat schola philosophi medica est. non inde exeundum cum lætitia, sed cum dolore.*

Causam cur appetentior famæ videretur Priscus, eam ait fuisse Tacitus, quod cupido gloriæ nouissima exuitur. *id duplici potest intelligi ratione. exuitur enim cupido gloriæ, vel ob satietatem, vel quod ille, qui valde profecit in stadio solidæ virtutis, tandem agnoscit appeti sapientiam debere, & virtutem ambiri, non vt laudemur, & videamur esse sapientes, sed vt simus tales, quales Natura, & Deus nos esse volunt. primo sensu si quis exuat gloriæ cupiditatem non agit omnino philosophum, quandoquidem non ex tota animi sententia eiusmodi desiderium deposuit, sed quod iam tædium inciperet percipere. honore aliqui tandem satiantur, quod quæ toties recurrunt, licet sua natura sint iucundissima, tandem fastidium pariant, aut saltem*

non admodum appetantur. vt enim maximè appetuntur, quæ negantur, & absunt, & cum difficultate obtinentur, ita quæ obuia sunt, & facilia, licet cæteroqui præclara, sua copia, suaq. præsentia incipiunt minoris æstimari.

Si quis autem exuat gloriæ cupiditatem, quod virtus ambienda sit non gloriæ causa, ipse philosophum agit, solidiq. sapientis partes implet. sic Lipsius vir profectò sapiens in fine vitæ scripsit versiculos, quibus testatur se parasse famam: sed tandem se animaduertere omnia fumum esse, & vmbram & nomen inane.

Hoc difficillimè sibi potuisset persuadere, cum inciperet edere libros. quantopere enim gaudēt scriptores librorū quando vident suos fœtus distrahi. si secus res cadat, quam tristes sunt, mœroriq. indulgent. Marcus profectò Imperator in libris de vita sua multus in eo est, vt contemptū gloriæ animis mortalium inferat. Talia tamen facilius est approbare loquendo, quam sentiendo; nescio enim quomodo fiat vt gloria quammaximè animum, mentemq. perurat.

lib. 9. Ep. 13. *Sed ad Priscum reuertatur oratio. Plinius de eo sic:* Fuerat alioqui mihi cum Heluidio amicitia, quāta potuerat esse cum eo, qui metu temporum nomen ingens pares virtutes secessu tegebat. *quod referendum ad tempora Domitiani, sub quo videtur affectus insigni iniuria à Publicio Certo, vt apparet ex eadem epistola. hinc Plinius scripsit librum de vltione Heluidij, cuius ipse meminit in eadem Epistola, & cui non pauca addit.*

Illud non omittendum, quod dixit Marcellus apud Tacitum, cum in senatu contradiceret Heluidio: Constantia fortitudine, Catonibus, & Brutis æquaretur Heluidius.

dius. *vides quid sentirent ea tempestate mortales de Heluidio, in quem propterea extare volo hoc epigramma:*

Heluidium niueis in cœlum gloria pennis
Tollit, & ambrosiæ non sinit esse rudem.
Nam crudele odium effugiens, iramq. Neronis
Deseruit patriam, Romuleumq. larem.
At quando audiuit dirum perijsse Tyrannum,
Se Romæ incolumem, restituitq. suis.
Plurimaq. expedijt sancti pars magna senatus
Quæ Tacitus memorat, grataq. fama canit.
Vsq adeò à primis refert sectarier annis
Virtutisq. tholos, sidereosq. sophos.

De Vespasiano colloquente cum Apollonio Tyanæo Alexandriæ. Cap. LXXVI.

DE Vespasiano sic loquitur Philostratus, vt dicat cum esset Alexandria congressum fuisse cum Apollonio, & lubenter audiuisse hominem varijs de rebus disserentem, multaq. didicisse ad imperium facientia.

Nescio autem an verisimile sit Dionem, & Euphratem celebres philosophos inuidia flagrasse aduersus Apollonium, & coram Imperatore disputasse de veteri libertate restituenda vel non. An enim credibile est prudentissimum, cautissimumq. Principem voluisse dare operam talibus sermonibus, cum adhuc cum multiplici colluctaretur difficultate, neq. exploratum haberet, an esset obtenturus imperium?

Nescio etiam an Apollonius voluerit eam tueri senten-

tiam, vt negaret esse restituendam veterem Reipublicã formam, solent namq. fauere libertati philosophi.

Mirum autem est, à Tacito mentionem factam non fuisse Apollonij, qui si credimus Philostrato totius mundi oculos in se conuerterat, cum tamen alia enarret, quæ contigerunt, cum Vespasianus Alexandriæ esset.

Monita porrò quæ ibidem narrat historicus suggesta fuisse ab Apollonio Imperatori, pulchra admodum sunt, sed forte conficta ab ipso historico.

Fac, inquit, vt tibi quoq. imperent leges. auge cultum Deorum. sic educa filios, vt mereantur tibi succedere. voluptates, quibus insanit plebs, paulatim tolle. constat autem ad frugalitatem aliquam reuocatos Romanos auctoritate, & exemplo Vespasiani.

An vero habebimus fidem Philostrato effecisse monendo Apollonium, vt plebs Alexandrina sustulerit ludos Circenses? vix inueniet historicus, qui hoc credat. Nihil enim magis expetebant tunc homines, quam talia certamina, diuisi in factiones, quas non ipse Imperator potuisset tollere. Certè Iustinianus incidit in maximum periculum amittendi Imperij ludorum Circensium causa.

Fides ergò sit penes Philostratum, & credat qui vult consilio Apollonij desiisse plebem Alexandrinam vacare Circo. Sanctissimi etiam Antistites Christiani licet subinde in eiusmodi ludos inueherentur, non potuerunt tamen eos prorsus abolere.

Iosephum historicum accensendum esse philosophis apud Romam. digressione quadam defenditur eius historia aduersus calumnias Saliani & Mascardi. Cap. LXXVII.

A *Vespasiano ductus est Romam Iosephus, captus in bello Iudaico, vixitq. in vrbe etiam sub Domitiano, magni factus à Patre, ambobusq. filijs. quod verò debeat inter philosophos recenseri multa ostendunt. sub finem antiquitatum Iudaicarum ait:* promisi etiam me scripturum quatuor libros de Iudæorum opinionibus, de Deo, deq. eius essentia.

Enarrat originem creationemq. mundi cum Mose statim in principio antiquitatum.

Philosophicum in morem multa depromit de Imperio rationis, quando mortem Machabæorum recenset.

Ipse testatur in principio suæ vitæ se addictum fuisse Pharisæorum placitis, proximè ad Stoicam apud Græcos sectam accedentibus. *& prius se exercuerat apud Essæos, qui pulcherrimè philosophabantur, & allegorias elegantes ad intelligendas Sacras litteras afferebant, de quibus tam multa Philo, à quibus etiam absq. dubio magnam partem suarum expositionum accepit.*

Adde Iosephum duro victu *esse vsum, & se exercuisse in solitudine cum quodam Banno trium annorum spatio, domando corpus mira asperitate, quæ ad philosophiam proculdubio faciunt. nam Sectarij nostri temporis, qui talia sper-*

nunt, & irrident, ne pilum quidem ex philosophia censendi sint habere.

Dices, Iosephus fuit miles. non ergò philosophus. nam quid magis repugnat philosophiæ, quam mercede conduci ad occidendos homines?

Respondeo, aliud esse conduci mercede à Principe in militiam aliud arma necessaria pro patria capere, & fortiter aduersus hostes libertatis sese gerere. Iosephus in necessarium bellum tractus est, vt ipse de se scribit, hoc non euertit philosophiam. nam & Socrates militauit, & necessaria defensio iure naturæ omnibus incumbit. deliri enim Anabaptistæ, qui militiam prorsus damnant, non confutatione, sed risu sunt digni.

Rursus Saltanus aliquis, aut Augustinus Mascardus Saltanum secutus, dicent eum corrupisse Sacras antiquitates, & inuertisse vt adularetur Vespasiano, Tito, Domitiano; imò pleraq. omnia & insigniora miracula quæ extant apud Mosem aut negasse, aut interpolasse rem facturum gratam iisdem Principibus. sic ergò indignum esse, qui philosophiæ nomine commendetur, cum philosophia generosa sit, & palpum non obtrudat, sed libertate in dicendo Vero gaudeat.

Sed non est difficile defendere Iosephum aduersus impudentiam Saltani, & Mascardi, nam quod veridicus fuerit historicus docent libri de bello Iudaico, qui repositi sunt in publica Bibliotheca Romæ, quosq. ne ipse quidem Saltanus, & Mascardus, vt falsos reprehendere sunt ausi.

Quod verò in antiquitatibus noluerit adulari ex eo constat, quia non apparet Principes illos valde fuisse sollicitos

de eiusmodi opere. certe id absolutum est anno XIII. Domitiani. non ergo voluit adulari Vespasiano, & Tito, qui mortui erant: nec Domitianus ipsum impulit ad eiusmodi opus sed potius Epaphroditus, vir insignis, & omnimoda rerum cognitione instructus, cui etiam eas antiquitates dedicauit. nam in præfatione ait sibi obrepsisse ignauiam, sed hortatu Epaphroditi perrexisse in texendo opere. & in fine suæ vitæ hæc verba exarat: tibi autem Epaphrodite virorum optime toto contextu antiquitatũ dedicato hic in præsentiarũ scribere desino. falsum igitur est in gratiam Domitiani voluisse corrumpere sacra volumina. nam ei opus non dedicauit.

Tantum abest vt Iosephus euertat miracula Mosis, vt multa alia recenseat, quæ faciunt ad ostendendam diuinitatem earundem sacrarum literarum. vide narrationem eius quando agit de translatione S. litterarum sub Ptolomæo Philadelpho. vide quæ habet quando agit de Machabæis, de euersione Hierosolymorum.

Quid quod insigne testimonium perhibuit Domino nostro Iesu Christo, dum dixit eum operatum fuisse miracula. quæ narratio procuidubio non placuit Imperatoribus, præsertim Domitiano, qui S. Iohannem expulit vrbe.

Vsq. ad Salmeronum, & Salianum non extitit, qui eiusmodi scelus impegerit Iosepho. S. Hieronymus eum recensuit inter scriptores Ecclesiasticos. auctores historiæ Ecclesiasticæ antiqui eum commendarunt. An cœperunt videre Salmeron, Salianus, Mascardus, quod cernere non potuerunt tot sapientissimi viri?

Photius, qui acerrimum agit censorem librorum, talem

accusationem omisit. sed dixit, cum in plerisq. & ferè omnibus concinere Mosi: in quibusdam esse diuersum. *hoc non est dicere eum insigniora miracula à Mose narrata suppressisse, corrupisse, inuertisse.*

Si adeò mendax est Iosephus, cur quæso Ruffinus presbyter eius libros in sermonem transtulit latinum? cur summus Pontifex Gelasius cum recenseret libros Apocryphos, & à quibus debemus abstinere, non numerauit Iosephi antiquitates? Cur eiusmodi liber translatus in Italicum sermonem semper palam in Italia venditus, & lectus est non prohibente, non reclamante Sancta Ecclesia Romana, quæ dat operam ne perniciosi prostent libri?

At, inquit Mascardus, Canus grauissimus Theologus ipsum quoq. accusauit. Respondeo, à Cano defendi non oppugnari Iosephum, vt quilibet potest animaduertere, qui opus Cani inspicit. nam si Mascardus legit Canum, & post lectionem ausus est dicere accusari Iosephum, mentitus est turpiter. Sed credibile est cum Mascardus scriberet de arte historica non vidisse locum Cani; abstinuisset cæteroqui à recensendo ipso inter eos, qui vt mendaciloquum explodunt, & conterunt Iosephum: aut saltem à confutatione rationum pro Iosepho à Cano allatarum non abstinuisset, ne mutilus foret in oppugnando tanto historico, pro quo se exercuit magnus Theologus.

Vt verò magis ac magis euanescat Saliani, & Mascardi calumnia age prodeant verba Cani, quæ eiusmodi sunt lib. XI. cap. vlt. Iosephi in historia fidem non Romani modò Principes, sed viri quoq. Ecclesiæ celebrârunt Egesippus bonus inprimis auctor, vir probatæ fidei,

ac gratis omninò historicus Iosephum egregiè laudat quod ad historiæ auctoritatem pertinet. Hieronymus non dubitat locum illi inter Ecclesiæ scriptores dare, atq. adeò eius de rebus gestis monumenta inter Ecclesiasticas historias recensere. Eusebius Cæsariensis, Sozomenus, Nicephorus, vt alios omittam miris modis Iosephi historiam commendant. Quin & Iosephus ipse historiam suam grauibus probabilibusq. rationibus commendauit. Quæ non minorem faciunt fidem quam si eędem ab Hieronymo, aut alio quopiam auctore positæ fuissent.

Et quia in quibusdam videtur aliter locutus, quam forte videatur res ipsa postulare, vt homo fuit, respondet Canus: Errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis, *& subijcit:* Neq. æquum est paucis è maculis labem toti narrationis corpori aspergere. *Hæc & plura Canus, cuius auctoritati tantum inest pondus, vt leuitatem Saliani, & Mascardi, qua vsi sunt in historico reprehendendo facile deprimat, & humi affligat.*

Sed regeret Mascardus, Canum eum reprehendisse in libro secundo Cap. XVIII. vbi agitur de sepulchris Patriarcharum. Respondeo, Canum postquam dixit sepultos esse in Sichem, subiungere: quantum verò fidei *Iosepho sit in historia* habendum vndecimo postea loco demonstrabimus. *in quo quidem loco ea depromit, quæ superius transcripsi, quæq. legenda fuerant à Mascardo, & diligenter refellenda. nam arripere testimonium Cani vbi obijcit & non respondet, nec totam suam sententiam de operibus historicis Iosephi aperit, hoc verò est imitari Plessæi*

Mor-

Mornai temeritatem, qui truncabat testimonia S. Patrum

Restat tamen Saltanus, restat Mascardus, & clamat corruptum esse locum Exod. XXII. vbi Moses dixit non esse maledicendum dijs, quod intelligendum erat de Magistratibus, non de dijs gentium. at Iosephus, ad deos gentium Mosis verba transfert impie. sic enim Mascardus: Quì

tratt. 1. dell'art. hist. cap. 2. l'empio istorico il vero sentimento della diuina legge in grazia de' gentili Imperatori corrompe, e dice. *si tantopere cupiebat placere Imperatoribus Iosephus, cur quaeso ad Idololatriam, & cultum deorum non migrauit? Cur edito libro tantopere celebrauit Machabaeos, qui mortui sunt, cum noluissent parere gentilibus iubentibus, vt desererent Mosaicam legem? Cur doctissimum opus condidit pro diuina antiquitate Mosaicarum literarum aduersus Apionem, aduersusq. omnes Gentiles?*

Nam ad locum Exodi quod attinet, etiam Philo in libro de Monarchia sic est interpretatus: exæquatis, *inquit,* honore, iureq. cum alijs ciuibus propter abdicatam superstitionem traditam sibi dudum à maioribus non permittit effrœni linguæ petulantia conuitiari Dijs creditis falsa persuasione aliarum gentium: ne & illæ irritatæ prorumpant in voces nefarias contra Deum optimum maximum nimirum non docti verum à falso discernere propter deprauatam institutionem, & inueteratum errorem. *nec tamen quisquam dixit Philonem Iosepho antiquiorem visum esse verba Mosis corrumpere vt gratificaretur Imperatoribus, cum tam constanter causam Iudaeorum egerit coram Caio Caligula, nec eius reformidauerit iram. Credibile igitur est Iosephum talem interpre-*

tatio-

tationem accepisse à suis Magistris, & putasse, licet errando, sic posse exponi. nam Elohim frequentissimè significat Deū valde autem rarò Magistratus. nec approbare se existimauit Iosephus religionem Gentilium, quando dixit Mosem vetuisse, ne quis exterarum gentium dijs maledicat. tantum est opinatus non debere, quando quis versatur inter gentes erumpere in conuitia aduersus Numina nationum, ne toti genti magnum malum attrahatur. Certè nec nos Christiani, quando versamur Constantinopoli aut alibi apud Turcas palam, & vbiq. asserimus esse impostorem Mahumetem. Ita tamen sentimus, & ita nos sentire sciunt Turcæ, qui propter talem sententiam nulli Christiano facessunt negotium, at si quis in vrbe aliqua Mahumetana clamaret: impostorem esse Mahumetem, præsens exitium non euaderet.

Nonnè scimus nos perfidos Iudæos male sentire de nostra Religione, eos propterea non punimus, at puniremus, si quis elata voce, & claris verbis malediceret Seruatori nostro Iesu Christo. Talia igitur effecerunt, vt opinatus fuerit absq. dubio cum suis Magistris ita explananda esse Mosis verba Iosephus.

Fateor interim, & ipse cum Interpretibus locum Mosis non de dijs gentium, sed de Principibus esse accipiendum.

At cur inseruit verba illa: Nemo peregrina Sacra deprædetur, neq. donaria alicui deo consecrata? *absq. dubio eiusmodi additionem itidem à Pharisæis accepit. Nam & septuaginta interpretes quædam addiderunt sacris litteris tanquam explanatores libertate quadam vsi.*

Voluerunt enim significare Iudæos quando versantur inter gentes, quarum etiam imperio sunt obnoxij, non debere

bere eò prorumpere, vt frangant Idola, aliquid ex templis Nationum subripiant, ne eiusmodi factum incommodet toti cœtui Iudæorum illic degentium. quod verò Moses iussit aras Idololatrarum esse subuertẽdas, id referendum ad Iudæos in Palæstina dominaturos, qui ideò discesserant ex Ægypto vt ingressi terram Canaan procul ab Idolis colerent Deum. quis porrò nescit longè aliter se gerere eos qui imperium obtinent, quiq. imperio alieno sunt subiecti? Christiani sub Imperatoribus Gentilibus non frangebant Idola, non demoliebantur templa, non impediebant quemquam quo minus sacrificaret dijs. at postquam Cæsares Christum cœperunt adorare, proscripta est Idololatria, euersa Idola, humi deiecta templa Deorum.

Rursus est molestus Mascardus, & ait de Iosepho narrante transitum Israelitarum per Iordanem: egli tutte le circostanze di quell'auuenimento dissimula, che possono sollleuar l'animo ad ammirar la diuina potenza, ed ad effetto come naturale ascriue il fortunato passaggio. *ò effrontem perfrictamq. frontem. adscribantur verba Iosephi lib. V. Cap. I. antiquit.* Deus se illis transitum procuraturum promisit fluentis (*Iordanis*) imminutis vt verò Sacerdotibus primis vadabile est visum quod & aqua decreuisset, & glarea non amplius vi vndarum volueretur, sed stabile solum exciperet vestigia, omnes iam intrepide vadum transibant, tale redditum cernentes quale Deus promiserat. ipsi egressi fluuium liberum ei, & solitum cursum reliquerunt qui confestim auctus ad pristinam aquarum molem redijt. *hocne est dissimulare, & silere omnia, quæ excitare*

pos-

possunt mentem ad suspiciendam diuinam potentiam? hoc est tribuere naturæ transitum illum? Atqui palam ait Iosephus Deum pollicitum se imminuturum vim Iordanis. asserit imminutas vndas, & vadabilem effectum fluuium, cum non esset vadabilis, effectumq. talem, qualem fore Deus promiserat. affirmat egressis Israelitis talem redditum, qualis erat antequam Deus diceret se imminuturum eius vndas. nonne clarissimè hic apparet miraculum? namq. absq. Deo si fuisset, nequaquam transissent. in eo tantum superest difficultas, dum videtur Iosephus negare exsiccatum fuisse omnino, imminutumq. tantummodo. sit ergò Iosephum non satis pro dignitate rei locutum, atq. in eo deceptum, non propterea dicendus est absolutè sustulisse miraculum, & tribuisse naturæ, quod tribuendum erat Deo, cum non adeò multum videatur referre an fluuius prorsus fuerit exsiccatus, an tantum imminutus, & quidem diuinitus pro Israelitis, cum antea tam magnus esset, vt vadari nequaquam posset: magis tamen elucet Dei potentia, si dicas prorsus exsiccatum fuisse.

Iterum Mascardus accusat Iosephum, quod peruerterit narrationem de transitu filiorum Israel per mare rubrum. Cur ita? quia nescire se ait diuinitus ne id factum, an sponte naturæ?

Differit ibi Iosephus aduersus eos, qui possent de mari cedente Israelitis dubitare, ostenditq. tale aliquid voluntate Dei euenisse Magno Alexandro. non ergò controuersiam esse mouendam Mosaicæ narrationi. Ergò agnoscit miraculum in profectione Alexandri, quandoquidem Deus eum deducebat ad puniendos Persas.

Addit Iosephus mirari nos non debere cessisse mare Iudæis, qui valde sancti erant simplices, et ab omni prauitate remoti, forte igitur ipsam naturam voluisse eis sese morigeram præbere. quæ verba non omnino tollunt miraculum. nam mirandis motibus naturæ quandoq. Deus vtitur ad opem ferendam mortalibus, quod videre est in morbis, in quibus depellendis natura mirabiles sibi quandoq. inuenit meatus, vt tradit etiam Galenus. Nonne prodigia sunt aliquatenus opus naturæ, ipsis tamen Deus vtitur ad nos commonefaciendos? Theologi docerent, & scholastici, aliquid dici supernaturale vel secundum substantiam, vel secundum modum. transitum illum saltem fuisse supernaturalem secundum modum. quando itaq. Iosephus ait, sed de his, vt cuiq. libet, ita sentiat, *non permittit dubitare de mari, quod mirum in modum cesserit Israelitis, sed fert, vt quis existimet naturam quasi consciam probitatis Iudæorum famulatam fuisse, Deumq. eiusmodi promptitudine vsum ad transmittendam gentem sibi acceptam.*

Atq. hæc prolata sint, dum conor insignem historicum Iosephum tueri, aduersus Salianum, & Mascardum, impudenter calumniantes, & intemperanter abutentes lectoris patientia.

De immensa rerum cognitione, qua emicuit Romæ Plinius, Tito Imperatori carissimus. Cap. LXXVIII.

PRonunciamus vel in solo Plinio Secundo temporibus Titi Vespasiani Imperatoris potuisse florere Romæ philoso-

losophiam, quam vnus diuina solertia complexus est, quæ plurimi scriptores de rebus naturalibus in suos comportarunt aut commentarios. Et tamen suffurabatur tempus, quod historiæ naturali componendæ impendebat, cum grauissimorum negotiorum serie, quam imponebat Imperatoris auctoritas, distineretur, certè ipse præ omnibus mortalibus videtur maximam habuisse temporis, quod citissimè labitur, rationem, quam verò carus fuit Tito Principi eruditissimo. Præfatio profectò, quæ compellat rerum terrarum Dominum, familiaritatis plena est. Cur ita? quia familiariter secum loqui, & agere volebat Plinium suum Imperator. Non enim mutatus fuit Titus, quando ad Imperium peruenit, nisi ut posset prodesse. discant Principes nequaquam diminui maiestatem amica familiaritate, quæ viris egregijs qualis Plinius fuit, impenditur. sed nostra tempestate quia philosophia carent Proceres, cupiunt timeri, difficulterq. ad se doctissimos homines admittunt. cuius culpæ dignas sæpè luunt pœnas, hærentes semper in luto inscitiæ, & ignorantiæ.

De Musonio Tusco philosopho, qui exulauit sub Nerone. notatur error apud Suidam.
Cap. LXXIX.

M*Vsonius fuit filius Capitonis, Tyrrhenus Vulsiniensis. Tacitus in Annalibus vocat eum* Tusci generis. *habuit prænomen Caius, vt colligitur ex eodem Tacito, & Plinio libro tertio Epistolarum. fuit equestris ordinis, vt est apud eundem Tacitum in tertio historiarum. ænulatus* 14. An.

est Stoicorum placita, studiumq. philosophiae, quod narratur ab illo ipso historico. magnae suae confidentiae, & libertate in reprehendendo praeditus, quae res ei valde incommodauit apud Neronem. coniectus enim est in carcerem, vt est
lib. 4 *apud Philostratum de vita Apollonij, qui Philostratus narrat cupiisse Apollonium, cum esset Romae alloqui Musonium in carcere, sed id non impetrasse à Musonio, quia sperabat se sic locuturum de sua innocentia, vt dimitteretur liber, scripsit ergò ad Musonium Apollonius, accepitq. responsum, pluresq. exaratae sunt Epistolae: nunquam tamen sunt congressi, vt intelligas falsum esse, quod aliqui scripserunt Musonium fuisse discipulum Apollonij. falsum etiam est, quod legitur apud Suidam, nempe occisum fuisse iussu Neronis. At constat in exilium iussu eiusdem missum, quod refert Dio Cassius libro LXII. proiectus est in insulam Gyaram siue Gyaras, quod est apud Philostratum libro VII. deportationibus enim infamis erat parua insula, siue scopulus; hinc Iuuenalis.*

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum
si vis esse aliquid.

Venit ad imperium Vespasiani, & ex exilio rediit, postquam saeuus Nero obijt. haec ferè de Musonio apud scriptores leguntur, licet omitti non debeat egregius locus Taciti, in quo fit mentio Musonij in XIV. Annalium sub Neronis Imperio. Etenim quando agit de Plauti morte ait non deesse, qui ferant à socero nuntios venisse, tanquam nihil atrox immineret, doctoresq. sapientiae *Coeranum graeci,* Musonium Tusci generis constantiam opperiendae mortis, pro incerta, & trepida vita suasisse. *fuit haec suasio digna tantis philo-*

philosophis. Etenim notat alibi grauissimus historicus non paucos desiderio viuendi fractos fuisse, adeò vt cum possent constanter, & more fortium virorum mori, dum sibi blandiuntur, & sperant consecuturos veniam molliter cessisse timori, & coactos occumbere absq. vllo honore perinde ac si fœminæ forent, aut homines plebeij. Non ita se gessit Cremutius Cordus sub Tiberio, qui certus mori orauit grauiter, & disseruit contra crudelitatem Tiberij, & Seiani quæ oratio recitata est à Tacito, digna quæ legatur, & relegatur, vt Cremutianæ constantiæ splendor magis, ac magis elucescat.

Sed aliquid adhuc de Musonio referendum. nam Philostratus ait tanti habitum inter philosophos tempore Neronis, vt primus censeretur esse post Apollonium. Præditum fuisse corpore admodum robusto. cæteroqui enim in carcere animam exhalásset. quod vero ibidem vocatur Babylonius, id prorsus reyciendum, cum Tacitus disertè dicat fuisse Tuscum.

Expenduntur quædam, quæ narrantur à Philostrato ad philosophiam Titi facientia. attingitur aliquid de Lepore marino, & Vesuuiano incendio. Cap. LXXX.

AD *Titi Cæsaris philosophiam refer, quod est apud Suetonium:* cognita vtriusq genitura, imminere pe In Tit. cap. 9.

riculum ambobus (*duobus patruis*) affirmavit. *hinc colligo Chaldaicae scientiae fuisse peritum, quam quidem scientiam quodam dialogo conatus est defendere Lucianus, cum tamen in alijs dialogis intemperanter inuehatur in philosophos friuolis motus argumentis.*

Idem Titus philosophia procul dubio impellente, postquam adeptus est principatum, nullam caedem fecit, & casto vixit, qua de re legendi Dio, & Suetonius. nam quid magis repugnat philosophiae, quam sanguinem fundere? Certè etsi sciret sibi insidias parari à fratre, nunquam potuit adduci, vt eum interficeret, quod exemplum sane memorabile Ludouicus XIII. Francorum Rex hoc tempore imitatur, qui toties fratri noua molienti ignouit.

Castitas quoq. decet philosophum, & Titus Berenicem, quam tantopere amabat, factus Imperator dimisit ex vrbe, sic Iulianus post obitum vxoris, vt philosophia redundabat, omni abstinuit Venere.

Si credimus Philostrato in vita Apollonij, Titus noluit
lib. 6. cap. 13. *coronari ob expugnatos Iudaeos quod eiusmodi victoria opus Dei foret iram suam contra perfidam gentem ostendentis quae tamen narratio videtur vacillare, quandoquidem teste*
cap. 6. *Suetonio,* triumphauit cum patre. *plus profectò est triumphare, quam coronari. si renuerat Titus coronari, cur voluit triumphare? sic prope innumera videntur reperiri in illa vita Apollonij fabulis ficatis affricta. Philostratus tamen refert epistolam ea super re ab Apollonio scriptam ad Titū, additq. accersitum philosophum, Titumq. ei ostendisse Epistolā Patris qua fateretur Apollonium esse auctorem omnium bonorum, quae ipsi haberent: quod quis credat? An Apollonius*

Ves-

Vespasianum fecit Imperatorem? quis hoc credat de Apollonio Philostratus? frustra. nam id prorsus inverisimile est; & Eusebius contra Hieroclem id mendacium arguit, proptereaq. putat totam illam scriptionem natare, & conflatam ex mendacijs.

Narrat deinceps Philostratus Demetrium Cynicum philosophum à quo edoceretur Titus, traditum ab Apollonio qui quidem Demetrius tunc Romæ erat. huius quoq. narrationis fides sit penes auctorem. Certè qui de Tito scripserunt, nihil tale recensuerunt.

Illud etiam mirum est; quod ait Apollonium dixisse Tito eodem genere mortis moriturum, quo peremptus fuit Vlysses. Vlyssem perijsse ictum à pastinaca, cuius radius venenatus est, vt propterea eiusmodi piscis abscissa cauda vendatur. Neq. enim tota pastinaca venenata est, vt falsò putauit Rauisius Textor. quin edulis est absq. nocumento, vt rectè docet Rondeletius. Tantum eius radius est venenatus, qui abscindi solet, ne obsit emptoribus pastinacæ.

Sed num à pastinaca ictus obijt Titus? Philostratus ait Domitianum vsum lepore marino, ad tollendum fratrem. quod tamen non certò affirmat, nec affirmandum certò est. quandoquidem Suetonius nihil de lepore marino profert, cap. 10. *tantum febrim memorat. Dio ait:* Fama est fratrem ei mortem attulisse.

Quam autem venenatus sit lepus marinus, & quam grauia afferat symptomata exponunt scriptores de animalibus, & Medici Aetius, Paulus Ægineta, neq. enim credendum est tantum pulmonem vlcerari, quod visus est dicere Galenus, qua de re diligenter agit Rondeletius lib.

XVII, cap. XI,

Quæ protuli quod ad philosophiam faciant, cuius philosophiæ peramans fuit Titus, a quo etiam antequam discedam dicam extitisse sub eius imperio incēdium Vesuuinum, quod magnum fuit prodigium, & optimi Imperatoris portendit mortem, calamitatemq. publicam sub Domitiano osore philosophiæ, & philosophorum. Ne quis irrideat significatum talium prodigiorum.

Sed inquies: Arsit superioribus annis Vesuuius mons quid mali consecutum? tali interrogatione me pupugit Vir e numero procerum, cum de prodigialibus signis loquerer. subieci: Nonne calamitosa sunt bella Germaniæ, bella Insubriæ, bella exorta inter Regem Catholicum, & Christianissimum? subest Vesuuius imperio Hispanico. Nonne ei prodigiale fuit signum Vesuuinum incendium, amissis tot munitis vrbibus, quas inter nouissima Perpinianum, deficientibus à Rege Cathalanis, & Lusitanis.

Stipes est, quisquis talia prorsus contemnit. Anno MDCXVIII. concidit mons, & obruit nobilissimum oppidum Plurium. Tunc exortæ sunt turbæ in Rhætia, & Valtellina, quæ turbæ quas non dederunt clades illi prouinciæ.

Duobus abhinc annis cum Magnus Dux Etruriæ ipso Paschatis die auditurus esset sacram concionem post prandium in templo primario Liburni, contremuit tota moles, & tantum non cōcidit. perculsi aulici gladios eduxerunt pro salute sui Principis pugnaturi. respondi id prodigiale esse, & indicare bellum. non multis abhinc diebus pluit plumbum in mari Tyrrheno, & eius aliquot libras Liburnum tulerunt nautæ exploratissima veritate. Nonne iam

omnia ad bellum spectant. nonne quotidie causæ dissidiorum crescunt, & vndiq. milites conuocantur? quibus expositis placet memoriæ laudatissimi Imperatoris Titi hoc offerre epigramma:

Cur te Cælicolæ rapiunt florentibus annis,
O Tite? cur pro pero mergens interitu?
Si mira virtute micas, si mitis in omnes
Cæde vacas, sophiam [illegible] colis atq; sophos?
Cur datur imperium Fratri, quo sæuior vllus
Non habuit Romam, Romuleosq; viros?
Scilicet [illegible] est lubitum vulgâre Deorum,
Et magni abstrusum ius penetrare Iouis.

De Iulio Agricola nimis vehementer in adolescentia incumbenti studio philosophiæ. Cap. LXXXI.

IVlio Agricolæ, Taciti Socero, viro fortissimo sese fere [illegible] philosophia, heroemq. sui studiosum deducit in cœtum [illegible] rum, qui amâdiunt, e genere Romano cum essent, philosophiæ [illegible] adolescens à matre ad excolendum studijs philosophicis ingenium Massiliam missus est, locum Græca comitate, & prouinciali parcimonia mistum, & bene compositum. Memoria autem tenere se refert Tacitus gener [illegible], solitum ipsum narrare se in prima iuuenta studium philosophiæ acrius vltra quam concessum Rom. ac Senatori hausisse, ni prudentia matris incensum, ac fla[illegible] animum coercuisset, scilicet sublime, & erectum ingenium pulchritudinem, ac speciem excelsæ magnæ [illegible]

vehementius, quam cautè appetebat. mox mitigauit ratio, & ætas, retinuitq. quod est difficillimum, ex sapientia modum, de qua sententia iam pridem coniugaui prælectionem publicè habitam in Gymnasio Pisano, cum de vita Iulij Agricolæ Tacitum narrantem iuuentuti studiosæ interpretarer, explanarem. Nil autem vetat prælectionem augere epigrammate de studijs philosophicis, deq. virtute bellica cuiusdam Agricolæ à me composito.

Massiliam properat primo sub flore iuuentæ
 Iulius, vt redeat doctior inde domum,
Atq; sagax animum mergat ciuilibus vndis,
 Norit & armigeris dicere iura viris.
Quam benè cesserunt, quæ fecit vota Mineruæ,
 Virtutis rectum quam benè carpsit iter.
Vicit enim gelidos dextro Dux Marte Britannos,
 Atq. auxit spolijs aurea templa Iouis.

De Domitiano iubente exulare Roma philosophos. Cap. LXXXII.

E*Xulare iussit Roma philosophos Domitianus, Imperator crudelis. qua de re Gellius lib. XV. cap. XI.* philosophi Domitiano imperante senatusconsulto eiecti, atq. vrbe, & Italia interdicti sunt, qua tempestate Epictetus quoq. philosophus propter id senatusconsultum Roma decessit. *vnde arripuerit occasionem talis senatusconsulti condendi, narrat Suetonius in Domitiano cap. X. damnauit* Iunium Rusticum, quod Pæti Thraseæ, & Eluidij Prisci laudes edidisset, apellaretq.

eos

eos sanctissimos viros: cuius criminis occasione philosophos omnes vrbe, Italiaq. submouit. *hæc Suetonius. in Tyrannum docta Satyra inuecta est Sulpitia Romana, cum non ferre posset philosophos pulsos Roma. inter alia inquit:*

Nosne iubet (*Iupiter*) tacitos, & iam rationis egenos
Non aliter primo, quam cum surreximus æuo
Glandibus, & puræ rursus procumbere lymphæ.

Tuetur autem philosophiam, quia sapientia pacis id est philosophia creuit Roma. diceret qui vellet esse molestus, sapientes quidem fuisse Romanos antiquos, sed nequaquam philosophos, aut edoctos à philosophis græcis. Certè Ennius philosophus non videtur fuisse, quo tamen ait, vt tueatur philosophos, profecisse Magistro Scipionem. eius verba sunt.

Scipio, qui Rudio creuit formante Magistro.

Potuisset quis etiam defendere senatusconsultũ exemplo prolato è temporibus Respublicæ, quando iidem pulsi fuerunt philosophi, atq. etiam Mathematici.

De Deciano, approbante dogmata Stoicorum. Cap. LXXXIII.

DEcianum apparet æmulatum fuisse dogmata Stoicôrum, tempore Domitiani Imperatoris ita tamen, vt non voluerit ambitiosa morte inclarescere, & pudentem vitã se seruiuiam Domitiani, ad eum sic scribit Martialis lib. I. Ep. IX.

 Quod

Quod magni Thraseæ consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris saluus vt esse velis
Quod fecisse velim, te Deciane facis.

Mox subjicit:

Nolo virum facili redimit qui sanguine famam.
Hunc volo laudari qui sine morte potest.

Errant, qui putant Decianum improbâsse exitum Thraseæ, & Catonis, etsi laudaret dogmata. nec enim verisimile est tantos viros, qui tanti fiebant à Deciano vituperatos. sed [illegible] sub sæuo Principe sic se gerere, ne cogatur a[illegible] mortem accipere. in quam rem planè audiendus est Tacitus in Agricola: non contumacia neq. inani iactatione libertatis, famam, fatumq. prouocabat. sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse. *quibus verbis Thraseam ne[illegible] suam perstringit, quem ipsam virtutem appellauit XIV annal.*

Laudat tamen Agricolam, qui cum magnus vir esset, potuit sub Domitiano viuere. sic ferè Decianus Stoicus commendatur à Martiale, quod [illegible] tempori. & posset obliquare [illegible] nunquam ausus fuisset, [illegible] esset, aut [illegible] quod contigit [illegible], qui in exilium [illegible]. Rusticus autem [illegible] occisus, quod laudâsset Thraseam.

R[illegible] de Prado [illegible] quædam ex scriptoribus, [illegible] manus, cum nihil [illegible] Martialis. tantum probat quod Decianus [illegible] causam moriendi.

Interim faciamus secundum religionis nostræ sanctita-

tem

[illegible]

De Traiani affectu erga philosophiam, de Dione philosopho ab eodem valde amato. Cap. LXXXV.

GRatissima vice, philosophia, quae pressa iacebat sub Calui Neronis imperio, ad fulgorem reuixit, pristinumq. recepit decus imperante Traiano, qui publica Senatus Romani voce, optimus appellatus fuit. Licuit scilicet exulibus repetere urbem, honestissimoq. otio frui. Ait ergò Iuuenalis sat. VII.

Et spes, & ratio studiorum in Caesare tantum.

Quamuis enim videatur tantum loqui de studio poëtices, id tamen etiam imò praecipuè ad philosophiam est transferendum, id suadent verba Plinij in Paneg: quam dignitatem sapientiae doctoribus habes? vt sub te spiritum, & sanguinem, & patriam receperunt studia quae priorum temporum immanitas exilijs puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitijs artes non odio magis, quam reuerentia relegaret. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. *Vnde colligere est errare veterem scholiasten, qui satyram VII. putat à Iuuenali ad Domitianum exaratam fuisse. Comprobatur autem beneuolentia Traiani erga philosophos, ex ijs, quae profert ipse apud Iulianum Imperatorem in Caesaribus, vbi aloquens Deos ait:* R[illegible]acitus sum vestram progeniem philosophiam. *adde quod adamauit Dionem, de quo haec Suidas:* Dion Pasicratis filius, Prusaen-

factus sophista, & philosophus, quem Chrysostomum appellarunt magnificentiam ita affectabat vt etiam leonina pelle indutus prodiret corpore tenui, & maximam ætatis partem exegit apud Traianum Cæsarem vt etiam curru Imperatorio veheretur. *Quin non deest qui asserat etiam Neruæ Cocceio fuisse familiarissimum, & propterea à Plinio lib. X. Epist. Cocceianum fuisse appellatum. nec silent alij eum nobilissimorum Romanorum amicitias studiosè coluisse, præsidibusq. atq. proconsulibus vehementer fuisse acceptum, incidit tamen in odium Domitiani, quod admiratione caret. vixit igitur exul, quamdiù regnauit Domitianus. sub Nerua non solum rediit in patriam, sed & Romam ad Neruam se contulit, vt pro patria orationem haberet. sed Nerua mortuo id, quod cupiebat impetrauit à Traiano. Prorsus autem digna sunt lectione, quæ summus vir Synesius de Dione exarauit.*

Traianus ergò inter Principes de philosophia benemeritos recenseatur talesq. de ipso promantur versus:

Vlpius aspexit sophien, miserasq. Camœnas,
Largitusq. tibi est aurea dona Dio.
Socratis asseruit cœtum, mystasq. Lycei,
Et quos Zenonis porticus vsq. docet.
Quid mirum tali si Principe floruit orbis?
Et viridis cinxit frondis honore comas?

Tacitum inter Philosophos posse recenseri, cum tanquam Gentilem disseruisse, & fuisse in communi errore Gentilium. attingitur censura Famiani Stradæ.
Cap. LXXXV.

AN Tacitum taceam, an Cornelî scripta silendo
Transmittam, & famæ vertice dejectum,
Dum Sophiæ memoro cultas, quos prisca tulerunt
Tempora, Romuleis nobilitata focis?
Non sinat hoc magni cerebro Iouis edita virgo,
Non Genius, libros qui perijsse vetat,
Teq. iubet fuscis, Famiane, inuoluier vmbris,
Cum tanti nequeas lumina ferre viri.

Si quis obstrepat, eatq. insistat debere recenseri Tacitum, de philosophia apud vrbem Romam quando agitur, quod fuerit orator, caussasq. defenderit in foro, & Galliam Belgicam pro Cæsare rexerit scripseritq. historias, contendam ego inter philosophos quoq. par esse vt Tacito detur locus, nam de sedibus Germanorum, deq. situ Germaniæ tanquam Geographus egit accurate, philosophicam autem esse materiam Geographiam satis superq. ostendit Strabo statim in principio sui operis. qui namq. primi Geographiam attingere ausi sunt, philosophi fuere Homerum dico, Anaximandrum Milesium, eiusq. ciuem Hecatæum, Democritum, Eudoxum Dicæarchum, Ephorum, & ætate posteriores Eratosthenem, Polybium

bium, Posidonium.

In VI. Annalium grauiter disputat de hac quaestione: Casune obnoxia sint res hominum, an à fato regantur? in qua ostendit se philosophum haud fuisse.

Historici qui non rem simpliciter, sed addito subinde iudicio, aspersisque utilibus praeceptis narrant, philosophorum in censu iure meritò collocantur. Tacitus autem tantum acumen, tantamque attulit ad eiusmodi tractationem solertiam, ut nemini cum ferat secundas, parte quando de aulicae vitae arcanis cum prudentia agitur, neminem non post se reliquit.

Facile autem est occurrere iis, quae in aduersam partem proferuntur. Etenim, & Cicero orauit in foro, & tamen tot, de philosophia composuit libros, & alij magni viri non solum prouincias rexerunt, sed & exercitibus praefuerunt non expertes philosophiae, quod verum esse hic ipse liber multis ostendit in locis. nam historias scribere, quae nomen perfectarum mereantur historiarum, philosophi profectò est, qui saltem magnam habeat rerum ciuilium cognitionem.

Deinde si scire cupies, cui sectae potissimum Tacitus suum dederit nomen? & dicas, Epicureae, nam in VI. Annal. probare conatur omnia esse obnoxia casui, & fortuitò res humanas euenire, Mihi sic subiicit iustam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines dijs curae. *haec Democritea, & ex medio Epicuri horto petita quis negat?*

In primo historiarum ait, securitatem nostram non esse dijs curae. *haec eandem impietatem praefert Epicuream.*

Puto tamen Stoicis valde fauisse Tacitum, quod toties

tam

eam honorificè memoret vt ros Stoicos, & summòpere commendet Thraseam Pætum, Heluidium, Senecam, aliosq. nec taceat Demetrium Cynicum.

In VI. Annal. tuetur fatum, ita tamen vt non euertat arbitrij humani libertatem, subiungitq. verba prorsus Stoica de beatitudine: neq. mala vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari aduersis videantur, beatos, ac plerosq. quamquam magnas per opes miserrimos. *quæ merum sapiunt Stoicismum.*

In eodem autem libro conatur depellere vanitatem ab Astrologia, siue Chaldæorum disciplina, ita tamen vt existimet errores professorum non debere ipsi arti tribui.

In vita Agricolæ præfert Stoicam sapientiam, dum ait: si vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ. *particula* si *non ambigit, sed asserit, vt apud Virgilium:*

Vestro si munere tellus.

Ergò credita est immortalitas animorum Tacito, sed animorum magnorum, non quorumuis prorsus cum Stoicis, vt in opere de animarum transmigratione vberius exposui.

Quæ autem apud ipsum præferunt Epicureum dogma non ex propria sententia, sed obijciendo proferuntur, vt mox refellantur. nam refert quosdam pro casu sic certare, vt dicant, creberrima & tristia in bonos, læta apud deteriores esse. *quæ tamen postea confutat. quæ melius confutasset, si dixißet aliquid de vita beata post hanc, deq. supplicijs malorum. neq. enim rectè soluitur eiusmodi obiectio nisi affirmemus animas postquam solutæ fuerint à corpore-*

 pore-

pribus permanere, & plecti propter vitia, præmijs affici propter virtutes. qua de re grauissimè, & prorsus sapienter differit Plutarchus in libro de Sera Numinis vindicta, sine quo quidem libro nolim esse Proceres, & Principes, vt intelligant, cur Deus scelera plectat etiam in posteris, & cur pro patribus sæpe vapulent filij.

Sed erit qui dicat Tacitum Pyrrhonis in modum dubitasse, & suspendisse mentem ab assensu, cum in VI. An. scribat mihi in incerto iudiciũ est, *addita ratione* quippe sapientissimos veterum diuersos reperies, *quæ absq. dubio petita sunt ab Arcesila, & Carneade.*

Apparet tamen non hæsisse Tacitum in eiusmodi ambiguitate sed obiecisse, vt postea suam exponeret sententiam. Sic & Claudianus in carmine illo, cuius initium:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,

ait parum abfuisse, quin in barathrum Epicureæ impietatis incideret, sed viso supplicio Ruffini à se deos absolutos.

Verum enim verò quid dicemus de verbis illis Taciti I. Histor. non esse curæ dijs securitatem nostram? *Respondendum est non Epicureo more locutum, quandoquidem addit:* esse vltionem. *si dijs est curæ vltio, certè curam gerunt rerum humanarum. Conquestus autem est more Gentilium de dei prouidentia, & erupit in verba, quæ extant etiam apud Lucanum:*

Felix Roma quidem ciuesq. habitura superbos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet.

Sic apud Statium Lycurgus Rex & sacerdos deflens mortem Archemori Iouem appellat perfidum. *Rursus Lucanus*

alicubi

alicubi ait, nos mentiri, dum dicimus regnare Iouem, & Statius conqueritur de Ioue, qui passus sit se vinci, cum recitaret in Capitolio Thebaidem. quid memorem Ouidium, qui ait : sollicitor nullos esse putare Deos.

Apud Homerum Achilles inuehitur in Martem. hæc & similia si suæ iussisset obuersari memoriæ Famianus Strada non sumpsisset sibi solum conterendum Tacitum, prætermissis alijs Gentilibus, prætermisso Lucano, qui talem querelam ante Tacitum condiderat aduersus Deos quin miseratus fuisset Taciti conditionem tanquam hominis Gentilis ipsi communem cum hominibus illius seculi. Non verò inde architectatus fuisset argumentum, ad detrahendam fidem Annalibus, & historijs Taciti. exclamat tamen Famianus: O peruersam hominis interpretationem: adeò ne impiè quisquam indoctus sit, vt cum seculum suum vitiorum feracissimum fateatur indignetur nihilominus, si supplicijs hoc est peccatorum pœnis illud afflictari sentiat. *non dolet Tacitus, nec queritur quod scelera puniantur, vt ei ita imponit per calumniam. sed dolet non æqua lance à dijs distribui præmia ac pœnas, quia dixerat* bona exempla prodita *fuisse ab illo* seculo, comitatas profugos liberos matres, *& quæ alia ibidem sequuntur. hinc ratiocinatur Tacitus: si supplicia inferuntur sceleribus. cur desunt præmia virtutibus? Nos Christiani illustrati vero lumine religionis admiramur abyssum iudiciorum Dei, & scimus superesse aliam vitam post hanc. Non omnia hic scelera plecti, & virtutibus sæpe reseruari præmia in cœlo, quod nos S. Lucas cap. XVI exemplo mendici Lazari, & diuitis Epulonis docere voluit; Abraham*

 namq.

vamq. a e diuiti: Recepisti bona in vita tua. eiusmodi lux si affulsisset Lucano, si Tacito, si Statio, si alys Gentilibus non erupissent in verba impatientiæ, imò impietatis non experta aduersus Numen. Tu autem Famiane intemperanter te geris aduersus vnum Tacitum, & ridiculum in modum conquereris, quod scripta Taciti obesse queant religioni. At nullius non scriptor Gentilis incommodare potest inspice Homerum, Ciceronem, Senecam, Virgilium, Plutarchum, Liuium, & quemcumq. alium, ipsum Platonem, & Aristotelem. Certè nisi quis cautè talia opera legat, sentiet ipse suæ pietati, suæ Religioni, quam Christus seruator noster docuit diuinitus, damnum, incommodumq. obrepere.

Nec mirabitur Strada hæc à me prolata, ne conteratur Tacitus, cum fateatur ipse etiam pro Tacito oblubtatum

p. 30. familiarem suum, quem rerum Ciuilium non inficetum æstimatorem appellat.

Adde me non vno loco in hoc opere ostendisse, non minus Epicuream, quam aliam quamcumq. sectam potuisse Romæ suscipi, & palam defendi, & porrò ad discipulos propagari, quod colligi etiam potest ex auctione vitarum apud Lucianum, & ex eiusdem Hermotimo, siue de sectis. Epicurea autem stultitia tota prouidentia spoliabat deos, omneq. Numini auferebat curam rerum humanarum, inq. tali opinione absq. dubio apud Vrbem Romam multi versabantur. quo more si se voluisset gerere Tacitus, more suorum temporum vsus fuisset, & tamen tam grauiter, tamq. sapienter in VI. Annal Dei prouidentiam tuetur tamquam Stoicus aduersus Epicureos, vt magnam illi iniuriam faciat, quis-

quisquis accuratam disputationem metitur ex pauculis verbis, & non potius, quæ velut in transitu, aut saltem non philosophica dissertatione dicta exigit ad VI. Annal.

Dum autem asserit dijs esse curæ vltionem, non esse securitatem, non est totus Epicureus, sed aduersus Epicurum intentat metum sceleratis hominibus. docet namq. vindices esse Deos & plectere scelestos, vt qui non ducitur virtutis amore, saltem formidine pœnæ deterreatur à male agendo. Cuius opinionis exemplum videtur præbuisse ille, qui dixit: primus in orbe deos fecit timor. *qui profectò non accusauit* crudelitatis *Deos, nam crudelis dicitur, qui præter modum, præterq. leges parua delicta grauissimis pœnis plectit, aut etiam supplicijs afficit innocentes, & tamen audet dicere Famianus tribui dijs à Tacito* crudelitatem, *cum tantum dixerit, Deos plectere scelera.*

An crudelis dici debet Magistratus, qui sontes iuxta leges iubet luere pœnas? Nequaquam. sed pronunciauit Tacitus de dijs, atq. adeò saltem partem diuinæ prouidentiæ contra Epicuream impietatem defendit, quæ defensio tantum abest, vt obsit religioni, vt magnopere conducat: cum maior hominum pars, & præsertim plebs timore ducatur non generoso Amore.

Qua-

Qatenus Tertullianus appellauerit Tacitum, loquacissimum mendaciorum? an vt adulator sit reprehendendus idem Tacitus? Cap. LXXXVI.

PErstat in accusando Tacito Famianus, & ait ipsum loquacissimum mendaciorum *appellatum fuisse à Tertulliano, sequitur vestigia Famiani Mascardus, & vt robur addat Tertulliano eum vocat* hominem grauissimum.

Dico ego Famianum, & Mascardum insigniter abuti verbis Tertulliani ad tollendam auctoritatem Taciti in historia, quia quod Tertullianus protulit de Tacito propter ea, quæ narrantur ab ipso de origine Iudæorum, hoc perinde accipit Famianus, ac si depromptum fuisset de omnibus narrationibus Taciti. quod verba Tertulliani debeant restringi ad narrationem de origine Iudæorum, quæ continentur in V. histor. in principio, ipse locus apud Tertullianum in Apologetico inspectus, indicat. Curtius igitur Pichena, vir grauissimus in Epistola ad Cosmum Etruriæ Magnum Ducem, cum in cæteris mirificè commendet historiam Taciti, culpat eum quando agit de Origine Iudæorum. sic enim scribit: hoc vnum in summis Taciti laudibus excipiendum fuit. *vbi etiam fatetur Tacitum commune culpa cum reliquis Gentilibus, Iustino, Plutarcho, alijsq. peccasse.*

Quod si verba Tertulliani vniuersim accipienda essent, Iustinus, Plutarchus, alijq. historici loquacissimi mendaciorum *dicendi forent. hinc Lipsius in notis ad V. histor.*

Hoc

Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt, ne tantopere noster culpetur. Et sanè Strabo, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo maiora deliria deblaterârunt contra gentem, & libros sacros.

Quod si loquacissimus mendaciorum dicendus est Tacitus te quidem sic accipiente verba Tertulliani, cur cum hactenus tot viri egregij sudare suffecerint suam diligentiam in illustrando Tacito, non indicârunt cumulum mendaciorum, vt studiosa iuuentus ab ijs posset abstinere? Cur tu tali non es functus opera? cur narrationes eius non contulisti cum Suetonio, alijsq. & significâsti, quibus in rebus ipse mentitus tam frequenter scilicet fueris? Ego quidem, vt verum fatear, cum publicè in scholis vtrumq. Tacitum nempe & Suetonium exposuerim, & similia loca vndiq. conquisiuerim ex alijs scriptoribus, non potui deprehendere ingentem illum aceruum mendaciorum, quem tu in tanto historico reperiri adolescentibus vis persuadere.

Sed vrget Tacitum Mascardus, dum vocat Tertullianum grauissimum hominem. *Nos non renuimus habere fidem Tertulliano reprehendenti Tacitum in narratione de de origine Iudæorum. Sed id negamus debere transferri ad vniuersæ historiæ corpus.*

Quod verò Tertullianus grauissimus vocatur, id nescio quam grauiter proferatur. nam transfuga discessit ab Ecclesia Catholica ad furorem Montani, & Priscillæ, quo quid leuius fieri potest? recensetur ipse inter Sectarios. non ergò grauissimus. S. Hieronymus renuit ipsum hominem Ecclesiæ appellare. extant duo libri, quibus Catholicos Tertullianus

tota contentione oppugnat, vbi etiam gloriatur se discessisse à Catholicis, quos contumelioso nomine Psychicos *nuncupat. hocne est* grauissimi hominis *munere fungi? adde plerosq. libros, quos hodie legimus aut scriptos, aut saltem ab ipso recensitos postquam deseruit Catholicos, hoc colligo ex eo, quia in plerisq. iactat, & commendat suum Paracletum. Neq. enim Catholicus confugisset ad enthusiasmos Montani, quos laudauit passim sub nomine Paracleti.*

Addiderim Tertullianum minus honorificè locutum videri de Tacito, quia Gentiles abutebantur eius testimonio ad oppugnandam veritatem Christianam sic multi S. Patres inuecti sunt in Platonem, in Aristotelem, in Socratem aliosq. ipse etiam Tertullianus explosit philosophos tamquam hæreticorum Patriarchas, quia tunc vigebat error Gentilium. Postquam autem euanuit vetus superstitio Nationum, longè aliter etiam Christiani se cœperunt gerere circa philosophiam, & philosophos, ob vtilitatem quæ potest hauriri ex eiusmodi operibus, omissis tamen erroribus, quibus fuerunt obnoxij philosophi tamquam Gentiles. Vide quam honorificè de Socrate, Platone, Anaxagora, Canio, Seneca, Serano atq. tota philosophia loquatur Boetius, heros Christianus, omniq. exceptione maior, quando librum composuit de consolatione philosophiæ.

Arguitur etiam Famianus Tacitum adulatum fuisse Imperatoribus, à quibus beneficijs fuerat affectus. hoc si verum est, non ergo adulatus est Galbæ, Othoni, Vitellio, quos non cognouit nec beneficio, nec iniuria.

Nec sequitur aliquem historicum esse adulatorem, quia

scribit

scribit de Principe, à quo beneficijs affectus est; aperiret caeteroqui etiam Famianum adulatum fuisse Farnesianae Domui, quia Societas Iesu, cuius membrum est Famianus, ingentibus est cumulata beneficiis à Farnesiana beneficentia. Nec credendum foret Polybio narranti res gestas Scipionis Africani, quia comes erat tanti Ducis, eiq. carissimus. tolleretur fides T. Liuij, quia narrat res gestas populi Romani, cui ipse absq. dubio plurimum debebat. mendax esset dicendus Catherinus Dauila, dum bella ciuilia Gallorum refert; nam valde fuit obstrictus Reginae Catherinae, & Henrico III. Quid referam Pompeium Iustinianum, Bernardinum Mendozam, Cominaeum, Bembum, Guicciardinum, Ammiratum, Polydorum Vergilium, Bonfinium aliosq.?

Quod autem beneficiis non se passus fuerit transuersum agi Tacitus ex eo quoq. discere est, quia in primo histor. ait suam dignitatem à Domitiano longius prouectam. & tamen ipsum vt subdolum, crudelem malumq. Principem iure merito inuehitur sub finem Iulij Agricolae. Non igitur verisimile est quod voluerit adulari Vespasiano, & Tito. Nam quis inficias eat egregios Principes fuisse Vespasianum & Titum? legatur saltem Suetonius.

Dicet Famianus adulatum Tacitum Vespasiano, quando narrauit factum de claudo, & caeco accedentibus Alexandriae ad Imperatorem.

Sed cum narrationem texeret Tacitus iam mortuus erat Vespasianus, vt colligere est ex I. histor. nam inquit: quod si vita suppeditet principatum diui Neruae, & imperium Traiani senectuti seposui. Ergò de Vespasiano scripsit sub Traiano. An Famiane quisquam adulatur mortuis?

Ad saltum claudi, & caeci quod attinet idem refertur à Suetonio, qui prorsus non cognouit Vespasianum, quandoquidem floruit sub Hadriano. Veridicum autem esse Suetonium ipse fateris.

Dices: An igitur habes fidem Tacito? dicam ego vicissim: an fidem habes Suetonio? idem nodus, qui mihi soluendus proponitur, tibi est expediendus.

Malus enimuerò Dæmon illudebat caecis mortalibus illa tempestate. hinc decepti superstitione non minus Suetonius, quam Tacitus, miraculum ausi sunt tribuere Vespasiano, cum esset impostura mali Genij, quâ de re videre potes doctissimos Theologos, atq. inprimis Cardinalem Bellarminum in libro de Notis Ecclesiae capite de miraculis.

De philosophica sententiarum grauitate, quæ reperitur apud Tacitum, qui lectorem impellit ad generosam virtutem, & auertit à vitijs. Cap. LXXXVII.

AVlam quisquis ingreditur, muniat animum philosophica sententiarum grauitate, quae reperitur apud Tacitum. sic ipse non difficulter deprehendet callidissimorum hominum fraudes, ab ijsq. sibi cauebit, ipse interim candidus scelerum osor, probitate robusta succinctus veram, & non simulatā sectabitur virtutem, Principi non adulabitur, nō faciet candida de nigris, non venalem habebit operam, non blandities, non laudatiunculis obrepere conabitur alienae beneuolentiae, sed generosus, & magnanimus scelera clare detestabitur, sapientum amicitiam sectabitur, à

Vafris autem homuncionibus, qui specie sapientiæ potentiam exercent, sic abhorrebit animo, vt internum eorum virus apertum odium vitet, atq. declinet.

Inuenire autem in Tacito philosophicam sententiarum grauitatem etsi per se notum sit, tamen quia infelix nostrorum temporum conditio fert, vt pauci se exerceant in legendo tanto scriptore, iubet quasdam hic recensere, quærereq. ex patre Famiano: An talia dicta sapiant adulatoriam mollitiem, an præferant Epicuream impietatem? imò fatebitur quisq. ipsa quouis Socrate, quouis Platone, quouis Seneca esse dignissima, hominesq. à sceleribus valde deterrere, & Dei prouidentiam egregie adstruere, minimeq. palpum Regibus obtrudere.

XIV. Annal. à Nerone perfecto demum scelere *(in occidenda matre)* magnitudo eius intellecta est. *Cur ita? quia mens sibi male conscia statim velut occultus tortor incipit scelestum hominem vexare, laniare, vt vultur ille Tityum, cuius iecur intimum à rostro auidæ auis pererratur. Accedunt furiæ, quæ cogunt reum patrati criminis insomnes ducere noctes. Sunt furiæ mali Dæmones, quibus Deus impios mortales tradit vexandos. Sic de Nerone loquitur Tacitus ibidem:* reliquo noctis, modò per silentium defixus, sæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam. *Ne Christianus quidem scriptor potuisset melius describere statum Neronis dantis pœnas ob occisam Matrem, & sentientis se perire antequam periret.*

VI. Annal. postquam recitauit initium literarum Tiberij ad Senatum, quibus testabatur se quotidie perire, sicq. ne-

nescire quid scriberet, addit: Adeò facinora, atq. flagitia sua ipsi quoq. in supplicium verterant. *Non tacet ex sententia philosophi praestantissimi:* si recludantur tyrannorum mentes posse aspici laniatus, & ictus. *non omnia transcribo. quae profectò Stoicorum robur, dein eam claritatem aduersus malos Principes, perditissimosq. Proceres praeseruos, vt propterea Iouem rogauerit Persius, ne alia ratione puniat Tyrannos, quam efficiendo, vt*

Virtutem videant, intabescantq. relicta.

Item Tacitus statim in principio eiusdem VI. Ann. narrat, cur saxa & solitudinem maris repeterat Tiberius pudore scelerum, & libidinum. *quam bene Seruator noster:* qui malè agit odit lucem, ne detegantur opera eius.

In primo Historiar. Galba ait Pisonem imperaturum hominibus, qui nec totam seruitutem, nec totam libertatem pati possunt. *quibus verbis, & damnat absolutam in Principe potestatem, nec approbat effrenem plebis, & populi licentiam. ostendit optimum Respublicae genus esse id quod miscetur ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia. quam mixturam alibi quoq. Tacitus non obscurè cuiuis regiminis praefert, secutus grauissimum scriptorem Polybium. At nostra tempestate scriptores vt adulentur Regibus absolutam potentiam euehunt, commendant. quod tamen nec Regibus ipsis, nec subiectis populis conducibile esse res ipsa semper clamauit. Nonne qui male imperarunt apud Romanos, absolutam potestatem conculcatis legibus arripuerunt, vt pro lubitu iuberent quod visum fuisset lege vitam Tiberij, Caij Caligulae, Neronis, & perpende quem etiam finem*

nem sortiti fuerint, saltem Caligula, & Nero. Boni autem Principes non indigent absoluta potestate, nam legum obseruantissimi nullos experiuntur sibi repugnantes, cum imperent animis amati, non terribiles. vide qualis fuerit Titus, qualis Nerua, Traianus, Antoninus Pius, Marcus philosophus, quam familiariter se gesserint erga alios, nec tamen contempti sunt. Nonne Traianus cum traderet gladium præfecto Prætorio dixit: vtere pro me si meruero, aut etiam contra me, si itidem meruero. Narrat optimus Princeps se non recessurum à tramite Romani moris.

Sub finem vitæ Iulij Agricolæ sic loquitur hic Tacitus: Si quis piorum manibus locus placidè quiescas nosq. domum tuam ad contemplationem virtutum tuarum voces. particula si non videtur ambigere, sed affirmare. putauit igitur Tacitus superesse animas postquam solutæ fuerint à corporibus. putauit par esse, vt contemplemur virtutes eorum, qui cum viuerent præclare se gesserunt.

XI. Annal. Lepida suadebat filiæ Messalinæ, ne opperiretur interfectorem, turpe namq. tunc censebatur opperiri eum à quo quis iussu Principis occideretur, suadebat quandoquidem vita transisset, morti decus quærere, sed frustra fuere verba, quia animo per libidines corrupto nihil honestum inerat. excluditur omne decus, omnis honestas à pectore eius, qui se totis obnoxium reddidit libidinibus. ipsæ enim sic emolliunt, sic deuinciunt animum, vt auelli non possit à corpore, ne voluptate desinat frui, sed qui duram, generosamq. sectantur virtutem, ij sic etiam possunt discedere à vita non absq. decore, quod videre est in sanctissimis nostris Martyribus.

Eri-

Erigit ingenia excelsa, & liberalia Tacitus ad colendum bonum Principem, non contumaciam instillat animis, non odium Principatus, quod facit etiam Lucanus, quem frustra aliqui ut contumacem, & refractarium accusant. detestabatur ipse scelera Neronis, & miserabatur statum gementium ciuium sub crudeli Tyranno, dolebat amissam libertatem, nec tamen Principatum absolutè damnabat. quod dicendum quoq. de Tacito, qui fatetur posse egregios viros etiam sub malis Principibus esse saluos, si adsit modestia. En tibi verba eius in vita Iul. Agric. sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse.

Quod non displicuerit Principatus Tacito discere est ex laudibus, quibus cumulat Traianum. I. hist. sic loquitur, postquam locutus est de imperio Diui Traiani: rara temporum felicitate, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet. *concinit in vita Iul. Agric.* durare in hac beatissimi seculi luce, & Principem Traianum videre.

Debere Principem cuncta ad famam dirigere, & prosperam sui quærere memoriam insatiabiliter monet idem generosus historicus, polliceturq. fore, vt vnicuiq. suum decus posteritas rependat. Nonne hoc est Principes, Reges, Rerumpublicarum moderatores potenter inflammare ad colendam virtutem, ad regendum populos secundum leges, ad conciliandam sibi eorum quibus imperant beneuolentiam, & amorem? quod si fiat, nonne erunt boni Principes, qui morigeros se præbebunt sententiis Taciti? cauebunt profectò sibi diligenter ab iis, quæ secum adferunt dedecus, &

igno-

ignominiam, nec putabunt posse extingui præsentia memoriam temporum, quæ superesse solet in historijs. Audiamus Tacitum IV. Ann. postquam narrauit libros Cremutij Cordi summi viri exustos quidem palam per ædiles, mansisse tamen occultatos: Quò magis socordiam eorum, irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nonne hodie qualis fuerit Carolus Burgundiæ Dux, etsi tunc potentissimus esset, multosq. haberet adulatores, peruorum est ex Cominæo? Nonne scimus quam sceleftus, prauéq. vafer fuerit Ludouicus Dux Mediolanensis, licet historicum conduxisset, qui sibi falsas obtruderet laudes? nihil sanè egregium ab eo Principe proficisci potest, qui solicitus non est de posteritatis iudicio, publicæq. famæ longe lateq. per quam celeriter vagantis voces spernit.

Parui animi est valde anxium esse de prorogandà vita, felicitatisq. apicem in eo ponere, vt ad decrepitam pertingas senectutem. Rebus præclarè gestis constat vitæ diuturnitas, non multorum annorum numero. Nam multi ad extremam vixére ætatem, qui cum nihil laude dignum præstiterint, prorsus ignorantur, & vicissim aliqui gloriosi sunt hodie, viuuntq. in memoria temporum, etsi non consenuerint, sed florenti occubuerint ætate. Quid quod aliqui post decus paratum reseruati sunt ignominiæ, aut calamitati grauissimæ temporum sunt inuoluti, quos satius fuisset mori, antequam talia viderent. Ita Tacitus gratulatur Socero, quod ereptus ex hac vita non interfuerit crudelibus factis Domitiani Imperatoris, dum inquit: festinatæ mortis grande tulit solatium, euasisse postremum illud

tem-

tempus, quo Domitianus continuo, & velut vno ictu Rempublicam exhausit. *Nonne feliciter obijt Seruius Sulpitius summus Iurisconsultus, quod euaserit Triumuiralem proscriptionem, quæ neci quoq. dedit eloquētissimum, patriæq. libertatis amantissimum Ciceronem?*

Librum scriberem, si expēdere liberet totam latitudinem philosophicæ grauitatis, qua Tacitus fulget.

Recensentur, & explanantur quædam dicta Taciti ad intimam rerum ciuilium cognitionem facientia. Cap. LXXXVIII.

INtima rerum ciuilium cognitio, quam Politicen appellamus, à philosopho expectanda est. nam frustra plebeij aulici putant sufficere experientiam. Tacitus autem liberali prorsus manu nos instruit tanquam summus politicus. ne ergo patiamur ipsum per summam iniuriam excludi ex philosophorum cœtu.

Ciuilis in IV. hist. postquam aduersus Romanos Montano memorauit ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, vt eum impellat ad res nouas, ait: Ausos aut libertas sequetur, aut victi ijdem erimus. *qui duro premuntur imperio eos decet, vt viros fortes, aliquid moliri & tentare, vt iugum excutiatur, nam etsi voto non fuerint potiti, deteriori tamen non vtentur conditione, nec enim magis poterunt premi in posterum, quam hactenus pressi fuerint. Eiusmodi tamen verba cautè sunt accipienda, vt prorsus omnia, quæ à seditiosis, aut saltem rerum nouarum cupidis depromuntur, apud historicos. nec enim hi-*

stori-

storicus agens personam talium hominum ex sua sententia absolutè loqui censendus est. Certè tolerabilem subiectionem satius ferre est, quam affectando libertatem, mortem, incendia, direptiones, & alia quae comitari solent bellum, quod geritur in perduelles, sibi attrahere. quod si qui populi intolerabilem seruiant seruitutem, illis fortè rectè dixeris: ausos aut libertas sequetur, aut victi ijdem erunt. *è numero tamen eorum, qui victi fuerint praecipui supplicijs, exilio plectentur. quam verò male censet nonnemo inter politicos, optandum Principi, vt conspirationes fiant, ex quibus ipse suum fiscum ditare possit. ò tartaream sententiam. Bonus profectò Princeps non gaudet supplicijs, imò si quando aliquis plectendus est, dolet sibi talem offerri occasionem.*

I. histor. sic loquitur Galba: vtilissimus ac breuissimus bonarum malarumq. rerum dilectus, cogitare quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris. *quae verba videntur referenda ad Principatum, qui electione defertur, cum Galba adoptaret Pisonem. nam vbi Reges tradunt velut hereditatem regnum vix id dici potest, cum saepe succedant filij adhuc iuuenes, qui nequaquam adhuc iudicium facere potuerunt de ijs, quae quis in Principe aut nolit, aut velit. quid quod Filij Regum vix dicuntur parere, nam coluntur passim ac si ipsi etiam cum patribus imperarent. qui subiuit, & obediuit ille verè potest dicere, quid vellet se imperante. hinc fit vt vix quisquam magnis muneribus rectè fungatur, nisi per inferiorum honorum gradus ad fastigium peruenerit. quod cum perspiceret Aristoteles in politicis vix voluit admittere, vt filius succedat*

patri in regno. loquitur de patre, qui fuerit dignus regno. nam rara avis est filius, qui nondum perfectum usum rerum adeptus fuit, cedens tamen patri, qui bene imperavit, & ipse bene imperet, ut pater. Cur ita? quia nescit quid vellet aut nollet in imperante. Iuvenilis quoq. ætas levi negotio præceps datur in vitia ab adulatoribus. Ita legimus valde sollicitum fuisse Marcum Imperatorem de Commodo filio. Nec Hadrianus voluit sibi Marcum adhuc iuvenem succedere, sed adoptavit patrem Marci Antoninum Pium, qui iam habebat magnum rerum civilium usum. optandum saltem in hæreditariis regnis, ut Pater diu vivat, ne filio adolescenti, & imperito artium quibus regnatur relinquat sceptrum. Apud aliquas nationes receptum scimus, ut nec hæreditariam successionem respuant, nec tamen careant electione. mixtura quadam regnum temperant. nec enim bene differit qui vocat hæreditarium regnum, in quo pater tradidit regnum Filio, & hic vicissim eidem Filio, annuentibus Ordinibus regni, imò filium eligentibus. ubicumq namq. electio locum habet, non intelligitur ibi esse hæreditaria successio propriè, & absolutè sic dicta. qui enim eligit, frustra eligit, si non possit etiam reijcere, aut ante electionem eligendo aliqua pacta aliquasq leges præscribere. Quæ omnia, si bene differis, nituntur verbis Taciti, quibus testatur eum posse deligere qui scit iudicare de imperante.

In libello de Moribus Germanorum sic scribit, quando agit de severitate Germanorum maritorum in puniendis uxoribus adulteris: Nec corrumpere, & corrumpi seculum vocatur. Notat eos, qui excusant vitia, quæ transierunt in frequentem consuetudinem alicuius nationis. nec

enim consuetudo potest efficere, vt quod rectæ rationi repugnat, vitium non sit: Ratio enim natura hominis est, non opinio falsa, non malus mos. perstringit Tacitus Romanos suos, apud quos tunc frequentissima erant diuortia. Mariti leuissimis de causis ejiciebant vxores, quæ tamen mox alios viros inueniebant. imo ipsæ mulieres discedebant à viris, & alijs nubebant. qua de re tam multa Martialis, Iuuenalis, & alij. At priusquam libertas Romana opprimeretur, vix erat audire vllum diuortium, cum primum diuortium inciderit in annum IↃXX. ab V. C. Tempore autem Taciti frequentiam adulteriorum, multitudinem diuortiorum non deerant qui excusarent, vocando seculum, hoc est seculi morem, quod tamen ipse vt verus philosophus rejicit, cupitq. vigere veterũ Romanorũ leges, quæ adulteria, quæ diuortia excludebant. Mirum autem non debet videri factam tantam immutationem ea in re, apud Romanos, quia Cæsar, & Augustus mulierum consuetudine valde delectati sunt: quorum exemplo potentiores Aulici, & proceres ipsis cari, Tribuniq. militum, alijq. Principatui velificantes aliorum vxores potuerunt impunè sectari, & impudicas tueri aduersus ipsos maritos. hinc praua consuetudo, quæ semper viguit deinceps sub Imperatoribus. vnde intelligimus leges longè accuratius solere obseruari sub Rebuspublicis, quam Principatibus.

Obiter apud Tacitum II. histor. Germanos appellat genus militum apud hostes atrocissimum. *Cur atrocissimus exercitus ex militibus Germanis? assueti ipsi frigori, niuibus, venationi, duro victui, soliti laudem quærere ex morte hostium a teneris vnguiculis. aspirati regione, & cælo*

non tantis faciunt vitam, quanti qui aeris blandam temperiem, terram fertilem & sponte, aut leui labore plurima producentem, qualis praesertim Asiatica, sic tenent, vt non libenter eam relinquant. Certè qui asperiorem incolunt regionem eo ferè meliores milites, cum militia laboriosissima sit vita. Nec quibus prouincia vbertate rerum felix curant mutare caelum, incolasq. deteriorum terrarum inuadere. sic Germani ferè transiuerunt Rhenum, vexaruntq. Galliarum melius solum. Non ita Galli tentarunt Germanos. hodie quoq acerrimos milites dixeris Germanos. id nos docent tot pugnae aperto in campo ambiguo Marte, in nostrum vsq. & quidem saepe in nuperis bellis pugnatae, quales vix alibi reperire est in historijs. nec reformidârunt hyberna frigora, quo minus expeditiones vrgerent, non intermitterent munitissimarum arcium obsidiones. quae omnia si eleganti stilo monumentis literarum traderentur, mirarentur posteri talia bella nostris temporibus gesta fuisse.

II. histor. appellat Otho Italiam, & caput rerum vrbem senatumq & populum nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur. *id nos docet historia rerum, quae sub imperatoribus contigerunt. interfecto Caesare, à quo nomen Senatus obumbratum fuerat, eluxit auctoritas Senatus, qui acta Caesaris approbauit, & ipsum diuinis affecit honoribus. nonne hoc fuit esse clarum nomen? occiso Domitiano milites dolentes interfectum Imperatorem eum dicere Diuum conati. sed Senatus saeui Tyranni damnauit memoriam, vt est apud Suetonium cap. XXIII. Nōne idem Senatus hostem Reipublicae dixit Neronem, apud eundem Suetonium cap. XLIX. longum foret singula me-*

mora

morare. Sed quid tamen in tam illustria nomina tenebris inuoluo? Constantinus strauit viam huic rei, quãdo migrauit Byzantium, nouumq. Senatum instituit, deinceps ad ruendum imperium conducti Gothi; qui insidijs rem Romanam pessumdederunt. lege quæ grauissimus vir Synesius orauit apud Arcadium de regno. dolebat scilicet prudentissimus homo militares dignitates ab exteris barbarisq. occupatas.

Nisi mihi redeundum foret ad argumentum historicum de initio, & progressu Philosophiæ apud Romanos nondum te lector ab exactis rerum ciuilium cognitione, quam pleno fonte propinat Tacitus, te dimitterem.

De Plutarcho, qui floruit sub Traiano. obiter, an Mundus secundum Platonem ab æterno fuerit factus, & an deceat philosophum ad Rempublicam accedere? Cap. LXXXIX.

D*E Plutarcho hæc habentur apud Suidam.* Plutarchus Chæronensis Bœotius, fuit Traiani Imperatoris temporibus, & ante. Traianus autem dignitate consulari eum ornauit: edixitq. ne quisquam Illyriæ Magistratuum, quicquam absq. consensu eius ageret. *Certè ad philosophiæ statum apud Romanos referri Plutarchum nemo mirabitur qui cogitet, quantum philosophiæ nobis in suis opusculis propinauerit. prostant enim eius libri de placitis philosophorum, de procreatione animæ secundum Platonem, ex quo libello non possum non hic pauca adscribere, cum abhorreant à reliquorum Platonicorum senten-*

tia,

tia, nam negant mundum quatenus ornatus est esse æternum. sic ergò Plutarchus: præstat sententiam Platonis sequi & dicere, mundum à Deo esse factum. substantiam autem, & materiam, ex qua factus est, mundus, non natam, sed semper subiectam opifici disponendam se, & ornandam, adq. ipsius similitudinem, quantum eius fieri potest, se ordinandam præbuisse. Non enim ex eo quod nihil esset extitit mundus sed ex eo, quod non pulchrè, non rectè, aut perfectè esset. Fuit nimirum antequam mundus nasceretur materies, non corporis eò, non motus, non animæ expers, sed corpore informi atq. incomposito. omnium capax illa materies magnitudinem, interuallum, spatiumq. habebat: pulchritudine, specie, formaturaq mediocritate indigebat. *hæc volui proferre, quia magno consensu Platonici dicunt mundum esse factum ab æterno, neq. existimant fuisse tempus, quando mundus non esset, eßet autem materies ex qua factus est mundus. nos autem Mosaicæ historiæ diuino lumine illustrati accipimus à Plutarcho mundum non esse factum ab æterno, sed ei repugnamus quando materiam semper fuisse asserit. nam secundum veritatem Christianam totus mundus etiam secundum materiam à Deo ex nihilo factus est in tempore. Nunc ad rem nostram reuertamur.*

Quam philosophica sunt illa, quæ tradit Plutarchus non vno opere contra Stoicos, quorum scholæ videtur infensissimus fuisse. Addenda quæ scribit de facie in orbe Lunæ, de oraculorum defectu, de quæstionibus Conuiualibus, Naturalibus alijsq.

As-

Affirmant aliqui præceptorem Traiani fuisse Plutarchum quod nescio an exploratum sit. Traianus certè non fuit eruditus, licet eruditis faueret. Crinitus profert Epistolam ex autore de Institutione Imperatoria, quam dicitur Plutarchus exarâsse ad Traianum cum factus fuisset Imperator, sed qui legit eiusmodi Epistolam forte suspicabitur verisimile non esse Plutarchum voluisse sic scribere ad Traianum iam virum qui tot egregijs factis probauerat omnibus suam virtutem.

Quicquid hac de re sit non repugnat Plutarchum fuisse præceptorem Traiani, quandoquidem ipso senior fuit, vt colligitur ex Suida, ex quo etiam discimus quanti merito fecerit tantum virum, quem Consulari potestate ornatum summo cum Imperio præfecit Illyrico. in eum sic lusi extemporali conatu:

Aurea Plutarchi facundia, sic Traianum
Detinet, vt nulli gratior esse queat.
Hinc regit Illyricam tanto pro Cæsare gentem,
Iussaq. mellifluis temperat vsq. modis.

Cum autem Illyrici præfecturam à Plutarcho philosopho susceptam diximus, quærere par est, an philosophum deceat ad Rempublicam accedere? de qua quæstione in vtramq. partem multa posse proferri quis nescit? Brutus, Cassius, Cicero, Lucullus, Catones, totq. alij Reipublicæ nauauerunt operam, vt de Solone, de Zaleuco, de Pythagoræis sileam præstò sunt Imperatores Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus. nec prætereundus Iulianus, ad quem ea de causa dedit Epistolam Themistius, vt ipsum impelleret magis ac magis ad habenas regni capessendas. accedit exemplum Plutar-

chi

chi viri adeò sapientis, ne quicquam de Thrasea Paeto, de Heluidio, deq. Seneca depromam. adducitur etiam à Themistio auctoritas Aristotelis, qui videtur vitam actuosam, quae tot hominibus prodest, contemplatrici praetulisse. Politica profecto si quis inspiciat, forte ibit in sententiam Themistij in exponendo Aristotele.

In aduersam partem sese offerunt exempla Arij, Thrasylli, Nicolai, & Musonij. de Ario testatur Iulianus in eadem Epistola ad Themistium, quod praefecturam Ægypti sibi oblatam recusarit, idq. bis narrat.

Thrasyllo ciuilium rerum tractatio nihil utilitatis attulit. Cur ergo philosophus accedat ad Rempublicam? Coactus quidem est versari in aula cum Tiberio, qui ipsum magnifaciebat. At abhorrebat animus excelsus à familiaritate crudelis, & immitis Tyranni. quod magis intelligeremus, si quae edidit extarent scripta, quibus etiam famam suam purgauit, quod discere est ex eodem Iuliano.

Nicolaum apparet aliqua administratione rerum floruisse, quam tamen ut nihili contempsit, ratus se ex libris, quos scripsit maiorem splendorem posse consequi.

Musonius forti animo tulit Tyrannicam immanitatem, longeq. illustrius nomen patientia philosophica est adeptus quam si magnum gessisset imperium.

Nunc sentiat, quisq. ut vult. Ego profecto ideo lubenter quaestionem proposui, ut simul nonnulla de eximijs philosophis, qui Romae floruerunt, & de quibus in hoc libro suo loco egimus, depromerem ex Epistola Iuliani, quae non ita nota est, quamq. si [illegible] edere [illegible] de Iuliani philosophia habi[illegible], [illegible] ipsum Themistium Imperatori Iuliano fuisse notum.

Plu-

Plutarchum magni fieri debere etiam in philosophia Naturali, sed secundum Platonem. Quædam sigillatim ex eo depromuntur, & expenduntur. Cap. XC.

VVlgus Plutarchum magnifacit de philosophia Morali quando instituitur sermo: in contemplatione autem Naturali nullam eius dignatur facere mentionem. Cur ita? quia solum nouit Aristotelem, de Platone Platonicisq. non est sollicitum. Platonicæ autem philosophiæ si quis sit deditus magnum fructum, magnamq. voluptatem ex multis opusculis percipiet.

Sed vulgares homines duo respondent: Plutarchum fuisse gentilem, & multos errores Gentilium in eiusmodi operibus propinare. addunt longè maioris esse faciendum Aristotelem Platone, cum hodie ex scholis exulet Plato.

Gemina obiectio nullo labore difflatur. Nam si spernendus est Plutarchus, & nihili faciendus in philosophia Naturali, quia Gentilis fuit, iisdem explodendus erit Aristoteles, reijciendus Alexander, contemnendus Themistius. Nos tales scriptores æstimamus vsq. ad aras, hoc est, vsq. ad Religionē. nam sanctitas Catholicæ religionis scit vti talibus libris, & cauere sibi ab erroribus Gentilium. Altera obiectio sic reijcitur. Non propterea minoris est faciendus Plato Aristotele, quia hoc tempore non explicatur in scholis omnia sunt obnoxia vicissitudini, etiam philosophia. Olim Plato à magnis viris præferebatur Aristoteli. Malo autem

hac in re sentire cum veteribus, quam cum nostratibus hominibus. Nam cum ageremus de Panætio, audiuimus eum præ ceteris amasse Platonem? Ciceronem etiam scimus præferre Platonem Aristoteli. Iulianus Imperator, magnus quoque philosophus sic scribit: Vniuersè Aristote-
orat. 5. lica cætera non omni ex parte absoluta esse iudico, nisi cum Platonicis illa iungantur. de Isidoro magno itidem philosopho hæc habet Damascius apud ingentem Photium: de Aristotelis philosophia parum sollicitus fuit: vbi autem Platonis sententias gustauit, non iam aspicere dignatus est vlterius. Sed finem consecuturum sperauit, si in Platonis sententiarum adyta penetrare potuisset, & eo omne suum studium impetumq. conuertit. Bessario vir sine controuersia doctissimus, & qui item Cardinalis pulcherrimum opus pro dignitate Platonis nobis reliquit, in quo videre quisq. potest quam procul abesse putet Aristotelem à sublimi sapientia Platonis. Eousq. autem progreditur Bessario, vt non ambigat dicere à diuino Areopagita S. Pauli Apostoli discipulo quædam mutuò sumpta, & in sua opera translata. Sed venio ad Plutarchi quasdam sententias in philosophia Naturali.

In opusculo de Procreatione animæ satagit liberare à quadam repugnantia Platonem, quem quidam aiebant nunc dixisse naturam natam, & non natam. illud scilicet in Timæo, hoc in Phædro. in Phædro vulgatissimum reperiri dictum, quod anima non sit genita, quia seipsam mouet: & quod non sit interitura ex eo quia non sit genita. in Timæo autem disertè videtur dicere Deum esse rerum semper-

piternarum præstantissimum, animam verò factarum optimam.

Nonne hic nodus est, quem difficile est soluere? Plutarchus sic putat se disijcere difficultatem. ortus expertem asserit esse eam animam Plato quæ ante mundi ortum omnia vicensè, & confuse mouit. rursum ortam, & natam eam, quam Deus ex hac, & stabili optimaq. illa natura prudentem, ordinatamq. confecit. Repetit Platonem ab eo longè abesse vt secum ipse palam dissentiat, de rebus maximis. Fatetur autem Plutarchus Platonem tam dixisse animam esse genitam, tam negasse, at semper docuisse ortum, & natum mundum, nunquam autem non natum, nunquam sempiternum pronunciasse.

Quia tamen inre non concinunt multi Platonici Plutarcho. Proclus profectò octodecim argumentis conatus est secundum Platonem ostendere mundum, & genitum esse, & esse sempiternum.

Aristoteles quoq. sic videtur intellexisse Platonem, nam in libris de Cælo argumentatur aduersus Platonem, & ait: eum qui dicit mundum esse genitum, & esse sempiternum impossibilia dicere.

Quia argumentatio consentanea est expositioni Plutarchi qui dicit secundum Platonem si mundus sit genitus non esse sempiternum, propterea repugnat plerisq. omnibus Platonicis asserentibus secundum Platonem debere dici ab æterno mundum non esse factum. En verba Plutarchi: communiter hi, & plerìq. Platonis sectatorum timentes, atq. verentes omnia moliuntur, vtq. peruertunt, patiunturq. tanquam flagitiosam, & infandam sententiam obducere

occultari, & negari, quæ mundum, eiusq; animam non ex sempiternis constituit principijs, neq. infinito tempore talem fuisse affirmat.

In eodem libello refert Heraclitum dixisse mundum hunc neq. à Deorum quoq. neq. homine vllo factum. Opifici renuit tribuere mundum Heraclitus. Ergo negat habuisse initium? Respondendum est, putasse Heraclitum materiam mundi, ignem, semper fuisse, & nunquam factam. eiusmodi autem ignem seipsum promouisse ad ornatum, & ita extitisse mundum. sic ipse videtur putasse mundum fortuito extitisse. absurda autem est sententia, quæ absq. opifice, & causa effectrice existimat mundum extitisse, qua de re videndus Plutarchus, in principio de placitis philosophorum.

In libello de Fato oppugnat infinitum hoc pronunciato: Neq lex, neq. oratio, neq. Diuinum quicquam infinitum esse potest *Aristoteles sumit hoc in physicis: Naturalia esse infinita non posse. Cui sane effato repugnant quæ tradiderunt antiquiores philosophi.*

Aliquatenus tamen esse infinitum fatum asserit ibidem Plutarchus his verbis: Manifestum est Fatum esse quodammodo infinitum, non esse tamen infinitum, sed circulum. *Nullus circulus est absolute infinitus, fatum est circulus. Non igitur est infinitum fatum. aliquatenus tamen est infinitum, quia infinities redibit idem ordo, & fient rerum conuersiones infinitæ, ita vt absoluta vna conuersione, res redeant ad initium conuersionis. Vnde Plutarchus:* Cum eadem redibit causa, ij ipsi nos eadem ista, eodemq. modo agemus, idemq; de omnibus hominibus, & omnibus alijs rebus accipe, omnia vt sunt vnica vniuersi

con-

conuersione in eundem statum restitutum iri. *hæc & plura ibidem. ex hac sententia, quam putat esse Platonis aliqui interpretati sunt, quod dixit Horatius ante bellum Troianum fuisse fæminam belli teterrimam causam: & quod est apud Virgilium, quod sint futura altera bella, quod Tiphis diriget Argonautas, & magnus Achilles ad Troiam rursus mittetur. illud quoq.:*

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Origenes immersus studijs Platonicis videtur impegisse ad hunc scopulum, quod ego exposui in opusculo de Comparatione dogmatum Origenis cum philosophia Platonica. nam talis reditus ad primum statum, quem adstruit Plutarchus ex Platone prorsus debet explodi ex scholis Christianorum, cum præsertim sciamus in Concilio sexto Generali dictum esse Anathema Origeni, eiusq. dogmatibus.

In eodem libro Plutarchus satagit fatum conciliare cum libertate humani arbitrij. Fatum, *inquit*, omnia continet, neq; propterea necessariò omnia euenient, sed vnumquodq; pro naturæ suæ modo. *deinceps valde accuratè explicat possibilia, Necessaria, contingentia. possibilium quædam nunquam possunt prohiberi, vt ortus, occasusq. cælestium corporum. quædam possunt prohiberi, vt pleraq. humana. sed longum foret omnia expendere, quæ traduntur de Fato, cuius intricatissima ratio, & veteres sapientes, & recentes valde exercuit. legendus est Alexander Aphrodisiensis, quamuis Aristoteles valde pauca, & prope nulla de fato tradant. inter recentiores legimus I. Lipsium in libello de Constantia. Theologi doctissimi nostro tempore post sanctissimum doctissimumq. virum S. Augu-*

stinum

stinum multa tradiderunt de ratione conciliandi Dei prouidentiam, Deiq. gratiam efficacem cum libertate humani arbitrij, quos inter e Dominicanis magnifit Aluarez, quem ego multis abhinc annis n ui Romæ.

Sed iam tempus est à Plutarcho discedere, ne nimis multa, & cum tædio lectoris ex eius operibus videamur velle congerere.

De Chrysippei nominis celebritate sub Traiano, & deinceps. Cap. XCI.

MAgna fuit Chrysippei nominis claritas Romæ per successionem temporum diuturnam. Cur ita? quia ipse inprimis Stoicam sectam suis scriptis prope innumeris muniuit. Hinc Persius cum vellet in vrbe nominare insignem aliquem philosophum, Chrysippum nominauit, eiusq. Soritem commendauit.

Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.

Et par erat in aciem educi Stoicum à Stoico. sub Traiano porrò Plutarchus duobus in opusculis quam acriter est inuectus in Stoicos, atq. Chrysippum præcipuè conterere satagit. Multa namq. totidem verbis depromit ex eius scriptis vt ostendat Chrysippeas sententias non cohærere. Quid referam Galenum, qui floruit sub Antonino? hominem sursum deorsum versat in doctissimo opere de Platonis, & Hippocratis decretis, citatq. non pauca ex eius operibus. Hinc, si Deus benignè annuerit, aliquando de Chrysippeis sententijs librum edam, in quo simul ostendam potuisse à Iusto Lipsio multo plura de Stoica philosophia enarrari, ad id &

de-

debuisse. nam multa praeerit, quae sumere poterat à Plutarcho, a Galeno, alijsq. maioremq. Stoae lucem foenerari.

De summo sciendi desiderio quo flagrauit Hadrianus. laudatur celsissimus Princeps Cardinalis de RICHELEV. Cap. XCII.

DE summo desiderio sciendi, deq. apice philosophico, omnigenaq. rerum cognitione quando agitur omnes proculdubio doctissimos suis visus superare Hadrianus Caesar. de quo enim legimus similia ijs, quae de ipso prodita fuerunt à Dione, atq imprimis Spartiano? incrementum igitur magnum accepit philosophia, omnisq. disciplina Romae, & in orbe Romano, quando Hadrianus ad apicem Caesareae dignitatis peruenit.

Sed erit, qui ipsum censoria excipiat virgula, quandoquidem Principem, quem scimus sustinere grauissima negotia, par non est assiduè versari in libris, & cum philosophis colloqui. displicuisse pessimè nomine Hadrianum constat, quandoquidem Graeculus meruit appellari.

Dissensio adest, de industria Imperatoris in excolendo ingenio quando agitur. incredibili enim fuit promptitudine, vigoreq. tam corporis, quam animi, vt sufficeret bello, paci, iuri dicendo, philosophiae, venationi, peregrinationi per orbem, alijsq. qua de re dubitare non possumus dum eius legimus vitam traditam ab historicis. venandi fuit cupidissimus, & tamen teste Dione, nunquam venationis causa ea quae ad Principatum faciunt, & spectant omisit. dabum

tum quidem fuit ei vitio, quod magnum studium in inuestigatione rerum poneret, sed quid non reprehendere parata est hominum malignitas acuta? Deploranda autem est eorum Principum, & procerum infelicitas, qui cum nullam operam impendant disciplinis, & earum prorsus sint expertes, excusant sese multitudine negotiorum. ponant sibi ob oculos Hadrianum, quem tamen patior ab ipsis non exprimi totum, sed aliqua saltem parte. sed vetustas tales homines non monet. intueantur igitur decus admirandum nostri seculi Celsissimum Principem Cardinalem de RICHELEV. quantus enim est in scientijs, & doctrinis, quantus in negotijs amplissimi Regni, in bellicis curis, quibus tamen omnibus sufficit, vt nullo clariori exemplo damnetur inscitia, & ignauia eorum qui ignari, & à doctrina remotissimi obijciunt molem negotiorum. At ipsis missis factis, veneremur epigrammate Heroem, quo saluo salua quoq. sunt doctrinarum studia.

Salue Heros RICHELEV, salue celsissime Princeps,
O nostræ ætatis nobile prodigium.
Salue doctrina illustris, sophiaq. verende,
Eloquio Nestor, consilijsq. Cato.
Salue alacer belli præses, tutelaq. iusti
Imperij, salue Scipio militia,
Et licet immenso splendescas lumine honoris,
Hos bonus, atq. hilaris suscipe versiculos.



Apud

Apud Hadrianum præ omnibus eminuisse Fauorinum philosophum. Cap. XCIII.

De Phauorino loquitur Philostratus, Gellius, Dio, Spartianus in Hadriano. vbi natus? in Gallia Arelate. Gallum *appellat Dio. apud Philostratum ipse id profitetur dum ait se* Gallum græcissare. *quem habuit præceptorem? Dionem. fuit Eunuchus, vnde ipse dicebat, se Eunuchum putari mœchum. sophistam appellat Dio. nam Criticus erat, & iudicare poterat de orationibus, hinc eius sententiam de Platonis, & Lysiæ orationibus refert Gellius lib. secundo cap. V. scripsisse quædam græcè tradit idem Gellius, cum nonnulla inde depromat de Socratis patientia, & tolerantia.* de libris Fauorini vide etiã Galenũ, & Lucianũ.

Innotuit Hadriano magnusq; factus, eousq; progressa opinione Imperatoris, vt eum propter præstantiam tanquam æmulum haberet odio. hinc solebat dicere se mirari, quod viueret cum esset Imperatoris inimicus. statua profecto eius Athenis disiecta est. Dio narrat, cum Imperator omnes vellet superare, conatum tollere Phauorinum, & sectatores eius perdere. illud est recitandum, quod est apud Spartianum: Fauorinus, quidem cum verbum eius quoddam reprehensum fuisset, arguentibus amicis quod malè cederet Adriano, de verbo quod idonei auctores vsurpassent risum iucundissimum mouit. Ait enim non rectè suadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. *argutè sanè. Principatum porrò inter omnes, qui philoso-*

 loso-

losophiæ causa familiares erant imperatori tribuit Fauorino idem Spartianus, dum ait: præ cæteris vt multi asserunt eminente Fauorino, *quem Herodes Atticus patrem appellare solebat.*

Non consuluisse suæ dignitati Hadrianum, dum voluit videri superare philosophos. Cap. XCIV.

ID nequaquam in Principe Hadriano laudaueris, quod volebat videri priuatos homines ac inprimis philosophos superare. Dio: multos propterea, quod in aliqua arte, aut facultate excellerent sustulit cupiens scilicet in omnibus ipse omnibus excellere. *Spartianus autem hæc habet:* in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper vt doctior risit, contempsit, obtriuit, cum ipsis professoribus, & philosophis libris, vel carminibus sæpe certauit. *hoc vero est de fastigio descendere, quando Princeps certat cum priuatis, pares enim illos facit sibi. nec gloriam reportat. cum satis constet homines non ausuros dicere Principẽ esse victum. Nero descendens in certamen cum citharœdis, cum aurigis, & similibus expectabat sollicitus, vt secundum se pronunciaretur. ob gloriam quoq. carminum odit Lucanũ, quo ostendebat se vinci in scribendis versibus. nostra ætate libros de Religione in lucem emittere voluit Iacobus Magnæ Britanniæ Rex, quo con[illegible]io valde suo offecit fulgori. sed in Hadrianum ego hos versus scripsi:*

Hadria-

Hadrianus Imperator
Disputando vim sophorum
Vsq. pungit, vsq. vexat,
Vsq. ceu sophista torquet,
Nec silere scit, priusquam
Dando dextram se fatentur
Esse fusos, esse victos.
Adriane rector orbis
Tune ducis sic triumphum?
Sicne gaudes laureatus
Victor à sophis abire?
Quis precor, tibi resistat,
Quis tibi obstrepat loquendo
Ex scholastica caterua
Si tibi parent cohortes,
Mille turmæ, tot phalanges,
Milites in bella prompti?

De philosophis, qui alebantur Alexandriæ quibus fauebat Hadrianus. Cap. XCV.

AFfectum Hadriani erga philosophiam metire ex eo, quia impensè fauebat ijs, qui alebantur in Musæo Alexandriæ. Erant ipsi philosophi iam viri, non iuuenes, quibus præerat Sacerdos à Cæsare electus. hinc Philostratus in Dionysio sophista: Hadrianus Imparator Satrapam siue præfectum eum constituit, & adscripsit inter eos, qui in Musæo alerentur. *iterum de Polemone* Ha-

 dria-

drianus eum allegit Musæi conuentui ad Ægyptiam mensam. *Spartianus quoq. de Musæo Alexandrino non silet, dum ait:* Hadrianus Alexandriæ in Musæo multas quæstiones professoribus proposuit, aut propositas dissoluit. *Itane apex Cæsareus non dubitat tanquam doctor umbraticus inter professores sedere, & professorio fungi munere? hodie etiam ipsi Proceres longè infra Principes positi putarent aliquid suæ detrahi dignitati, si ingrederentur Gymnasium, audirentq. professorem. quod tamen supercilium ab alijs contemnitur. Nuper profectò Alexander Victorius Senator Florentinus, Magniq. Ducis Consiliarius, præstantissimus Iurisconsultus non dubitauit sua præsentia meam honestare prælectionem. Nempe quo quis doctior est, & sapientior, eò humaniori se gerit ratione. ignarissimus quisq. inter Proceres, superbissimus est.*

Quam comem, & assiduum in iure dicendo efficeret philosophia Hadrianum. Cap. XCVI.

Assiduitatem in iure dicendo, & peritiam legum imperites in Hadriano philosophiæ. hæc enim lumine tali perfundit mentem, vt facili negotio quæuis, quæ faciunt ad vitam ciuilem, assequatur. peritiam iuris, & assiduitatem in eadem dicendo comitabatur mira comitas, & ciuilitas. Nec enim sinit superbos esse Principes philosophia sed reddit affabiles, & alloquio faciles, benignitate, imò popularitate exornat. docet ne ipsa sapientia pulcherrimum esse imperandi genus, si quis virtute præditus imperet animis

volentibus, lubentibus, trahi se patientibus à miti ratione, sed audiamus iam Dionem: quum et forte mulier occurrisset in via ab eoq. vt se audiret contenderet: quamquam primò sibi esse otium negauit, tamen vbi mulier exclamare cœpit ita: Noli igitur regnare, conuersus eam audiuit. Res verò maximas, & valde necessarias non gerebat, nisi interposita Senatus auctoritate dicebatq. ius vna cum primis (*ciuitatis*) in palatio foro, & pantheo, sæpe etiam alijs in locis pro tribunali. *vide quæ plura sequuntur, Hodie autem quidam nebulones persuadent Principibus non esse ex ipsorum dignitate ius dicere, & è tribunali litibus imponere finem, ea sa debere peragi à iu ... ibus. O pestilentem adulationem, quæ maximum affert subiectis populis detrimentum. Atqui Cæsares omnes, qui egregij fuerunt (fuerunt autem multi) hunc seruauerunt morem, vt dicerent populis ius, & audirent disceptantes, qua de re suo tempore librum in publicam emittam lucem.*

De Adriano cupiente persuadere animam Antinoi abijsse in sidus. Cap. XCVII.

M*atheseos, & rei sideralis oppidò cum esset peritus Hadrianus conabatur persuadere sua philosophica auctoritate animã Antinoi mortui in Cælo receptã abi... e in sidus, sidusq. volebat credi nouum apparere. audi ... Dionem:* sidus etiam Antinoi ipse se videre dicebat libenterq. auscultabat eos, qui dicerent verè ex Antinoi anima

acl-

stellam, quæ cum primum apparuisset extitisset. *quid verò sentiebant, qui Hadrianum audiebant talia proferentem? tacitè irridebant. dices, an ergò nunquam noua sidera extiterunt? noua aliquando deprehensa sunt, quæ antea non fuerant obseruata, vt à Conone Berenices coma, nostra tempestate Mediceæ stellæ in orbe Iouis à Galilæo. existunt etiam temporaria sidera, quæ intra tēpus aliquod euanescunt. Seneca profectò in Cælo cometas collocat, eosq. quandoq. durare ait vsq. ad sextum mensem. consentiunt scriptores æstu fuisse sidus crinitum post mortem Cæsaris, quod tamen ad se denotandum trahebat Augustus. Anno MDLXXII. noua stella in Astro Cassiopeæ apparuit, quæ intègrum annum perdurauit, tandemq. paulatim euanuit, & extincta est. fuisse in æthérea regione consenserunt clarissimi qui tunc florebant Astronomi, moti ex paralaxi, quæ solet deprehendere signa aerea in regione, & non ita celsa collocata. subsecutis annis alia quoq. obseruata sunt in æthere, quod nulla esset varietas aspectus, etsi in diuersis viderentur regionibus. iam igitur vix est, qui dubitet talia posse exoriri, & exorta esse in æthérea regione, vt mirari liceat virum cæteroqui doctissimum viginti ferè annorum spatio hoc egere, vt suadeat Stellas eiusmodi, aut sidera crinita fuisse in aere, non in æthere. sed vix quemquam in suam potuit trahere sententiam. Adrianus autem meritò irridebatur, quia nullum sidus cum appareret, cupiebat tamen mortales suos decipere sensus. nisi dicas quibusdam Stellis prope Delphinum, quæ carebant nomine, Antinoi nomen tunc primum impositum. Ego in fletum Imperatoris ob extinctum iuuenem mærentis ludendo, & iocando exaraui hoc epigramma.*

Si-

Siue animam Antinous Pharia exhalauit in vnda,
Siue nigræ cecidit victima cæsa deæ
Extinctam pueri deflес Adriane iuuentam,
Vt mulier, dulci quæ viduata viro est.
O labem, ò lacrymas haud tanto Principe dignas,
Quæ latio impingunt dedecus imperio.
Quin animum reuoca à cura, quin collige mentem,
Atq; hilaris nubem disijce tristitiæ;
Nam puer haud perijt, stygium nec adiuit Auernum,
Sed micat ex alto lucida stella polo.

Hadrianum de sua vita scripsisse libros. agitur de Phlegonte liberto. Cap. XCVIII.

P*Erennitatis, vt fere magni Principes, percupidum fuisse Hadrianum, ex eo cur non pronunciemus, quod libros de sua scripserit vita, qui quidem euulgati sunt? nam Dio in Hadriano ait:* vt Hadrianus scribit, *quando de Antinoi agitur morte. noluit tamen quæ de se scripserat sub suo lucem aspicere nomine. audiamus Spartianum:* Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, vt libros vitæ suæ à se scriptos libertis suis litteratis dederit, iubens vt eos suis nominibus publicarent. *hæc Ælius Spartianus. sub cuius igitur prodiêre nomine? Phlegontis prætulere nomen, vt idem tradit. fuit autem Phlegon Trallianus Hadriani libertus nam non vixisse sub Augusto quis ignorare potest, modò inspexerit Spartianum, qui ait vitam Hadriani sub eius prodijsse nomine? Quæres, cur Hadrianus æternitatis adeò auidus noluerit chartas à se auctore denominare? in*

prom-

promptu responsum est, vt maiorem inuenirent fidem, nec eleuaretur testimonium de seipso prolatum. nec enim defuerunt, qui assererent fas non esse de suis rebus quicquam conscribere: quod tamen refellitur innumeris prope exemplis. verba certè Taciti clarissima prostant in vita Iul. Agricolæ: pleriq. suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeò virtutes iisdem temporibus optimè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. *Cur non potuerit fidem inuenire Adrianus, quem historici euehunt magnæ virtutis causa? Nostra tempestate vir illustris Iac. Aug. Thuanus de sua vita libros edidit sex. Lipsius autem ad auditores direxit Epistolam, qua breuiter vitam, librosq. à se compositos complectitur, quæ à me prolata non video, cur ad philosophiam nequeant referri Hadrianicam.*

Adrianum peccâsse addendo Philosophiæ Magiam. Cap. XCIX.

QVod quandoq. imò plerumq. apud veteres male vulgò audirent philosophi Magiæ nomine, id effecit, quod viderent à philosophis quibusdam adhibitas artes magicas ad cognoscenda futura, aut quod mira effecerint, quæ non vi ac ope propria viderentur à Dæmonibus. videnda est vita Plotini, cognoscenda quæ S. Patres de Iuliano monumentis literarum tradiderunt, repetenda valde multa ex Philostrato, dum Apollonij vitam describit. nos interim, quandoquidem de Adriano agimus, cui magicas artes assertè

tri-

tribuit Dio lib LXIX. referemus videri magiæ causa ab ipso immolatum Antinoum, quem tamen in delitijs habebat, quemq; mortuum flebiliter desiderauit non dissimulat quidem Dio non defuisse, qui dicerent in Nilo submersum Antinoum. sed ipse eam ampplectitur sententiam vt asserat mactatum. sic enim loquitur: siue quod immolatus fuerit, id quod verum est. *at Ælius:* Antinoum suum dum per Nilum nauigat, perdidit; de quo fama varia est alijs eum deuotum pro Hadriano asserentibus. *Dio suam opinionem sic tuetur:* Quum Hadrianus maximè curiosus esset tum verò diuinationibus vtebatur, & magicis artibus cuiusuis generis. *Sed cur immolandus erat artium magicarum causa? quia voluntaria anima opus erat, nam inuitus si quis occisus fuisset, non obtinuisset, quod cupiebat. quibus narratis vtraq. narratio de Antinoi morte apud historicos sustinetur. nam si dicas verisimile non esse immolatum fuisse ab Hadriano adolescentem, quem in delitijs habebat, atq. adeo verum esse perijsse in Nilo, respondere licebit indiguisse Adrianum anima voluntaria, volens autem Antinous se pro Hadriano addixit morti. quali verò impostura fallebat olim mortales Dæmon, vt se occiderent, aut occidi paterentur, tantum vt futura nossent quæ omnia dissipata sunt a fulgore Euangelico.*

De Euphrade philosopho, qui impetrauit ab Imperatore, vti sibi fas foret bibere cicutam. Cap. C.

AD Adriani tempora imò philosophiam refer Euphradem philosophum, qui dicitur mortem obijsse voluntariam, cum ei Hadrianus propter senectutem, & morbum cicutam bibere concessisset, quod relatum scimus à Dione libro LXIX. Mirum verò est opus fuisse ab Imperatore impetrare, vt liceret filum vitæ abrumpere. scimus supplicio capitali affici solitos milites, qui se conati fuissent interficere, cum iam adscripti militiæ non forent sui arbitrij, sed deberent permanere sub signis vsq. ad completum militiæ tempus à legibus præscriptum; cum etiam constet quosdam ne cogerentur militare, & in numeros referri sibi pollices abscidisse, dictos propterea pollice truncos, vnde aliqui putant extitisse nomen poltrone. quod apud Italos significat hominem ignauum. Quis autem audiuit non licuisse apud Romanos pagano, non minus tædium vitæ, ob morbum, à quo quis conualescere non speraret abrumpere vitam vel veneno, vel inedia, aut alia ratione? bona profectò eiusmodi hominum, qui se subtrahebant vitæ non abibant in fiscum, quod sciunt Iurisconsulti, nec eorum memoria damnabatur. is tamen qui conscientia sceleris se occidisset, ne scilicet perageretur reus, & damnaretur à Magistratu, habebatur pro confesso, nec bona eius ad heredes transibant. Cur ergò Dio dicit obtinuisse Euphradem ab Hadriano, vt sibi fas foret cicutam bibere? eiusmodi impetratio, si mores eius

Videnda lex Valeria:

eius seculi respicias, non videtur fuisse necessaria, philosophus tamen id impetrare voluit, forte quod adscriptus esset familiaribus Imperatoris & Hadrianus valde eius sermonibus delectaretur. Ergò sibi faciendum putauit, vt quasi miles obtineret missionem, ne iratus Imperator, quod se inscio, atq. adeò inuito hausisset venenatam potionem, corpus vetaret sepeliri, & bona in fiscum ire iuberet. sic quidem puto Dionis explanandam narrationem.

De Herode Attico viro Consulari, quem audiuit Athenis Gellius. Cap. CI.

P*Hilosophia Romana Herodem Atticum sibi vindicat; licet enim Romanus non fuerit sed Atheniensis, bene tamen de Romanis philosophiæ causa Athenis degentibus est meritus. nam Gellius eum audiuit, & his verbis laudauit:* in oratione Græca ferè omnes memoriæ nostræ vniuersos grauitate atq. copia, & elegantia vocum longè præstitit. *Gellianam narrationem esse veram dices, si legeris quoq; Philostratum scribentem vitas Sophistarum. narrat autem Gellius quam dextè idem Herodes Stoicos confutauerit, qui non patiuntur nos aut gaudere, aut irasci. Experimur profectò ingruente calamitate naturam percelli, etsi nos maximè repugnemus. idem dicere est de hilaritatis argumento. Censebat igitur Atticus moderandos esse, & scite consideratéq. purgandos affectus: vt ea tantum, quæ aliena sunt, contraq. naturam videntur, & cum pernicie agnata sunt, detrahantur. sicuti enim cuncta omnino* lib. 19. cap. 12.

itidò imperitius conueniamus, periculum est, ne eis adhærentes, bonas quoq. & utiles animi indoles amittamus. vide plura apud eundem Gellium ad confutandos Stoicos facientia.

De Gellio, qui Roma profectus est Athenas ad philosophos, quorum etiam dicta nominatim recensuit in noctibus Atticis. Cap. CII.

Status philosophiæ apud Athenienses facit ad philosophiam Romanam, & fecit præcipuè cum imperaret Adrianus sub quo floruit Gellius, non expers philosophiæ, quod eius scripta testantur. sic autem loquitur lib. I. cap. II. accersebat sæpe nos Herodes Atticus cum apud Magistros Athenis essemus, compluresq; alios nostrates, qui Roma in Græciam ad capiendum ingenii cultum concesserant.

Ita inter legimus Noctes Atticas, quas studijs nauans operam Athenis Gellius est molitus, facere ad progressum philosophiæ cum apud Romanos, discimus; ad rem nostram pertinere philosophos quos idẽ memorat, quia docebant studiosos adolescentes Romæ natos.

Ergò operæ pretium est memoriam colere Tauri, Phauorini, & aliorum. lib. I. cap. IX. ex Tauri sermonibus profert querelam aduersus nouitios philosophorum sectatores, qui illotis pedibus in sacra sapientiæ irruunt. proximo capite narrat,

ret, qua ratione Phauorinus compellauerit adolescentem vetustissimis, & prisce loquentem. Rursus lib. I. cap. XXVI. refert, quid idem Taurus responderit in diatriba quaerenti: An sapiens irasceretur? lib. II. cap. I. recenset venisse praesidem Cretae Athenas visendi, cognoscendiq. Tauri gratia. vicissim cap. V. non reticet, quam lepide designateq. dixerit Phauorinus, quid intersit inter Platonis, & Lysiae orationem, quod in hoc ipso librorum notauimus. Talia in opere noctium Atticarum depromuntur, quae nos accepta ferimus Gellio, qui sapientiae comparandae causa Roma se contulit Athenas, & magnam partem eorum quae didicit postea Romae literis mandauit.

De progressu philosophiae sub Antonino Pio. laudantur eius mores. Cap. CIII.

De philosophia Antonini Pij etsi pauca diserte scripta sint, philosophicam tamen laudem tanto Imperatori tribuendam multa sunt quae clamant, suis namq. moribus ad finem vsq. vitae absolutum expressit philosophum. Initium certe principatus illustre reddidit venia, quam dedit quibusdam qui puniendi caeteroqui fuissent, vt refert Xiphilinus. hinc Pius appellatus est. addit idem scriptor inter omnes constare Antoninum virum probum & bonum fuisse. sed quae propius ad philosophicum apicem accedunt, refert Iulius Capitolinus Antoninum Coel. . . Apollonium euocasse, eiq. Marcum erudiendum tradidisse. Cum autem

tem iussus fuisset idem Apollonius ad Tiberinam domum venire, ut doceret, dixisseq. philosophus: non magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad magistrum, *risit primo Imperator, sed deinceps voluit Marcum ire ad Apollonium. quod docet nos eiusdem Marci vita. Ergò videre est quousq. progressa fuerit Romæ philosophia, ut Imperator iusserit filium ad domum præceptoris ire, quodq. fas fuerit philosopho tam magnificè de sua professione loqui, nolleq. ad filium Imperatoris docendum sua domo prodire, cum cæteroqui sciamus fuisse moris, ut proceres, & Principes in ædibus suis alerent Magistros, atq. philosophos. legimus tamen philosophum, quem ad se traxit Cato Uticensis, ob senium noluisse amplius Reges conuenire, apudq. ipsos dissere. diximus etiam cum ageremus de Pompeio, eum inuisisse Possidonium decumbentem in lecto. Iulianus Imperator obuiam prodiuit Maximo, adq. Iamblichum dedit litteras, ac si hominem se maiorem alloqueretur. Narrat quoq. Gellius ad philosophum Taurum Athenas visendi, cognoscendiq. eius gratia venisse clarissimum Præsidem prouinciæ Cretæ, introisseq. ædes, quas incolebat Taurus.*

lib. 2. cap. 2.

Sed ad philosophiam Antonini reuertor. verba sunt Iulij Capitolini: philosophis per omnes prouincias honores, & salaria detulit. *An Magistratibus eos decorauit? an immunitates tribuit? honoraria constituit? continuit? an in sacerdotia, quæ conueniebant philosophis, ut est videre apud Eunapium, quando de socio Maximi agitur, inter Senatores recensuit, iussitq. eminere in patria, quod collatum ab alijs Imperatoribus Dioni. quantum autem oportuit esse numerum philosophorum, si per omnes prouin-*

cias

cias salaria eis constituit. id tamen potius ad prouincias Asiæ & Græciam, quam Hispaniam, Galliam, aliasq. aut Africam referendum: semper enim Syria, Ægyptus, Græcia eiusmodi hominibus magis abundauit.

Quod si vita Antonini diligentius perscripta fuisset, absq. dubio plura de eius philosophia depromere liceret. facere autem non possum, quin quales eius fuerint mores philosopho prorsus digni magis referam ex Marco in vita sua tribuit ei comitatem, gloriæ contemptum, dicit vt tulerit iniustè lib: 6. *ipsum reprehendentes neq. conuicium his reposuerit. quam paucis fuerit contentus, vt domo, lecto, veste, cibo, famulatu. quam tolerans laborum, quam leni animo, vt tempus vsq. ad vesperam propter victus tenuitatem egerit, hæc ibi. Nunc prodeant versiculi de virtute Antonini.*

Cyrrha Antonini differ per secula nomen,
Impauidum memora pectus, & ingenium.
Commenda niueos mores, cultumq. Mineruæ,
Rectum lauda animum, munificamq. manum,
Et dic, Romulidùm toto applaudente Theatro:
Dignus erat talem Marcus habere patrem.

Nec tamen omnia prolata sunt philosophiam Antoninianam commendantia. Dio namq. apud Suidam Antoninum putat comparandum Numæ. At Numa natura duce philosophatus est, condendo leges. Quin addit extraneis adeò fuisse admirationi, vt finitimi pleriq. barbari depositis armis ad hunc Imperatorem controuersias, litesq. deferrent, eius sententia dirimendas. Mortuus etiam est vt philosophus,

senex

senex morte dulcissima, somnoq. iucundissimo simili, quod refert Xiphilinus ex Quadrato. Quæ adijcere placuit, vt quicquam possit desiderari, quod ad commendandam Antonini sapientiam facit.

De Boetho Consule, atq. alijs philosophiæ vacantibus sub Antonino. Cap. CIV.

ILlustrabis hæc narratiuncula Antonini erga philosophiam affectum, si recensueris nonnullos egregios homines doctrina præstantes, qui tunc temporis floruerunt Romæ, quando tenuit habenas rerum idem Imperator. prodeat Flauius Boethus Consul Romanorum, qui sapientum hominum oppido delectabatur consuetudine, sicq. mentis aciem ad discendum porrigebat, vt anatomicis administrationibus incumberet. Neq enim dici potest seipsum nosse, qui non inspexit cadauerum sectionem admiraturus summi Opificis summam sapientiam. At quis profuit eam in rem præclarissimo Boetho? Galenus, vt ipse testatur capite primo libro primo de administrationibus anatomicis. Natus fuit in Ægypto Consul iste, peruenitq. ad consulatum, adeò erat benigna omnium mater Roma, vt peregrinos ciuitate donatos ad apicem vsq. Consulatus non dubitaret euehere. Sed audiamus Galenum, vt intelligamus quanto amore Boethus historiam anatomicam prosequeretur: Tam anatomicæ speculationis amore flagrabat, quam mortalium qui vixerunt nunquam vllus alius. *Cui tradidit Galenus de administrandis consectionibus opus libris* [illegible]

com-

comprehensum. idem testatur se in eius gratiam multas confectiones ostendisse.

Flauio Boetho adnectendus venit Eudemus Peripateticus, cuius idem Galenus meminit, nec silentio inuoluendus Sergius Paulus Consul, qui etiam præfectus vrbis fuit quiq., disciplinis philosophicis per omnia præcipuus extitit.

Quid referam Alexandrum Damascenum, qui aliquandiù Romæ egit transgressus deinceps Athenas ad professionem Peripateticæ philosophiæ, si fides habenda eidem Galeno? Vides autem meritò vocari Damascenum, ne confundatur cum Alexandro Aphrodisio eidem Peripatetico, aut cum alio Alexandro sectatore dogmatum Aristoteleorum, qui maximus dicitur fuisse, præceptorq. Crassi Consulis profecti infelicibus auspicijs contra Parthos, vt sciamus non expertem philosophiæ fuisse Crassum, libenterq. Peripateticis aures præbuisse.

De Apuleio Madaurensi, philosopho Platonico. Cap. CV.

VIxit absq. dubio etiam post Hadrianum Apuleius, nam alicubi eum Imperatorem Diuum appellat. non improbabile est vixisse sub ipso, atq. etiam sub Antonino Pio. nam quod nonnemo existimauit floruisse sub Christianis Imperatoribus, id reijciendum est.

Accusatus est bis. semel quidem Romæ coram Præfecto vrbis, qui habebat vt iudex cognitionem omnium delictorum. Iterum in prouincia, quod discere est ex Apologia quæ

copiosissima, & luculentissima est oratio. Neq. enim dici debent duae Apologiae, quemadmodum iam pridem ab eruditissimis viris est animaduersum.

Fuisse philosophum Platonicum satis superq. scripta testantur. quamuis autem fuerit Afer, patria Madaurensis, vt propterea se vocauerit seminumidam, & semigetulum; postquam tamen Carthagine, & Athenis hausit Musarum crateres multiiugos, vniuersae philosophiae nectar, mox Romae studiorum latinorum cultor assiduus, & vigilax ad id facundiae Romanae fastigium peruenit, vt eloquentissimus, doctissimusq. iuxtà conspiceretur. gratulemur tanto viro his versiculis:

Te quoq. Dardanios, Luci, vidisse Quirites,
    Et Capitolinum iuuit adire Iouem.
Bibliotecarum iuuit venerarier aedes,
    Magnis cumq. Sophis aurea verba loqui.
Nempe patet diae templum penetrale Mineruae
    His, qui longa viae taedia ferre queunt.

An Apuleius putarit Aristotelem scripsisse librum de Mundo ad Alexandrum? notantur quaedam in Apuleiana versione eius libri. Cap. CVI.

S*cripsit egregium librum Apuleius de mundo, in cuius praefatione ait:* nos Aristotelem prudentissimum, & doctissimum philosophorum, & Theophrastum auctorem secuti, dicemus. *quae verba secundum aliquos satis clarè videntur ostendere existimâsse Apuleium libri de mun-*

mundo ad Alexandrum auctorem esse Aristotelem, quod tamen alij negant.

Dan. Heinsius in orat. vt reijciat hoc argumentum ait Apuleium dicere se sequi auctorem, qui secutus sit Aristotelem, & Theophrastum. verba Heinsij sunt: Cum Aristotelem, & Theophrastum non se, sed autorem secutum ait (neq. enim autor sed interpres Apuleius) plane significat neq. Aristotelem, neq. Theophrastum esse autorem.

Atqui hac sunt verba Apuleij, quibus disertè dicit se in opere de Mundo secutum Aristotelem: quare nos Aristotelem prudentissimum, & doctissimum philosophorum & Theophrastum auctorem secuti. *quis non videt nomen* Auctorem *referri ad Aristotelem, & Theophrastum?*

An igitur, inquiet aliquis, putas tu Aristotelem scripsisse de Mundo ad Alexandrum? Ego de hac controuersia satis prolixe ago in meo opere Deambulationum in Lyceo, quod tamen adhuc in scrinijs meis latet. interim dico, nisi repugnantia velimus accusare Aristotelem non oportere nos existimare librum de Mundo ad Alexandrum recensere inter Acroamaticos, sed dicere esse exotericum, ac proinde Aristotelem videri populariter in eo voluisse differere, quod disertis verbis videtur testari ipse cap. VI. eius libelli, dum scribit: λέγοντας μὴ δι' ἀκριβείας ἀλλ' ὡς τυπωδῶς μαθεῖν: dicentes non accuratè sed secundum crassiorem doctrinam. *quod nunquam protulisset de libro Acromatico. nam in primo Ethic. sic fere etiam loquitur, cum velit dicere eum qui tradit philosophiam de Moribus cogi crassa minerua & populariter agere, non accuratè, & acroamaticè.*

Nam statim postquam talia protulit verba, dictum promit more exoterico atq; vniuersa ἐκ θεοῦ καὶ διὰ θεοῦ ex deo, & per Deum *constituta. quod acroamaticè in suo Peripato loquendo nunquam protulit, imò contrarium prorsus plurimis argumentis conatus est probare in libris de Cœlo, qui sine dubio Acroamatici sunt. probatur etiam ex eo, quia in Acroamaticis nunquā fulcit suam sententiam laudando, citando & approbando Platonem. at in libello de Mundo sub finem inquit; vt ὁ γενναῖος Πλάτων.* vt eximius Plato ait. *Quod verò sibi tribuunt librū de Mundo id nouum non est. Exempla sunt in Terentio, Plauto, alijsq. Superiori seculo Acciaiolus suum fecit Eginbardum qui scripserat vitam Caroli Magni. Sed reperta, & edita eiusmodi vita deprehensum est, vnde Acciaiolus sumpsisset narrationem omisso nomine Eginbardi, qui primus inter Germanos librum composuit. Neq. enim ante Eginbardum vllus Germanus dicitur librum scripsisse.*

Libro Aristotelis de Mundo quædam inseruit Apuleius aliunde, non vsus solius Aristotelis verbis.

Cap. VI. sic loquitur: de rectore quippe omnium non vt ille ait, silere melius est, sed vel parum dicere, vetus opinio est. *ibidem paulo post.* hanc opinionem vates secuti profiteri ausi sunt, omnia Ioue plena. *videtur Virgilij vti auctoritate, apud quem legitur:* Iouis omnia plena.

Citat Fauorinum his verbis: Fauorinus non ignobilis sapiens, hæc de ventis refert, quatuor mundi plagas imparem habere ventorum numerum. *quod testimonium eò gratius est, quia cum de Fauorino ageremus id omissum*

sum fuit. & ea quæ Galenus de ipso prodit, dum ait scripsisse de Academica ambiguitate ad Adrianum, vbi etiam Galenus destruere satagit suspensionem illam Academicorum, & adstruere disciplinarum certitudinem.

Adducit aliquid ex Catone in originibus: Cato autem in originibus.

Non omittit Ennium: Namq; habitus orantium sic est, vt manibus extensis in cœlum precemur, Romanus etiam poeta sic sensit. aspice hoc sublime candens quod omnes inuocant Iouem.

Quandoq. visus Aristotelis sententiam, non prorsus Aristotelicè exprimere. accipe exemplum obseruatione dignum.

Non fert Aristoteles vllo modo ignitam esse cœli naturam, dum inquit cap. II Cœli porrò siderumq. substantiam appellamus ætherem non quidem ideò, quod πυρώδης ignita flagret ipsa, vt aliqui censuerunt plurimũ aberrãtes circa potentiam illam maximè ab ignea natura abhorrentem. *postea ait* ætheræ naturæ quæ mutabilitatis est immunis & conuersionis contrariis est natura; patibilis prorsus, & vertibilis. *statimq. agit de natura ignita, hoc est de elemento ignis. mox de aëre.*

Apuleius tamen ait lunam pascere diuinas, & immortales viuacitates ignium. *mox memorat* finitimos æthereos ardores. *inferius hæc habet:* æther vicissim igneīq; illi immortalis Dei viuacitate flammantur. *Nonne hoc est dicere ætherem esse ignitum?*

Dices: hæc tamen habentur apud ipsum versa ex Aristotele: Non vt quidam putant, quod æther igneus sit & incensus. *Respondeo videri sibi repugnare, aut negare*

vt aetherem esse igneum, vt ignitus sit aër, de quo postea ait ignis aërea densitate conflatur. *quibus verbis non negat dari ignem supra aerem cum Aristotele, sed non Aristotelicè asserit* ignes æthereos flammari.

De qua quidem versione, & opinione Apuleij sentiat sanè quisq. vt vult.

Aristotelem apud Apuleium docuisse, licet male, Deum sua substantia esse tantum in cœlo. Cap. CVII.

QVoniam inter recentiores philosophos non deest, qui vtens libro Aristotelis de Mundo conatur ostendere Aristotelem extistimasse Deum sua substantia esse vbiq. non tantum in cælo, & esse instrinsecam, & essentialem partem mundi, eiusq. formam, lubet ostendere ex eo libro Aristotelem disertè Deum, quoad substantiam, tantum in cælo collocare, licet secundum eundem eius vis, regimen, atq. potentia pertingat ad vniuersa. depromemus autem verba Apuleij vertentis Aristotelem. sic ergo Apuleius: nec ambigitur eum præstantem atq. sublimem sedem tenere. *mox memorat* in arduis arcibus solium consecratum.

Dices, mox ait: Deum per omnia permeare, & ad nos tendere.

Sed verba ipsa, quæ connectuntur ostendunt eum loqui de potentia, de vi, de efficacia. honestius est arbitrari *Deum* sacratum cœli penetralibus, & illis qui longissimè separantur per se, & per alios opem salutis afferre,

ne-

neq. penetrantem, atq; adeuntem specialiter singu- la nec indecorè attrectantem cominus cuncta. *quid clarius fieri potest? plura vel ex verbis græcis, vel ex persona Apuleij proferre supervacaneum est.*

Dices, secundum veritatem S. Paginarum Deum cælum, & terram implere, & esse infinitum sua substantia, & vbiq. apud nos etiam sua substantiá adesse. Cur ergò talia attinet transcribere ex Apuleio, & ex Aristotele?

Respondeo, verissima esse, quæ de infinitate Dei tradit nostra sanctissima Theologia, interim non est affingenda sententia Aristoteli, quæ Aristotelis non est. neq. enim veritas de diuinis attributis auctoritate gentilis philosophi indiget. desinat igitur recentior philosophus vti Aristotelis testimonio, vt probet Deum sua substantia esse vbiq. præsentem etiam extra cælum. nam Aristoteles, vt audiuimus contrarium sensit, licet errauerit, vt homo gentilis.

An author libri de Mundo versi ab Apuleio, dum vocat cœlum quintam substantiam, senserit cum Platone?

Cap. CVIII.

P*Vtant aliqui Platonem & Aristotelem idem sentire de cœlo, quandoquidem quod cælum appellat Aristoteles, πέμπτην οὐσίαν, id Plato πέμπτον κόσμον, πέμπτον στοιχεῖον, πέμπτον σχῆμα vocat. nam vt obseruat Proclus in Timæum,* nihil interest, an quis quintum elementum, an quintum mundum, an figuram vocet.

Nihilominus non est confundendá sententia Platonis, & Ari-

Aristotelis de cælo. Cur ita? quia cælum prorsus differt à substantia elementorum, cum dicat cælum esse ingenerabile, & incorruptibile, elementa autem generabilia, & corruptibilia. Non igneum, non terreum, non aqueum, non aereum est cælum secundum Aristotelem, neq. habet qualitates, quibus quatuor elementa prædita sunt. at Plato cælo tribuit elementorum qualitates, atq. eiusdem esse materiæ hinc cogitur fateri Foxius, qui tamen passim commendat consensionem vtriusq philosophi differre inter se, dum Aristoteles nec eiusdem materiæ, neq. qualitatum, quibus prædita sunt reliqua, particeps esse docet. vide ipsum Foxium lib. II. cap. II. de natura philosophiæ.

Apuleius Platonicus, dum transfert librum Aristotelis de mundo, igneam naturam videtur satis clarè tribuere secundum Platonem præceptorem cælo. Huius, *inquit*, diuini ignis origine incensi per totius mundi connexa illustribus facibus ignescunt superna.

Differt igitur Aristoteles de Mundo scribens à Platone nam dum vocat cælum quintam substantiam, significat prorsus differre ab elementis, sic dissentit à Platone, cuius sententiam de Mundo, deq. cælo explicat etiam Alcinous. nam cap. X vt probet Deum esse incorporeum, ait, si corpus est ex materia constat. ideòq. vel ignis est, vel aer, vel terra vel aqua, vel aliquid ex ijs conflatum, cap. XII. *agens de generatione totius Mundi, cuius pars præcipua cælum, ait:* ex singulis quatuor elementis eum compegit integris ex toto scilicet igni, & terra, aqua atq. aere nulla alicuius parte prætermissa, aut potestate. *hæc ille. Nec ergò putet quisquam Aristotelem in libro de Mundo, quem*

vir-

uertit Apuleius, sensisse cum Platone de cælo.

Ijs quæ prolata sunt, addendum quod est apud Apuleium in libro de dogmate Platonis: mundus omnis ex omni aqua, totoq. igni, & aeris vniuersitate, cunctaq. terra esse factum. *nec omittenda uerba Alcinoi cap. XII. ubi de Deo condente mundum, dicit:* ἐκ τῆς πάσης ὕλης αὐτὸν ἐδημιούργει. *quod uerti potest:* ex tota aut ex omni materia ipsum condidit. *si uertas*, ex tota *significat Deum exhausisse totam materiam, neq. partem reliquisse, quod asserebant, qui ponebant infinitum. si autem uertas* ex omni *indicat Deum ex omnibus qualitatibus, aut ex omni conditione materiæ condidisse mundum. Materia scilicet erat sed non sine confusione ignea, aërea, aquea, terrea. Talem naturam indidit Deus mundo, ut ipse referret in suo ordine ingenium materiæ, quę ante ornatum præferebat magnam confusionem. subijcit enim Alcinous:* materiam *sine ordine ullo* (ἀτάκτως) *& temere se mouentem antequam cælum fieret eripiens confusioni* (ἀταξίας) *promouit in optimum ordinem* ἀρίστην τάξιν. *interpres latinus illud* κινουμένην *transtulit disiectam, non satis ex mente Alcinoi. nam significat Alcinous, quod etiam tradit Plutarchus in libro de Procreatione animæ, quod mouebatur antea materia, sed absq. ullo ordine. sic concinit Plutarcho Alcinous, atq. adeò docet materiam quidem fuisse semper, sed non semper fuisse mundum, sed in tempore Deum exornâsse materiam quod tamen frequentiori numero Platonicorum uidetur repugnare, quemadmodum etiam obseruaui, quando de Plutar. hoc egi. & tamen id Alcinous adhuc disertè tradit cap. XIII.*

Quamuis postea cap. XIV. videatur corrigere ex sententia Platonis, quod adeo disertè exposuerat cap. XII. & XIII. verba eius sunt si vertantur latine: quando (Plato) ait mundum esse factum, id non sic exaudiendum est, ac si fuerit tempus, quando mundus non erat, mox ait animam mundi semper fuisse nec effici à Deo, sed ornari.

Si antequam mundus fieret secundum Platonem, vt quoq. tradit Plutarchus, materies mouebatur inordinate, & inordinatus motus proueniebat ab anima, mundus certè hoc est substantia ornata, motus ordinatus animæ, atq. adeo mundi non semper fuit, sed cœpit moueri ordinatè, & cœpit habere ornatum materies, quando Deo placuit ordine donare animam, ornareq. materiam.

Videant Platonici, quomodo Alcinous, imò Plato ex cuius sententia profitetur semper Alcinous se loqui, ab incommodo repugnantiæ liberari possit.

Apuleius sanè satagit contradictionem detrahere praeceptori in libro de Platonis dogmate his verbis: hunc mundum (Plato) nunc sine initio esse dicit aliâs originem habere natumq esse. Nullum autem eius exordium atq. initium esse, ideo quod semper fuerit. Natiuum verò videri, quod ex his totius natura, & substantia constet, quæ nascendi sortitæ sunt qualitatem. *videndus etiam Sebastianus Foxius in Timæum, qui tamen non satis videtur facere iis, quæ à Plutarcho disputantur in libro de procreatione animæ, cuius iam non semel feci mentionem. nec videntur quæ, refert Foxius sufficere, vt nodus, qui reperitur in verbis Alcinoi prorsus soluatur: Cum præsertim eadem difficultas videatur vrgere Apuleium, qui sic loquitur*

tur in libro de Dogm. Plat. Quæ elementa cum inordinata (*male vulgati codices habent ordinata*) permixtaq; essent, ab ædificatore mundi Deo ad ordinem numeris, & mensuris in ambitum deducta sunt. *hæc Apuleius.*

Illustratur dictum Apuleij narrantis etiam fœminas sub disciplina Platonis philosophatas. Cap. CIX.

N*E quis miraturus sit nos, quando de Plotino agemus, dicturos quasdam fœminas Romæ philosophatas fuisse sub disciplina Plotini, repetendum hic ex Apuleio etiam sub magisterio Platonis mulieres philosophiæ incubuisse. qua in re se gesserunt more discipularum Pythagoræ. habuit scilicet Pythagoras fœminas discipulas in contemplatione rerum. Nec Cynici caruerunt omninò societate talium philosopharum. Certè virgo quædam tanto amore incensa est Cratetis, vt dixerit patri, nisi se traderet vxorem Crateti, licet pauperrimo, se non victuram. quod cum impetrásset, more Cynicorum & ipsa solum pallium sumpsit, audacterq. & magna cum alacritate secuta est maritum, huc illuc in certa sede commeando.*

Sed vt mihi videtur, præ omnibus mulieribus, quæ philosophatæ sunt, memoranda est Hypatia quam θείαν diuinam *non semel appellat in Epistolis summus vir Synesius, agnoscens se sub ea profecisse in philosophico studio. Etenim Hypatia ad id fastigium philosophiæ peruenit, vt digna fuerit, quæ doceret publicè Alexandriæ in cathedra*

philosophica, & Platonis dogmata, tanquam Ammonius aliquis aut Plotinus auditoribus traderet, quæ tamen à plebe tandem occisa est, & obruta lapidibus, cum reuerteretur ex Gymnasio, id factum odio superstitionis gentilis, cum Christiani, quibus tunc præerat S. Cyrillus Alexandrinus, ferre non possent, vt palam dogmata Gentilium philosophorum in vrbe fere tota Christiana exponerentur.

De libro Apulei, quo descripsit Medicamenta ex viribus herbarum. agitur de antiquitate Medicinę & quod Medicina non debeat confundi cum Medicis. Cap. CX.

AN Medicum dicemus fuisse Apuleium philosophum? id videtur affirmandum. nam de medicaminibus herbarum librum reliquit, qui ab eruditis legitur. Respondeo, ipsum non expertem fuisse Medicinæ, sed Medicum non extitisse. medicum namq. vocamus, qui medicinam facit ob quæstum, & inuisit ægrotos.

An tu, inquiet aliquis, separas Medicinam à Medicis, & putas esse medicinam, absq. medico? locutus sum præeunte Plinio, summo viro lib. XIX. cap. I. Ceu verò non millia gentium sine Medicis degant, nec tamen sine Medicina, sicut populus Romanus vltra sexcentesimum nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicinæ verò etiam auidus, donec eam damnauit. *primus sanè Medicus Archagathus Lysaniæ filius Romam venit anno vrbis DXXXV. Vulnerarius ab initio fuit vocatus, mireq.*

gra-

tus ab initio: mox à sauitia secandi, & vrendi transiuit nomen in carnificem. vide plura ibidem.

Nonne ipse Plinius plurima tradidit de virtutibus herbarum, vt possent prodesse, nec tamen Medicus fuit? Cato odit Medicos, Medicinam tamen coluit, eaq. felici ter est vsus. audi verba Plinij eodem loco. Quid ergò? damnatam ab eo rem vtilissimam credimus? minimè hercule, subijcit enim qua medicina, & se & coniugem vsq. ad longam senectam perduxerit ijs scilicet, quæ nunc nos trademus.

Ego certè si secutus forem consilium Medicorum statim ad purgandos humores confugientium, iamdiu mortuus essem. non tamen carui, aut careo Medicina. non parca enim obseruo in victu, inq. alijs, absq. quibus non diu traducerem vitam.

Ergò Apuleius consulere voluit amicis scribendo de viribus herbarum, vt absq. Medicorum opera possent suæ consulere valetudini. inquit autem: dicimus, medicorum omnes ferme venditationes (*sic lego, non vendicationes, vt male vulgo legitur*) potius esse quam curas. Hos etiam homines inertia plerunq & imperitia enixos, certè lucripetas veros nuncupari, qui etiam à mortuis mercedes expetunt per occasionem, & faciunt reditus, dum tempus curationum extrahunt, puto quia sæuiores ipsis morbis exitunt.

Dices: qui medicus non est, non sciet adhibere herbas ad rem, adq. morbum, atq. adeò sibi nocebit. Ergò Medicina haberi non potest absq. Medicis.

Respondeo, Medicinam videri diuinitus datam à Deo ad

ad salutem hominum. Cur enim viribus mirandis instruxit herbas, si non erant profuturæ tanquam medicamenta? Certè Medicinam puto extitisse cum ipso humano genere, etsi nonnulli, sed male, eius initium ad Machaonem, & Podalirium temporibus Troiani belli referant, quos etiam argutantur tantum sciuisse vulneribus mederi. Atqui herbarum vis ad multo plura confert, quam ad vulnera. Helena autem, vt diximus ex Odyssea lib. IV. habebat pharmaca, quæ acceperat à Regina Ægypti. repetantur quæso Homerica verba:

Talia Iouis filia habebat pharmaca vtilia,
Bona, quæ illi Polydamna præbuit Thonis vxor
Ægyptia, quæ plurima producit fertilis terra
Pharmaca, plurima quidem salubria mixta multa noxia.
Medicus verò peritus vnusquisq. supra omnes
Homines: sanè enim Pæonis sunt ex generatione.

Nonne ipsa Helena adhibuit pharmacum nepenthes ad exhilarandos conuiuas, quod aliqui Buglossam fuisse existimant? vides valde floruisse antiquissimis temporibus Medicinam in Ægypto, & plerosq. omnes fuisse herbarum, & pharmacorum peritos. ita si verum est, vt certè plurimum debemus deferre testimonio Homerico, non est quod dicamus serò inuentam Medicinam. nec assentior Plinio putanti temporibus belli Troiani tantum aliquos fuisse peritos medicinæ quæ curat vulnera, nec amplector ex toto animo sententiam Hippocratis, qui docet veterem Medicinam tantum habuisse rationem victus, dum scribit: principiò non fuisset inuestigata ars Medica, si eadem victus ratio ijs

one-

offerretur qua qui valent vtuntur. *Atqui etiam Circe, vt narrat Diodorus Siculus lib. V. nouit potestatem herbarum quamuis ijs abuteretur in perniciem. nam cum ipsa sciret colligere venenatas, oportet illa tempestate facultatem herbarum hominibus notam fuisse.*

Dices, antequam innotescerent herbæ, Medicina tota posita erat in ratione victus. Sed quis nescit rem esse controuersiæ plenam, si quis loqui velit de statu primo mortalium (de S. Litteris non loquor, quarum cognitionem non habebant Gentiles) quisq. enim sibi fingit pro suo lubitu statum aliquem, vt faciunt etiam Iurisconsulti, dum aiunt captiuitates fuisse secutas & bella, & aliquos factos seruos. quasi fuerit tempus, quando nullum prorsus in toto terrarum orbe erat bellum.

Ne igitur ambigamus, si lubet sequi Homericam auctoritatem, antiquissimis temporibus, & quibus antiquiora ne quidem Hippocrates ex Chronologia recensere poterit, fuisse in vsu pharmaca, atq. adeò Medicinæ, quæ pharmacis vtitur, saltem Ægyptios expertes non fuisse.

Inueniuntur tamen homines, qui inuentionem Medicinæ totam tribuunt Hippocrati, qui ipsos confutat, nam eodem libro de Prisca Medicina inquit, vt alia loca apud eundem omittam: At verò iampridem in Medicina omnia subsistunt in eaq. principium, & via inuenta est, per quam præclara multa longo temporis spatio sunt inuenta. *hæc ibi.*

Rursus dicent Medici, qui Medicus non est non scire vti herbis ad profligandos morbos. frustra igitur Plinius, & Apuleius de viribus herbarum scripserint.

Re-

Respondio, rem ipsam clamare saepe profuisse herbas adhibitas etiam ab eo, qui non facit Medicinam mercede conductus. quod si contingat quandoq. minus feliciter talia administrari, dicam etiam ignaros Medicos (doctos enim & peritos suspicio) frequenter decipi. quid loquar de concertationibus Medicorum, & dissidio, quando initur consilium de morbo depellendo? hinc ille dixit se turba Medicorum periisse.

Quam etiam celeriter multi medici prosiliunt ad purgandos humores, qua temeritate non pauci intereunt, qui non interirent. hinc Plinius ait: Nulla praeterea lex punit inscitiam capitalem. discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt. Medicoq. tantum hominem occidisse impuni as summa est. *quamuis Instit. tut. de leg. Aquil. §. iniuria sic sanciat Imperator:* imperitia quoq. culpae adnumeratur, veluti si medicus ideò seruum tuum occiderit, quod eum male secuerit, aut perperam ei medicamentū dederit. *non videmus tamen actionem vnquam institui. quod si agendum foret lege aquilia aduersus eum, qui ob imperitiam perdiderit alicuius seruum, esset agendum lege Cornelia de Sicarijs aduersus eum, qui ob imperitiam, & perperam praebendo pharmacum liberum hominem occidisset. sed, vt dixit Plinius, impunitas comitatur medicorum imperitiam.*

Serio tamen docti Medici monent, ne temere quis aggrediatur purgationem humorum. vt enim humores degeneres vacuare oportet, sic eos, qui è natura sunt, mouere aut etiam nouare nefas est. ac periclitatur aeque is, cui sano aut sine febre catharticum propinatur, atq. si eidem cum

opus

opus est Medicina non fiet.

Quod si pergant Medici dicere nihil prodesse posse remedia ex herbis recensita à Plinio, & Apuleio ijs, qui Medici non sunt, quia incident in errores, dum volent ijs uti, rogabo ipsos, annon ante Galeni tempora Medici fuerint obnoxij erroribus, ut Erasistratus, Asclepiades, Thessalus, quiq. diuisi in sectas dissidentium praeceptorum sequebantur opiniones? cogentur id concedere, si Galenus, cui hoc tempore adhaerent, rectè impugnauit eos, & potissimum Hippocraticam asseruit Medicinam. non igitur necesse est eum, qui utitur herbis ad pellendos morbos, esse positum extra aleam errandi. Caeteroqui oporteret Medicos, quos profligat Galenus, frustrà fuisse. Certè ante ipsum iacebat, aut languebat Hippocratica Medicina: medici tamen medebantur.

De Crescente philosopho Cynico, qui Romæ accusauit S. Iustinum. perpenditur quoddam edictum Traiani aduersus Christianos. Cap. CXI.

IAm dicendum aliquid de Crescente philosopho Cynico, qui accusauit S. Iustinum philosophum, effecitq. ut è medio tolleretur. quod facinus indignum fuit eo, qui se Stoicum profiteretur, qua de re uidenda quae iam tradidimus de Egnatio Celere, qui prodidit et perdidit Soranum. Sed de Crescente audiamus Scriptores Ecclesiasticos. Photius in bibliotheca sic: (Iustinus) aduersarium habuit quendam nomine Crescentem de eorum genere, qui Cynici vocantur. S. Hieronymus haec habet in libro de script. Eccles.

(*Iustinus*) cum Crescentem Cynicum, qui multa aduersus Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, & mortis timidum, luxuriæq. & libidinum sectatorem. *nec omittenda, quæ traduntur à Nicephoro Callisto histor. Eccles. cap. XXXII. (Iustino)* Crescens quidem philosophus vita morumq. æmulatione Cynicus insidias struxit. Cum enim in multis sæpe colloquijs, & disputationibus Crescentem quod pleraq. perperam faceret falsoq. in nostram professionem inueheretur criminans Iustinus conuicisset. *sed & ipse Iustinus mentionem facit Crescentis, quem appellat* arrogantiæ magis quam sapientiæ amantem, publicè (*ipse*) de rebus, quas ignorat, videlicet quod Christiani athei sint, asseuerat.

Quod gulosus, & libidini deditus, & ignarus appellatur Crescens, id prorsus consentaneum est non solum ijs, quæ promisimus ex Iuliano Imperatore, quando de Cynicorum instituto egimus, sed & concinunt ijs, quæ inferius depromentur ex Athenæo, apud quem Cynulcus Cynicus viuis coloribus depingitur, valde similis Crescenti, qui insidiatus est, & contradixit S. Iustino.

Quærere autem iubet, qua ratione dicatur struxisse insidias Iustino? nonne enim palam Iustinus transierat ad Christianos, & palam tanquam celebris oppugnabat Gentilium errores scribendo, disserendo? quibus igitur opus fuit insidijs, vt proderetur, & occideretur?

Respondendum est iam olim de Christianis sanciuisse Traianum, nempe tales inquiri non debere, sed oblatos, hoc est accusatos puniri. in quod tamen edictum, & rescriptum

vt

iruit iniquum insubitur Tertullianus in Apologetico. nam si Christiani merentur puniri, cur non perquiruntur? si non merentur puniri, cur accusari debent?

Traianus tamen sic sanciuit non quod putaret non esse graue crimen Deorum cultum contemnere, & nouæ religioni adhærere, cæcus ipse superstitione Gentili, sed quia videbat valde indies crescere cœtus Christianorum, vsus hoc temperamento, ne prouinciæ, ac præsertim Bithynia, ex qua scribebat Plinius, ad solitudinem redigerētur. quando namq. aliquod crimen valde gliscit, & magna passim multitudo eo se alligat, non possunt singuli puniri, ne solitudo, qua nihil peius fieri potest, in regione fiat. hinc dixit Lucanus:

quicquid multis peccatur inultum est.

Et Iuuenalis ait, quod peccantes, si plurimi sint, tuentur se veluti iunctæ vmbone phalanges. *apud Romanos veteres sub Republica adulterium grauissimum erat crimen, & valde rarum grauissimeq. puniebatur: postea euersa libertate, & inuecto Principatu cœpit esse adulterium ludus, & iocus propter frequentiam peccantium, vt propterea scripserit Iuuenalis.*

vbi nunc lex Iulia dormis?

Quid grauius homicidio? hodie tamen, quia adeò frequenter in Italia peccatur hac in re, vix vnquam videas aliquem extremo supplicio affici, quod alium interfecerit.

Putauit igitur Traianus Christianos non esse inquirendos, sed oblatos puniendos, quasi non ita graue esset esse Christianum. perduelles enim, hostes reipublicæ, parricidas, latrones, incendiarios, & huiusmodi Magistratus perquirit etiam nemine accusante, & afferente. alios autem non

ita grauia crimina perpetrantes non trahi ad carcerem iussi accusentur.

Ergò notus erat Iustinus, quod deserta superstitione gentili, Christianus esset, sed molestia non afficiebatur. Crescens autem homo timidus bestijsq. petulans veritatis Iustinum accusauit, qui accusatus gloriam martyrij est consecutus feliciter.

Quid impulerit Iustinum vt relicta philosophia Platonis, & veteri superstitione transiret ad Christianos? proferuntur nonnulla philosophica ex eius scriptis. Cap. CXII.

QVod S. Iustinus fuerit Platonicus philosophus, antequam Romæ transiret ad Christianos, id ipse in priori Apologia testatur, in qua etiam dicit, cur Christianus euaserit. Nam & ipse quando Platonica doctrina delectabar, cum audirem calumnijs appeti Christianos nec mortem horrentes, nec aliud quicquam cæteris terribile cogitabã, esse impossibile tales vitijs seruire quis enim voluptati deditus aut intẽperans, aut suauiter vescens humanis visceribus posset morte gaudere vt priuetur suis delitijs? ac non potius conaretur perpetuo hic viuere. & Magistratus fallere? *quod dictum prorsus ii viuat quod protulimus ex XI. Annal. vbi Lepida hortatur Messalinam, decus mortis quærat, cogitet vitam transisse, sed surda proferebantur verba. Cur ita?* quia animo per libidines corrupto nihil honestum inerat.

rat. si tanta inerat fortitudo Christianis, ut non recusarent pro sua religione mortem oppetere, oporteret omnia esse confi-cta, quæ vulgo spargebantur de ipsis, quod noctu conuenirent libidinum causa, quodq. vescerentur infantilibus carnibus. deprehensa igitur hac ratione à Iustino Christianorum innocentia, ad ipsos transiuit spreta philosophia Platonis, quod videret adeò inter se dissidere philosophos, ut nihil certi posset ab ipsis hauriri. Contradicere namq. sibi inuicem etiam Aristotelem, & Platonem, qui tamen videbantur esse præcipui. audiamus ipsum Iustinum in exhortat. ad gentes: quotquot inani studio suam infamant philosophiam nihil scire conuincuntur, atq. etiam ipsi fateri hoc coguntur non solum dissidijs mutuis, sed & incostanti, ac varia suorum dogmatum expositione. quod si veritatis inuentio confessione omnium finis est philosophiæ quo iure isti, qui veritatis notitiam non assequuntur, philosophi nominari postulant? *hæc ille.*

O igitur gloriosum philosophiæ veræ, & non fucatæ, hoc est veritatis Catholicæ atq. Christianæ progressum dum videmus insignem philosophum, Platonicæ doctrinæ innutritum, Aristotelicorum dogmatum, ut apparet, peritissimum contempto Platone, insuper habito Aristotele ad Christum veræ philosophiæ fundatorem transire. Gratulor tibi sapientissime Iustine, qui relictis tenebris ad lumen ad solem veritatis tam feliciter, tam fortiter transis.

Cum præsertim sigillatim ostendat idem Iustinus fidem non esse habendam Platoni, & Aristoteli inter se de rebus grauissimis dissidentibus. sic enim scribit in eadem exhort. ad Gentes: quod si & hos discordes comperiemus, facile

vile opinor eorum manifestam ignorantiam damnabimus.

Quando Christiani dicebant philosophos Thaletem, Heraclitum, Pythagoram, Empedoclem, Melissum, inter se esse discordes, Gentiles respondebant conquiescendum in Platone, & Aristotele. sic enim narrat S. Iustinus vt dicat Gentiles putasse Platonem, & Aristotelem esse philosophorum celeberrimos, & absolutissimos, & scire veram perfectamq pietatem.

Obijciebant Christiani, & obijcit ipse Iustinus Platonem quoq. & Aristotelem inter se dissidere. hinc extiterunt philosophi Gentiles Ammonius, Porphyrius, & alij, qui conati sunt omnia dicta Aristotelis, & Platonis inter se conciliare, qua de re infrà suo loco agemus. suscipiebant hunc laborem, vt vacillantem errorem Gentilium tuerentur authoritate tantorum scriptorum.

Sed ostendit Iustinus dissidere tantos philosophos. Plato clamat omnem animam esse immortalem. Aristoteles entelechiam eam nominans, censet mortalem. ille in perpetuo motu eam esse dicit, hic immobilem ipsam ait esse motus omnis authorem.

Plato summum deum dicit esse in ignea substantia. Aristoteles negat ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ in ignea substantia esse Deum *fingensq. quintã quandam aetheream, & immutabilem essentiam, in qua ille degat. citatq. librum,* quo Alexandro Macedoni tradit compendium suæ philosophiæ. *vnde colligere licet existimasse Iustinum librum de Mundo ad Alexandrum esse Aristotelis. scio conari Dan. Heinsium euertere hoc argumentum petitum à Iustino. sed*

ne-

nescio quam rectè respondeat, & num satisfaciat argumentationi valde validæ. nam quomodo possumus concedere librum illum esse Aristotelis, iam diximus in Apuleio.

*Quicquid hac de re sit, satis constat Aristotelem in libris etiam Acroamaticis collocasse primum motorem in extrema sphæræ parte conuexa, & quidem orientali. de Platone autem iterum ait Iustinus, quod in prima, summaque illa sphæra planetis superiore primum Deum cum Ideis collocet, sed Aristoteles post primum illum Deum non Ideas, sed quæ*dam Intelligentiarum numina subiungat. *hæc & alia legi possunt apud doctissimum sanctissimumq. Martyrem, quæ valde faciunt ad excolendum ingenium.*

De ἀδιαφορίᾳ (lat. indifferentia) Crescentis Cynici quid scripserit S. Iustinus? plura de rebus indifferentibus proferuntur. Cap. CXIII.

S. *Iustinus inuchitur in Crescentem Cynicum, quod* ἀδιαφορίαν indifferentiam *tueberet*. Verum Cynico, *inquit*, qui omisso bono sectatur indifferentiam, possibile non est scire aliud, quam indifferens.

Pro indifferentia autem innuit tunc aliquos sic pugnasse ut dicerent: esse diuersas leges hominum, & alijs honesta videri quæ apud alios turpia censentur. *ipse respondet* leges malas inductas esse a malis Angelis, *quibus delectantur æquè mali, sed accedere rectam rationem cui* non omnes opiniones probantur nec omnia placita, sed fieri discrimen inter bona, & mala.

Non

Non autem absolutè negat dari indifferentiam in quibusdam rebus, cum varietas institutorum etiam apud populos rectè viuentes semper viguerit. sed non est vlterius quam par, progrediendum in eiusmodi ἀδιαφορίᾳ. Aristo sanè Chius, vt refert Laërtius in Zenone finem dixit esse τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρός τι μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας. indifferenter viuere ad aliquid inter virtutes, & vitia. *Cicero in Lucullo:* Zenoni summum bonum est, in his rebus neutram in partem moueri; *quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur.*

Veritatem autem proferi, non debet poni inter indifferentia, vt quidem videbatur facere Cynicus Crescens putans non debere quemquam veritatis causa subire periculum, aut mortem, qua tamen in re contradicebat Socrati, moralis philosophiæ præcipuo auctori.

Dices, Crescens fuit Cynicus, ergò videtur cum Zenone ἀδιαφορίαν tantum posuisse in ijs, quæ iacent inter virtutem, & vitium.

Respondeo, indicare Iustinum Crescentem meticulosum fuisse, & cum forte apud se agnosceret veritatis Christianæ vim, noluisse eius causa se dare in discrimen, atq. extendisse ἀδιαφορίαν ad veritatis professionem, quasi possit Sapiens dissimulare, & indefensam relinquere veritatem. longe alia mens Iustino, qui non dubitauit, vt vir generosus Apologiam pro fide Christianorum Cæsaribus offerre.

Ergò negatio veritatis inter simpliciter mala ponenda est.

Quod verò ad felicitatem indifferenter se habeant diuitiæ, & talia disputatur inter Stoicos, & Peripateti-

cos

eos, nec prorsus absurda est sententia Stoicorum, de qua suo loco in hoc ipso opere nonnulla protulimus, cum etiam Pyrrhoniam indifferentiam reiecimus, Anaxarcheumq. ἄστοργον. quam enim stulte se gerebat Pyrrho μηδὲν ἐκτρεπόμενος, μηδὲ φυλαττόμενος nihil declinans, nihil obseruans. vnde forte natum est, vt apud Græcos ἀδιαφορέω sit ferre sursq. deq. & negligere quod accidit siq. fortè quis interpretur ἀδιαφορίαν illam, qua Cicero conclamata Republica se solatur in Epist. ad Att. addens εὐελπιστίαν: si non placeat dicere Stoicè fuisse locutum, vt iam monuimus suo loco.

Nec interim opinandum eum qui indifferenter se habet, non dolere omninò. Certè viri fortes præsenti animo ferunt calamitatem, & aduersos casus, non tamen putant idem esse manere in patria cum dignitate, aut dignitate exutum exulare. absurdè namq. Pyrrho publicè auiculas porcellosq. vendidit, quin & scropham lauit, teste Laertio, vt ostenderet se esse indifferentem.

Cur ergò, inquies, succensuit aliquando Philistæ Sorori, immemor sui instituti? Certè qui ἀδιαφόρως sese habet non irascitur.

Huic obiectioni respondit ipse, & dixit audacter fieri non debere ἐπίδειξιν ἀδιαφορίας ἐν γυναίῳ, in mulercula argumentum indifferentiæ.

Dionysius autem Metathemenus appellatus, vt scribit Laertius in vita Herilli quum in oculorum dolorem incidisset, eo cruciatus acriter noluit dicere dolorem indifferentem, nec tamen eius sententia est probanda, quando asseruit τέλος εἶναι τὴν ἡδονήν, voluptatem esse finem.

Illud antequam huic dissertatiunculæ finem imponam monebo, licet leue sit, Ciceronem græcorum ἀδιάφορον interpretatum indifferens *Suetonius autem si scripsit de Cæsare:* circa victum Oppius indifferentem fuisse docet.

De veritate Christiana nitente Mosaica antiquitate quid disserat S. Iustinus contra gentes? agitur rursus de auctoritate antiquitatum quas scripsit Iosephus. Cap. CXIV.

PRæcipuum argumentum, quo vtitur S. Iustinus ad oppugnandos Gentilium errores, & asserendam Christianorum veritatem petitum est ab antiquitate Mosis, & sacrarum literarum. Deum namque per Mosem longè ante Platonem, cæterosq. philosophos tradidisse hominibus veritatis dogmata. In secunda Apol. sic loquitur: vt sciatis Platonem hausisse è nostris doctoribus, audite verba Mosis, vatum antiquissimi superioris omnibus scriptoribus Græcorum. *In eadem Apol. paulò antea:* Plato cum ait, culpa penes eligentem est, Deus verò extra culpam, à Mose mutuatus est hanc sententiam Moses enim est antiquior omnibus Græcorum scriptoribus.

In exortat. ad Gent. Iam tempus est ò Græci, vt persuasi Mosem cæterosq. Prophetas longe antiquiores fuisse omnibus vestris sapientibus, desistatis ab errore.

Ex Diodoro probat Mosen esse omnium legislatorum antiquis-

vtquissimum, quin docet, nihil Græcos certò prodidisse, quod sit superius Olympiadibus, nec eos habere vllos annales veteres de rebus suis, aut barbaricis sola Mosis prophetæ præcessit historia. *quibus non absimile est, quod scribit Tertullianus lib. de Pallio:* à Nino Beli progenie (si tamen Ninus regnauit primus, vt autumat superiorum profanitas ferme apud vos stilus non solet.

Hinc Christiani cœperunt tam diligenter contexere Chronologias, vt ostenderent antiquitatem diuinæ, & Mosaicæ legis, docerentq. omnia Græcorum monumenta longè esse posteriora.

Eustathius Comment. in Hexaemeron ait Clementem, & Aphricanum, & præter hos Tatianum, & ex Iudæis Iosephum, & Iustum proprio quemq. modo litteris prodidisse Moysem temporibus Inachi, qui septingentis annis bellum Troianum antecessit, fuisse.

Mox inhærens diutius Iosepho ait eum annorum ordinem ratione, & iudicio disposuisse, & enumerasse omnium gentium dominos.

S. Iustinus exhort. ad Gent. vt ostendat Mosem fuisse temporibus Inachi, citat Philonem, & Iosephum Iudæorum doctissimos. *Mox addit:* Certè Iosephus antiquitatem suæ historiæ profitetur ipso titulo sic: Flauij Iosephi de Antiquitatibus Iudæorum.

Quod si Iosephus, vt vult Salianus, & Salianum imitans Mascardus inuertisset, interpolasset historiam veteris Testamenti, frustra eius testimonio tantum triuerint scriptores Ecclesiastici.

At Sixtus Senensis in Bibliotheca sic loquitur de Antiquitatibus Iosephi: Seruatis simul & Sanctarum scripturarum veritate, & historiæ legibus quandam veluti paraphrasin in omnes ferme veteris testamenti libros aptauit.

Idem Senensis subiungit Iosephum scripsisse aduersus Apionem, Molonem, aliosq. qui veteres & sacras Hebræorum historias calumniabantur, proferendo tanta ex Phœnicum, Chaldæorum, Ægyptiorum, & Græcorum scriptis testimonia, Sacris historijs conformia, vt vehementer admiratus sit D. Hieronymus, quomodo vir Hebræus, ab infantia sacris litteris eruditus tantas externorum autorum bibliothecas potuerit euoluere.

Dices cum recentiori Scriptore, si verus est in historia Iosephus ruent tempora. *dices cum eodem fortasse* hominem peri[illegible]num *fuisse Iosephum.*

Non ego Iosephum eximo omni errori. homo enim fuit. sed miror dixisse scriptorem recentiorem, ruitura tempora, si verus in historia est Iosephus. Cur ergò S. Iustinus nititur auctoritate Iosephi, vt ostendat Mosem esse antiquiorem omnibus legislatoribus, omnibusq. Græcorum sapientibus? infirmo fulcro fulcit suadēda, quisquis nititur eo, per quem si verus est in historia ruunt tempora.

An ruunt tempora per eum, qui teste Eustathio ἱστορίας συντάξει [illegible] χρόνους *disposuit tempora omnium Gentium? nam qui confundit tempora, efficitq. vt ruant illi non certè habuisse mentem atq. iudicium, sed insaniam, aut etiam prauitatem.*

Nam etiam à S. Hieronymo inter scriptores Ecclesiasti-

cos

tor recensitum hominem, fortasse pessimum. debebat recentior scriptor saltem indicare cur putet, aut suspicetur pessimum fuisse Iosephum: nec enim vagandum cum periculo alienae existimationis.

Qui porrò commendando Iosephum, praeferunt multis scriptoribus tam graecis quam latinis, non ita insaniunt, vt puto, vt eum praeferant diuinarum litterarum auctoritati, quae maximo interuallo superat quorumcumq. aliorum scriptorum auctoritatem.

Sed adduci non potest recentior scriptor, vt credat in tanta obscuritate scriptorum, varietate temporum, diuersitate sententiarum, annorum serie veritatem in omnibus κατορθῶσαι Iosephum.

Haec eadem difficultas quemlibet alium historicum, & Chronologum vrget. sic hactenus non prodijt omnibus numeris absoluta temporum supputatio, quandoquidem quilibet cogitur experiri obscuritatem scriptorum, varietatem temporum, diuersitatem sententiarum, annorum seriem.

Dicet ipse recentior scriptor, non defuisse nostro tempore qui errores Iosephi in historia notauerint. An igitur qui notant Iosephi errores omni errore carent? non puto affirmabit. Qui autem laudat Iosephum non ei, vt mihi persuadeo, detrahit omnem maculam. nam in omnibus rectè dicere, & nunquam dormitare hoc est proprium eorum scriptorum, qui diuinitus illustrati nos docuerunt. caeteri, inter quos etiam Iosephus, nihil à se humanum alienum putant.

An verò hinc colligendum est vacillare in historia Iose-

phi

phi auctoritatem, & suspq. deq. habendas eius narrationes ê aut affirmandum cum Saliano, & Mascardo Iosephum antiquitates Veteris Testamenti inuertisse, interpolasse? nequaquam sic ratiocinandum. quin audiendi sunt de Iosepho alloquentes tot grauissimi viri, quorum testimonia aliqua saltem ex parte & hic, & suo loco, quando de Iosepho egimus, protulimus.

De disputationibus S. Iustini contra Aristotelem. perpenduntur duo loci apud Aristotelem de cœlo. Cap. CXV.

DE S. *Iustino sic Photius:* est autem vir ille ad Philosophiæ tum nostræ tum potissimùm profanæ summum euectus fastigium (ἄκρον) multiplicisq. eruditionis, & historiarum copia circumfluens.

Tradit idem Photius Iustinum oppugnasse Materiam, Formam, priuationem Aristotelis, quintumq. illud corpus motumq. sempiternum, rationibus epicherematicis ac violentus, & densatis, siue conglobatis.

Specimen esto disputationis Iustini contra Aristotelem hoc. nam ipsum repugnantiæ arguit. in II. de cœlo dicit: cœlum igitur neq. ortum, neq. corrumpi potest. *in primo ait:* rectè natura videtur id quod futurum erat ingenitum, & incorruptibile exemisse è contrario.

Ne videatur hoc effatum illud euertere, forte putandum est Aristotelem locutum populariter, & exotericè. in secundo autem de cœlo scripsit acroamaticè, ne sibi contrarius deprehendatur. Certè hic modus loquendi: Natura exc-

exemit cœlum a contrarijs non sit consentaneus germanæ, & propria doctrina Aristotelis. Nam natura secundum ipsum propriè est tantum forma, & materia. modus autem hic loquendi, Natura exemit denotat subiectum perfectum operans. At forma, & materia sunt partes, & sunt substantiæ imperfectæ.

Præterea, si dicas naturam exemisse à contrarijs cœlum, nonne asseris naturam fecisse cœlum? & nomine naturæ intelligis Deum? hinc colligere erit cœlum esse factum. si factum, cur ait cœlum exemptum à contrarijs, vt foret ingenerabile, & incorruptibile?

Videtur igitur Aristoteles, quando dixit Naturam exemisse à contrarijs cœlum locutus exotericè, & non acroamaticè.

Sed noua nos premit difficultas. an enim in libris acroamaticis (Acroamatici sunt libri de cœlo) loquendum fuit exotericè, cum acroamatica valde differant ab exotericis? Nonne qui iam loquitur ex propria sententia, iam ex sententia populari præbet occasionem errandi? Cum præsertim Aristoteles non dicat quosdam dicere Naturam exemisse à contrarijs cœlum, sed asserat ipse: Naturam exemisse cœlum à contrarijs.

Videant Peripatetici qua ratione sit defendendus Præceptor, nec tam tenaces sint omnium eorum, quæ protulit Aristoteles, quandoquidem tantus philosophus, qualis fuit Iustinus, tam vehementer ipsum oppugnauit.

Perpendant, & illud quod obijcitur à S. Iustino ex primo de cœlo: Necessũ est esse aliquod corpus simplex, quod aptum quidem sit circulari motu sua pte natura ferri.

Si aptum natum est cælum ferri in orbem, cur indiget externo motore? Frustra est illa potentia, quæ non reducitur in actum. Cui bono propensio ad motum in cælo, si se ipsam in actum reducere non potest?

Quid quod XII. Metaph. videtur omnia euertere, quæ tractantur in VIII. physic. nam si intelligentia mouet vt amata, non mouet vt physicus motor. quin necesse est orbem cælestem amare, & amando sese mouere. quod amat intelligit. Ergò mente, & intelligentia sibi insita præditum est cælum.

Atq. adeò in seipso habet principium physicum, proprium, intrinsecum sui motus, nec mouetur à motore extrinseco. quod dicitur argumentando ex verbis Aristotelis.

De quadam repugnantia, quam tribuit Platoni loquenti in Timæo S. Iustinus. perpenditur generica diuisio Entis secundum Platonem. Cap. CXVI.

R*Epugnantiæ accusat Platonem S. Iustinus prolatis verbis ex Timæo, quibus nihil decantatius. Dij Deorum, quorum opifex ego:* quia generati estis, immortales quidem, & indissolubiles non estis: nec tamen vnquam dissoluemini nec mortis fatum subibitis, cum mea voluntas sit vobis pro vinculo, nexuq. validissimo.

Protulerat antea verba Platonis dicentis: equidem ante omnia disserendum censeo, quid sit ens sempiternum, ingenitum, & quid quod gignitur quidem, est tamen nunquam; illud intellectu per rationis indagi-

nem

nem percipi poteſt cum ſemper ſit idem: hoc opinione per irrationalem ſenſum attingi, cum gignatur, & intereat, ſit tamen nunquam. *Quicquid gignitur, interit.*

Omnia præter Deum, qui eſt prima cauſa, genita ſunt. Ergò etiam dij conditi à ſummo Deo intereunt: nec potuit eis immortalitatem, & incorruptibilitatem polliceri conditor.

Nam quod conditur, conditur ex materia ab Opifice ſecundum Platonicos. in materiam autem poteſtatem non habet opifex, quia ipſa æquæua opifici poteſt ei repugnare, nec poteſt cogi.

Quibus poſitis ait S. Iuſtinus Platonem non potuiſſe ἐκφυγεῖν τῆς ψευδολογίας ἔγκλημα, effugere crimen mendacij. *nam qui* ἐναντία ἑαυτῷ εἰσάγει, *qui inducit ſibi ipſi repugnantia* ψευδολόγος *mendax deprehenditur.*

Quam Platonis contradictionem tranſcripſit Stephanus Gobarus apud Photium in Bibliotheca num. CCXXXII. nam primum hæc ponit.

Omne generatum corruptibile eſt, & mortale, voluntate verò Dei manet inſolubile ἄλυτον καὶ ἄφθαρτον *& incorruptibile. Et è contrario: natura corruptibile* ἄφθαρτον *(ſic malo quam quomodo vertit Schotus corruptum) non poteſt eſſe incorruptibile* βουλήσει θεοῦ*: Dei voluntate. Contraria etiam (ſic ſubijcit Stephanus) docet hoc aſſerens,* καὶ ἀδύνατα impoſſibilia *(Schotus vertit impoſſibilitatem)* χαρίζεται τῷ δημιουργῷ conditori tribuit.

Mox proſequuntur verba Platonis ex S. Iuſtino, adducit Photius confirmans argumentationem S. Iuſtini: ij quidem

dem Martyr Platonicum arguens sophisma ostendit Platonem creatorem inducere ἐναντία λέγοντα ἑαυτῷ sibi ipsi repugnare. vel enim necesse est omne generatum corruptibile esse secundum priorem definitionem vel eum dicendo omne generatum corruptibile esse ψεύδεσθαι mentiri.

De verbis eiusdem Platonis disserit S. Cyrillus Alexandrinus lib. II. contr. Iulianum. nam Iulianus ausus fuerat Mosaicæ narrationi de creatione opponere Platonicam, ac si melior foret. non tamen prolata sunt illic, quæ proferuntur à S. Iustino, quod Ens vel est sempiternum, vel genitum, & quod solum sempiternum intelligitur, genitum verò non, cum nusquam sit.

Ad rem ipsam autem pronunciat S. Cyrillus, & inquit immortale quidem, vel insolubile nihil: voluntas autem Dei vnicuiq; creaturæ est natura.

Platonis interpretes, dum perpendunt illam diuisionem Entis in id quod semper est carens generatione, & id quod gignitur neq. est vnquam, aiunt Deum, intelligibiliaq. omnia semper esse, principioq. carere, & ex ipsis reliqua pendere: mundum verò sensiliaq. cuncta principio aliquo constare, vereq. non esse, si cum illorum essentia conferantur. itaq; primum potissimumq. rerum omnium principium, vnicum, & ratione comprehensum, ac æternum Deum esse: secundum verò in sensum cadens, à primo illo productum esse totius mundi vniuersitatem. talemq. à Platone distinctionem factam esse etiam in Parmenide, cum ens vnum æternum, immobile, indiuisibile, infinitum, cunctorumq. principium hoc est Deum, & Ideam in illo sitam posuit,

alte-

alterum autem vere non ens, mutationibus obnoxium, finitum, mobileq. adiunxit, id est inferiorem hanc materiam rerum corporearum.

Obijcies nihilominus mundum ipsum materiam, ac formam nunquam desijsse esse, imò secundum aliquos Platonicos factum non esse. Cur igitur sic diuidit ens Plato, vt quoddam sit, quod sit ingenitum, nullo constans principio, aliud autem genitum nunquamq. sit?

Responsio admodum difficilis. dicunt nihilominus scholæ Platonicæ sectatores comparatione facta cum prima causa cætera dici non esse, cum absq. comparatione præstantior sit prima causa ijs, quæ ab ipsa pendent.

Quod vero aliqui dicunt mundum secundum Platonem non esse factum, id verò quomodo connecti possit cum diuisione prolata ex Platone difficile est docere. Deus enim solus ingenitus dicitur, cætera genita, atq. adeò corruptibilia Nisi ergò mira fingere velimus secundum Platonem, videtur prorsus esse dicendum mundum esse factum, atq. adeò sua natura esse corruptibilem, licet non sit corrumpendus ob Dei voluntatem conseruantis ipsum. soluenda tamen adhuc sunt obiecta S. Iustini de materia ingenita, & Deo æqua atq. adeò non obnoxia Dei potestati.

Viderit etiam Sallustius philosophus cap. VII. cur mundum ingenitum, & incorruptibilem dixerit sicq. ratiocinatur: ἐι γὰρ μὴ φθείρεται, ὀυδὲ γέγονεν. ἐπειδὴ πᾶν τὸ γινόμενον φθείρεται. si non interit, neq. conditus est; cum omne, quod interit, conditum sit, & tamen mox subiungit per Dei bonitatem θεοῦ ἀγαθότητα mundum esse. si Dei bonitas causa est mundi, mundus factus est

cur ergò illum paulò antea appellauit ingenitum, cum præsertim dicat de Deo: si meliorem (*mundum efficiet corruptoprior*) impotens fuit (*Deus*) qui ab initio non produxit quod præstantius est?

Quæ prolata ex Sallustio, videntur addere robur argumentationi S. Iustini, qua conatur Platonem ψευδολογίας *falsæ sententiæ arguere, & repugnantiæ.*

Cum porrò ostendat in suis scriptis S. Iustinus adeò sibi esse notum familiaremq. Platonem, & ipse in prima Apol. dicat modestè loquendo se delectatum fuisse, antequam Christianus fieret, Platonica philosophia, non debuit dicere Sixtus Senensis Iustinum fuisse Stoicæ sectæ addictum, nec enim id reperitur in secunda Apologia, vt putat Seuensis.

Perpenduntur adhuc verba Platonis: *Dij Deorum, quorum ego opifex* prolata à S. Iustino. Cap. CXVII.

Q*Voniam millies repetita sunt verba Platonis:* Dij Deorum quorum opifex ego, & pater hæc attendite, *etsi iam aliquid ad ipsa ex S. Iustino annotatum fuerit, lubet tamen adhuc quædam depromere, cum præsertim summus Deus iubeat minores Deos in hunc modum:* Accedite vos ad animalium generationem.

Prolixè omnia explicat Proclus in commentario, vbi conatur ostendere cur immortales sint Dij mundani (θεοὶ ἐγκόσμιοι) *nempe quia manarunt ab vnitate* δημιουργικῆ, *quoniam prima causa simplicissima est, & prorsus immortalis*

talis. hinc fit, vt quæcumq. ipse condit per se, & immediatè eis conferat vinculum suæ substantiæ tale, quod à nullo possit rumpi, & dissolui, nisi ab eo, qui nexuit, hinc immortalitatem Deorum mundanorum, hoc est mundi colligit Proclus. nam quod colligatum est à δημιουργῷ, id non potest solui, nisi ab eo. παντὶ μὲν ἄλλῳ λύειν τὸ πᾶν ἀδύνατον. μόνος γὰρ ὁ πατὴρ δύναται λύειν: solus autem pater potest soluere.

Sed subijcit Proclus, quod mirabile est, impossibile esse à Patre solui vniuersum, quod reijceret S. Iustinus. Cum enim Pater cum sit liberum agens non possit soluere, quod colligauit? liberè condidit mundum, liberè etiam posset eum in nihilum soluere.

Sed obijcit Proclus: qui colligat bonus est. Ergò qui soluit malus. κακοῦ γὰρ τὸ λύειν. Sed Pater bonus est. Non igitur potest soluere mundum. hinc S. Paulus: Deus seipsum negare non potest.

Respondere nihilominus licet, Deum quia liberum agens est, posse destruere quod construxit, nam non est absolute bonus mundus, sed pendet à nutu Dei. qui autem liberè agit, vt liberè fecit mundum, cum liceret sibi non ipsum condere, eadem libertate vsus posset eum dissoluere.

Quædam autem prorsus repugnant naturæ diuinæ, vt mentiri, seipsum negare, deq. illis rectè dicitur, quod à Deo procul absint.

Quid verò dicendum de Deo iubête minores Deos facere animalia? si propriè explicentur, sunt reijcienda. nam secundum Mosaicam narrationem Deus fecit omnia, neq. iussit Angelos facere hominem, & animalia. reijcimus etiam differentiam illam inter summum Deum, & minores Deos

Con-

Condidit quidem Angelos, sed ipsi nequaquam dij sunt.

Commodum tamen sensum aliqui tribuere conantur verbis Platonis, dum aiunt, quod quæcumq. Deus facit, voluntate sua, & nutu quasi verbo quodam facit, vnde aiunt intelligi primam causam immobilem semper manere, leuissimoq. quasi nutu inferioribus imperare, secundas verò motu, & impulsu prioris incitatas inferiora gignere. velut in mundo Deus, siue primus motor, voluntate sua cælum mouet: cælum autem, vt pote secunda causa motu suo inferiorem naturam procreat, ac sustentat, vnde prima causa cum firma, & immobilis maneat, firmas quoq. ac stabiles res efficit, secunda vero quia motu suo cuncta gignit, infirmas, & inconstantes.

Sic illi conantur ad bonum sensum deducere Platonis verba, nam si quis illa propriè vtq. sonant accipiat, iam diximus nequaquam Angelos fecisse hominem, aut animalia.

S. Cyrillus lib. II. contr. Iulian. quia videt apud Platonem Deum alloqui Deos Iuniores, qui Dij Iuniores secundum eundem Platonem sunt sidera, non permittit mundum esse ratione præditum, quicquid dixerint etiam Stoici. non fert, inquam, S. Cyrillus Deum propriè alloqui mundum siue mundanas causas, tanquam intelligentia, & anima præditas, vt iussa, & propriè exaudientes Dei summi vocem, deinceps faciant hominem, & alia animalia.

Iam, *inquit S. Cyrillus*, quod cœlum hoc est mundus, planè non sit animal, neq. animatum omninò, etiam absq. alijs, quos sapientes vocant, ad reprehendendum sufficit Aristoteles qui dixit neq. animatum totum mundum, neq. rationalem neq. mentalem.

Hinc

Hinc colligit S. Cyrillus Deum nequaquam dixisse quod aliquid formare debeant.

Al qui tamen putarunt mundum esse animatum secundum Aristotelem, sed male. primus quidem motor, & intelligentiæ rationales sunt, sed hinc non est colligendum dixisse Aristotelem mundum esse animatum. nam nomine mundi intelligimus corpora quæ mouentur. Sed secundum Aristotelem primus motor, & etiam intelligentiæ immobiles sunt.

Themistius tamen Peripateticus videtur censere elementa esse animata non tamen ait esse rationalia, & aliqui inter recentiores dicunt mundum esse animatum, sed non rationalem.

Philo de mundi incorruptib. ex verbis Platonis: Dij Deorum *colligit mundum esse genitũ, & incorruptibilem, atq; sophisticè à quibusdam verba Platonis accipi, quasi mũdus dicatur genitus, non quod habuerit generationis principium, sed quod si factus est, non aliter quam dictum est confieri potuisse: quandoquidem partes eius generari, & mutari videmus.*

Ipse autem asserit meliorem esse sententiam, quod secundum Platonem mundus sit genitus, quia passim in Timæo Deus pater, opifex, conditor appellatur, mundus autem opus eius, & progenies.

Quod comprobat quoq. testimonio Aristotelis, qui amicus de amico non fuisset mentitus, nec scelus indignum philosopho commisisset. sic ergò Philo confutat eos Platonicos, qui censent mundum esse ingenitum, quos inter fuit responsor in disputatione quæ tribuitur S. Iustino.

De

Vt magis intelligantur verba Platonis prolata à S. Iustino, quæritur, an & quatenus voluntas Dei corporum mundanorum vinculum sit. Cap. CXVIII.

V*Erbis Platonis, quæ protulit S. Iustinus, fas quæso sit adhuc immorari, vt sciamus, quare Deus dixerit Dijs iunioribus, scilicet corporibus mundanis* : mea voluntas vobis est pro vinculo, nexuq. validissimo. *aut vt verba græca habent* : voluntas mea maius præstantiusq. est vinculum ad vitæ custodiam quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati.

Eiusmodi effatum quo βούλησις voluntas Dei dicitur esse δεσμὸς vinculum rerum creatarum, siue Deorum mundanorum videtur habere multiplicem difficultatem.

Nam voluntas Dei est quid extrinsecum, incorporeum, simplicissimum, increatum. qua ratione igitur potest esse vinculum rerum corporearum? vinculum profecto est id, quo duo vel plura nectuntur, & colligantur. quod necesse est, vt sit eiusdem, aut non prorsus absimilis naturæ cum ijs, quæ debent connecti, oporteтq. vt cum ipsis habeat proportionem, & affinitatem aliquam. hinc colligere est vinculum, quo colligata sunt sidera, & corpora cœlestia esse corporeum, illorumq. partes intimè tangere, & apprehendere, alioqui vinculi munere nequaquam posset fungi.

Quod ergo assumitur ad describendum nexum Deorum iuniorum, id remoueri debet a voluntate Dei. Quid enim

est voluntas Dei, nisi Deus ipse?

Si dicas, Dei voluntatem esse nexum rerum corporearum, quia eas destruere non vult, hoc non videtur sufficere, nã non propterea quia Architectus domum à se constructam non demolitur eius voluntas est causa cur conseruetur. quin opus est vt habeat interna principia suæ durationis. Certè qui construxit Amphitheatrum Romanum, quod hodie aliqua ex parte superest, multis abhinc seculis obijt, moles tamen amphitheatralis non ideò concidit, & interijt.

Philo in libro de mundi incorruptibilitate multis argumentis satagit ostendere mundum habere interna principia suæ perennitatis; ait namq. esse expertem senij, nam mundus insuperabili robore præditus partes suas mouet, ipse a nulla earum mobilis.

Mundus secundum Platonem semper fuit, licet factus sit à Deo, ergo non potest corrumpi. nam quod non cœpit esse, non potest desinere esse.

Vnde videtur colligendum nequaquam pendere mundum à Dei voluntate. nam si semper fuit non videtur manasse à Dei voluntate, cum videantur hæc inter se stare non posse, semper fuisse, & extitisse Dei voluntate. si mundus non extitit Dei voluntate, eius salus nequaquam videtur ab eadem pendere.

Quænam quæso causa mortem possit inferre Dijs Iunioribus? hinc Philo scribit: Corpora quæ morbis lædi possunt aut senio, caloribus, & frigoribus alijsq. contrarietatibus externè infestantibus subuertuntur: è quibus rebus nullum mundo est periculum, quandoquidem inclusis omnibus, foris nulla relinquitur. quod si vtrq.

aliquid est exterius, omninò inane erit, aut ociosa quædam natura, quæ nec agere, nec pati possit. *hæc ille.*

Respondendum nihilominus est voluntatem Dei non propriè dici vinculum, quand quidem Dij iuniores colligati sunt vinculo cum cōderentur. illud autem vinculum eis absq. dubio satis est, cum Deus perfectum condiderit mundum. quod autem perfectum est, & perfectè compactum non indiget alio nexu connectente. Monstri enim simile esset, si vincula vinculis adderentur.

Verba autem Dei loquentis apud Platonem ostendunt voluntatem suam longè superare sua dignitate vinculum quo colligati sunt Dij iuniores quando facti sunt, quodq. absolute loquendo indigeant magis ad suam perennitatem Dei voluntate quam nexu, quo connexi sunt. Cur ita? Quia cum Deus eos colligauerit, posset dissoluere, vinculumq. rumpere. hinc consequeretur ipsorum interitus. perfecti igitur sunt, & imperfecti. perfecti quidem, quia nisi à superiori agente Deo destruantur, non poterunt vnquam interire, imperfecti, quia non sunt simplicissimi, si non sunt simplicissimi, sed colligati, dissolui possunt ab eo, à quo colligati sunt.

Solus igitur Deus absolutè immortalis, quia simplicissimus. res creatæ ipsaq. corpora cælestia non absolute perennia, quia coagmentata sunt.

Hinc vinculum vocatur voluntas Dei, non quod propriè sit nexus quo cohærent inter se mundana corpora, sed quatenus habet imperium in corpora colligata, & in ipsum nexū, quo cohærent. ita vocari potest plusquam vinculum, & plusquam

quem nexus quod colligere est ex verbis Platonis graecis, quibus voluntas Dei appellatur μείζων δεσμὸς καὶ κυριώτερος, maius, magisq. potens vinculum. quod latiuè fortè quis exprimere posset vocando voluntatem Dei non tam vinculum quam plusquam vinculum, cum vinculum, quo connectuntur corpora mundana, imò sunt, & constant à Dei voluntate sit factum, atq. adeò tolli prorsus queat.

Non interim cum Platone, aut Proclo mundi stabilem statum ex eo petimus, quia semper fuerit. nam secundum veritatem Mosaicam in tempore factus est, nec tamen vnquam interibit, nisi Deus eum destruat.

Obijcies cum Proclo, quod fit in tempore, non potest semper durare. Ergò mundus seipso interibit, vt videmus interire corpora quæ quotidie oriuntur.

Respondendum obiectioni est, mundum nobilissimo quodam modo in tempore conditum tanquam ab agente rationali. hinc perdurabit, nisi Deo aliter visum. alia est ratio corporum nascentium naturali modo, quæ vt nascuntur, sic etiam intereunt.

Accipimus autem argumentationem Plutarchi contendentis mundum si conditus est voluntate Dei, non posse semper esse, accipimus, inquam, nos Christiani eiusmodi rationem, quandoquidem dicimus non semper fuisse mundum. licet plerique Platonici asserant mundum esse factum, & genitum, quia prouenit à prima, & aeterna causa. sic enim disserit etiam Foxius contra Plutarchum, & Seuerum, & Atticum comment. in Timaeum.

Quod si modus, quo diximus, voluntatem Dei esse vinculum mundanorum corporum non satisfaciat, asserere licebit

bit Dei voluntatem esse vinculum mundi, quandoquidem ipsum conseruat, cum præsertim non desint, qui dicant conseruationem tantum ratione differre à creatione, qua de re videnda sunt, quæ traduntur à Theologis.

Quid de anima genita, vel ingenita secundum Platonem, imò de mundo vel genito vel ingenito nonnulli protulerint, vt repugnantiæ nodum tollerent. Cap. CXIX.

Contradictionem de mundo corruptibili, & incorruptibili, genito, & ingenito obiectam à S. Iustino Platoni, & aliquatenus tactam suo loco ex Plutarcho quoq. licet sic munire ex verbis in Phædro: omnis anima est immortalis, quia semper mouetur, est alijs principium mouendi ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. principium autem est ingenitum. *ex ipso namq. necesse est oriri, quicquid fit,* αὐτὴ μὴ δ' ἐξ ἑνός: ipsum autem ex nullo. *tandem colligit,* quod si ita est vt non sit aliud quicquam, quod seipsum moueat præter animam ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη: necesse est, vt sit ingenita, & immortalis anima.

Quid disertius fieri potest? nonne absolutè pronunciat animam esse ingenitam, & carere initio, & motum præbere omnibus, ipsi quoq. cœlo, quod in se inanime foret atq. immotum nisi motum acciperet ab anima tanquam intrinseco principio, non extrinseco, vt videtur voluisse Aristoteles in VIII. physic.

Adde

Adde in diuisione illa generica entis apud Platonem ens vel esse ingenitum, quod semper est, vel genitum, quod interit, & quodammodo nusquam est; quis autem non videt animam cum semper fuerit, semperq. sit debere referri ad prius membrum diuisionis, atq. adeo esse ingenitam? nam posterius membrum diuisionis videtur satis clarè complecti ea, quæ absolute θνητὰ sunt, à secundis causis prolata multiplici operatione, non ἄνευ δημιουργικῆς, quęq. oriuntur in tempore, & occidunt, ut rursus alia nascantur.

Cum autem Plato ex eo colligat animam esse immortalem & interitus expertem, quia ingenita est, doceatq. immortalia esse corpora cælestia, quæ ipse appellat θεοὺς ἐγκοσμίους, inde colligendum erit mundum ess. ingenitum. Nec enim occidunt sidera. si non occidunt, vt res ipsa testatur, erunt ingenita.

At Totius Deus appellatur pater, opifex, & in Timæo disertis verbis agitur de animæ generatione, dum inquit Plato, animā à Deo ante corpus procreatam, his etiam utens verbis: opifex, tam generatione, quam virtute priorem, antiquioremq. anima corpore constituit, vtpote quæ obedienti corpori esset imperatura. *deinceps sigillatim describit, quomodo animam condiderit.*

Nonne hæc magis ac magis repugnantiam Platonicam detegunt? hinc ipse Foxius Comment. in Tim. p. 112. hæc protulit: partim æternam vocat animam Plato, & ingenitam, partim verò genitam. *fatetur deinde à D. Augustino lib. X. de CD. reprehensos Platonicos, quod animam æquè æternam cum Deo faciant. mox subijcit, Platonem*

tem dicere animum esse æternum, & Platonicos omnes id de ipso asserere, at non tacet genitam animam ab eodem Platone appellari.

Difficultatem quam experimur dum sermo instituitur de anima agnoscit Plato in Timæo, dum fatetur nos multa tanquam μετέχοντας προστυχόντος καὶ εἰκῆ fortuito, aut temerè, & inconsiderate effutire. hinc ait Proclus interpretans Platonem animã nostram ad rerum intelligibilium cognitionem caligare, propter sensuum naturam errantem.

Quæ confessio Platonis videtur omnem certitudinem de eiusmodi dissertatione tollere, atq. adeò ostendere nos non posse habere fidem Platoni caliganti, & cæco tramite incedenti in tantarum rerum peruestigatione. si igitur perplexè locutus est Plato in Timæo, inq. Phædro atq. alibi, magis ac magis videtur muniri obiectio S. Iustini, quod sibi pugnantia protulerit. nam qui non rectè rem aliquam assequitur, vult tamen eam explanare, ferè incidit in scopulos repugnantiæ.

Tentarunt tamen etiam Christiani scriptores eiusmodi nodum soluere, ne sibi contrarius deprehendatur Plato, de quibus quidem solutionibus sentiat sanè quisq. pro iubitu.

Boetius lib. V. de Consol. Philosophiæ prosa VI. sic scribit: Non rectè quidam, qui cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam quod mundo Plato tribuit: aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod diuinæ mentis

tis proprium esse manifestum est.

Deinceps profert verba, quæ profectò in schola Christiana non exiguum negotium facessere videntur: Neq. Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. *An ergò ab æterno factus est mundus? quod videntur etiam dicere voluisse aliqui, qui non ex tempore, sed ab æterno aiunt dici Deum Dominum.*

Videtur nominaliter sed realiter etiam.

Tertullianus dixit ex tempore Deum vocatum Dominum, quia non ab æterno, sed in tempore condidit mundum. [illegible]

Boetius videtur satisfacere difficultati, quam præferunt eius verba, dum postea inquit: Deo est semper præsentarius, ac æternus status: scientia quoq. eius omnem temporis supergressa motionem in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaq. præteriti ac futuri spatia complectens omnia quasi iam gerantur in sua simplici cognitione considerat. *Sic intelligi quoq. potest quatenus dominium, quod Deus habet in res à se creatas æternum sit. Nec enim propterea quia semper omnia veluti præsentia intuitus est Deus dicimus ab æterno conditum fuisse mundum.*

Sed Platonis sententiam de mundo vel condito, vel etiam æterno amplius explanat, quasi excusando Boetius, dum ait ibidem: si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum mundum vero dicamus esse perpetuum.

Bessario in secundo libro pro Platone cap. V. non patitur secundum Platonem dici mundum Deo coæternum, licet

exi-

existimet, & ipse docuisse Platonem mundum semper fuisse, & esse æternum. plurimum, *inquit,* inter æternum causans, & æternum causatum. *deinceps vulgaribus exemplis vtens ait:* si vestigium pedis æternum foret non tamen coæternum cum pede vestigium diceretur.

Et paulo ante docuit maximè differre æternum illud quod omnem simul infinitudinem entis comprehendit, qualem Plato statuit Deum, ab eo æterno, quod suum esse non absolute sed cum fluxu generationis connexum habet, & vt perpetuum esse possit, aliunde acquirit, qualis, Platonis sententia, est mundus.

e. de cœl. tex. 123. *Obiecit quidem Aristoteles in libris de Cœlo id quod semper est, non posse dici genitum τὸ ἀΐδιον οὐ γεννητόν. & tex. CXII. supponit genitum dici, si quod non erat prius, posterius fit, aut si generatio ipsius fit ex eo, quod non est. Sed debebat meminisse motum in sua schola semper fuisse ob æternitatem motoris, & tamen motus prouenit à motore, & est causatus à Motore. Ergò non repugnat aliquid semper fuisse, & tamen habere causam.*

Nonne secundum ipsum sol est ingenitus? absq. dubio. si sol semper fuit, & fieri non potest vt non habeat semper comites radios, comitemq. splendorem sol, dicere est semper fuisse splendorem solis, cum tamen fluat à sole.

Alij qui, vt Bessario aduersus Aristotelem protulerunt, quod materia sit æterna secundum Peripatum, & tamen Deus sit causa materiæ. sed nescio an hæc obiectio solida sit cum secundum Aristotelem materia sit ingenita, neq. eius causa sit Deus. longè melior est ratio, quam construximus de motu

cæli

cæli, qui motus semper fuit, et tamen habet causam primum motorem.

Superest tamen adhuc difficultas ex Phædro, vbi anima dicitur ingenita. nam quod ingenitum est causam nullam habet. Cur ergò in Timæo multis verbis animæ generationem enarrat Plato?

Plutarchus, vt suo loco tradidimus, dixit ingenitam dici animam in Phædro, quod motrix esset inordinata, & inordinatè moueret mundum, Deum autem prorsus non esse causam animæ inordinatæ: sed dici genitam, quod motu ordinato Deus eam donauerit. Anima igitur vt substantia inordinata non habet Deum causam, sed vt ordinata, & secundum ordinem. in quam rem proferuntur verba ex ipso Platone: cum omne quod visibile recepisset minimè tranquillum, sed inordinato quodam, & tumultuario motu agitatum, ad ordinem ex inordinatione redegit.

Nonne hæc verba indicare videntur non essentiam rerum atq. naturam esse à Deo conditam, sed ordinem duntaxat, atq. ornatum datum à Deo rebus: atq. adeò in tempore non ab æterno mundum esse factum, nec dici debere æternum, nisi ratione materiæ, animæq. inordinatæ?

Huic argumentationi ferè visus est dare manus Foxius & cedere ijs, quæ Plutarchus habet toto libello de Animæ procreatione, quæ tamen si vera forent in schola Platonis, tota eius doctrina satis disertè exposita in Timæo subuerteretur.

Sed audiamus Foxium non admodum Platonicè, vt videtur, loquentem: subiectum ipsum, & essentia mundi

æterna est, & initio quasi rudis deformisq. fuit: postea tamen cum à Deo est in ordinem redacta, informataq. generata esse dicitur, quo fit, vt nihil aliud sit mundum generari quam formam denuò ordinemq. accipere. nam ante factum cœlum substantia vniuersi erat, licet inculta, & inordinata: tempus quoq. minimè distinctum, determinatumq. tunc extabat. Generato verò mundo; & tempus vna cum cœlo est ordinatum, & motu eius distinctum.

Quæ sententia videtur etiam fuisse Philonis in libro de Opif. Dei, dum scribit: si quis causam, quare vniuersum hoc creatum sit, velit exquirere, non errabit, si dexi. stimabit quod quidam ex veteribus protulit, bonum esse creatorem. Erat sua ipsius natura inordinata, informis, inanimata, varia, incongrua, inconcinna. *Addit* Creatorem substantiã inordinatã in ordinem formasse.

Vbi tamen in eo contradicit Plutarcho, dum ait substantiam illã inordinatam, fuisse expertem animæ. putat namq. Plutarchus animatam fuisse, sed motu inordinato, citatq. Phædrum, in quo anima dicitur ingenita.

Nonne autem eis hoc impropriẽtatem impingere Platoni, quasi anima dicatur tunc genita, quando donata est ordinato motu? nam gigni est produci non ordinari.

Quod si quis Platonem loquentem de Deo redigente inordinationem ad ordinem ad sensum ipsi, vt apparet, magis conuenientem reducere velit, forte dicet cum Bessarione non accipienda verba prout sonant, sed explicanda sic, vt sciamus voluisse Platonem in re tam remota ab humanis sensibus, loqui modo humanis auribus conueniente. nam & Moyses

ses nostræ imbecillitati aliquid tribuit, quando creationem rerum enarrauit.

Quod verò in Phædro animam ingenitam appellauit, quodq. diuisio illa Entis Platonis in Timæo videtur significare mundum secundum Platonem debere dici ingenitum, id forte ita exponendum fuerit, vt sciamus Platonem quandoq. vocaße ingenitum, quod semper fuit, neq. oritur in tempore, vt animam mundi, & mundum distinguat ab ijs rebus, quæ prorsus mortales sunt, & caducæ quæq. dicuntur condi à Dijs iunioribus, & quotidie oriri, & interire.

Quam explicationem consentaneam esse scholæ Platonicæ ex eo discere fortaße licet, quia in Phædro docet animam non habere principium, neq. cœpisse moueri, sed semper habuisse suum motum: ne eam facias caducam, vt caducæ sunt res quas nos ipsi videmus habere ortum sui motus, & eundem intra certum temporis spatium amittere. hinc dixit in diuisione Entis generica, illa, quæ genita sunt, nusquam esse. Cur ita? quia si consideres æternitatem, & cum ea conferas breuem durationem rerum caducarum videntur nunquam nusquam esse.

A censu tantum rerum caducarum excluduntur illa, quæ ab Opifice ipso vna simpliciq. operatione genita sunt, quæ cum semper fuerint, nunquamq. occidant, quandoq. ingenita à Platone appellata sunt, quod maximè distent ab ijs rebus, quæ in tempore gignuntur, & intra certum temporis spatium intereunt.

Sic anima, & mundus collata cum Opifice, quamuis semper fuerint secundum Platonem, dicuntur genita, si autem conferantur cum ijs, quæ manant à secundis causis, quas

Deos iuniores dixit Plato, ingeniti vocantur, quod nullum fuerit tempus, quando non erant, in schola quidem Platonis.

Quibus si quis nolit acquiescere, recipiat sane sese ad S. Iustinum, & cõtendat nõ prorsus inter se cohærere dicta Platonis, quando quidem ipse fatetur in eiusmodi rebus adeò difficilibus fieri, vt aliqua fortuito, & non prorsus considerate proferantur.

De argumentatione S. Iustini, qua colligit Aristotelem docuisse animam esse mortalem. de ἐντελεχείᾳ non pauca proferuntur. Cap. CXX.

PErpendenda est argumentatio S. Iustini, qua colligit Aristotelem docuisse animam esse mortalem, non esse immortalem, quia scilicet dixit eam esse ἐντελέχειαν.

Ἐντελέχεια est forma, quæ cum materia constituit compositum. Ex physicis autem eiusdem Aristotelis constat ipsum docere formam esse inseparabilem, & ex Metaph. formam quatenus est in composito esse fere vt accidens est, quod interit intereunte composito.

Cum igitur, anima sit forma corporis, intereunte composito, & ipsam interire necesse est secundum Aristotelem. Nonne enim anima in brutis est forma, siue ἐντελέχεια secundum Aristotelem? Atqui eiusmodi forma perit, pereunte bruto. Certè Aristoteles passim ἐντελέχειαν opponit δύναμει siue potentiæ, & pro ἐντελεχείᾳ solet etiam dicere ἐνέργεια. Actus autem nullus est rei quæ perit. Adscribamus aliquot locos ex libris de Anima Aristotelicis. lib. II. cap. V. tex.

LII.

LVII. Salus magis eius quod est potentia ab eo quod est ἐντελεχεία actu, & simili sic, vt potentia se habet ad actum ὡς δύναμις ἔχει πρὸς ἐντελέχειαν. speculans enim fit habet scientiam. & in actum εἰς ἐντελέχειαν aut alterum genus alterationis est. *Aristoteles comparat animam scientiæ. sed scientia interit intereunte composito. scientia autem est ἐντελέχεια πρώτη speculatio est ἐνέργεια & ἐντελέχεια δευτέρα, secundus actus.*

Tex. LV. ait diuidendum de potentia & actu, περὶ δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας.

Tex. LIV. vtitur vocabulo ἐνεργείας, *& id opponit* δυνάμει, *quamuis quod sciam Aristoteles nunquam actum primum appellauerit* ἐνέργειαν. *dicit autem motum esse actum* ἐνέργειαν, *quamuis sit imperfectus. Mox subiungit*: omnia patiuntur, & mouentur ὑπὸ τοῦ ποιητικοῦ καὶ ἐνεργείᾳ ὄντος, ab actiuo, & actu existente. *vbi illud* actu ἐνεργείᾳ *existere idem prorsus est, quod* ἐντελεχείᾳ εἶναι. *atq. ita* ἐνέργειαν *videtur accipere Aristoteles pro actu primo, quod tamen in reliquis videtur vitasse. Neq. enim diceret ipse animam esse* ἐνέργειαν πρώτην *primum actum. Cur ita? quia* ἐνέργεια *est vocabulum valde receptum apud alios quoq. scriptores, nec tamen vnquam aliter accipitur quam pro operatione.* ἐντελέχειαν *autem Aristoteles à se confictam ausus est transferre ad significandam formam, quæ est* ἐντελέχεια πρώτη. *quod igitur trito vocabulo non tribuit, tribuit suo, quia minus poterat deprehendi nouitas insolens significationis in nomine à se constructo.*

Tex. LXIX. eiusdem libri II. de anima: lumen est actus (ἐνέργεια) perspicui, vt perspicuum est. *mox*

ait

ait lumen esse actu ἐντελέχεια perspicuum ab igne. *vides promiscuè hic accipi ἐνέργειαν & ἐντελέχειαν, quia agitur de operatione, cum lumen intelligi nequeat absq. illuminatione.*

Quod si lumen est qualitas secundum Peripateticos, & qualitas accidens est, accidentis autem esse est inesse, nemo non videt sublato perspicuo corpore tolli etiam lumen siue ἐντελέχειαν hoc est actum ipsius perspicui. igitur apud Aristotelem ἐντελέχεια est inseparabilis.

Sed aduersus argumentationem S. Iustini regerere licet.

Nam Cicero apud Aristotelem legit ἐνδελέχειαν, quod significat perennem quandam, & continuatam motionem. si anima est perennis & continuata motio, immortalis dicenda est secundum Aristotelem. verba Ciceronis sunt in primo Tusculanarum quæstionum: quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐνδελέχειαν appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem, & perennem.

Accedit, quod Deus alicubi ab Aristotele ἐντελέχεια dicitur. Cur igitur non voluit dicere animam esse immortalem appellando entelechειan? XII. Metaph. cap. VIII. sic scribit Aristoteles: ipsum verò quid erat esse primum non habet materiam, cum actus sit ἐντελέχεια γάρ. *cap. VII. tribuit Deo vitam sempiternam, æuumq. continuum. & eodem capite inquit,* πρώτην οὐσίαν primam substantiam esse κατ' ἐνέργειαν secundum actum.

In III. de anima agnoscit in Mente aliquid immortale, & separabile. igitur anima humana immortalis est.

O.ihr-

Occurrere tamen licet his ut S. Iustinus frustra videatur architectatus talem argumentationem. Nam lectio illa Tulliana prorsus reijcienda. An enim Aristoteles unquam vocauit cælum ἐνδελέχειαν cum præditum sit perenni latione? Nonne omnis anima in genere apud Aristotelem habet nomen ἐντελεχείας? An animæ plantæ tribues perennem lationem? Audiamus Aristotelem in secundo de Anima tex. XXXVII. ipsum autem viuere viuentibus est esse, causa autem & principium horum anima. amplius autem actus eius quod potentia est, ratio est. *vbi vtitur nomine ἐντελεχείας. lumen est actus ἐντελέχεια perspicui. An tribues perennem motionem, & continuatam lumini? nequaquam. incredibile autem est, cum toties vtatur Aristoteles nomine ἐντελεχείας in suis operibus, & hodie legatur sic, non autem vt Cicero legit, quod in in omnibus suis deprauata sit lectio.*

Quod obijcitur Deum appellatum ἐντελέχειαν de eo certant interpretes, qua de re ad exercitationes Scaligeri scripsi dico interim, si Aristoteles vocauit Deum ἐντελέχειαν vocasse ideo, quia ipsius substantia est purus actus, & est sua operatio, quod dici de anima non potest. Nec fas est Ciceroni secundum Aristotelem tribuere Deo perennem motionem, cum immobilis sit Deus, secundum eundem Aristotelem, qui cum in libris de Anima contenderit aduersus Platonem ostendere animam esse immobilem, plane ostendit in sua schola non posse cum Cicerone vocari animam ἐνδελέχειαν, quasi continuata, & perenni motione foret prædita.

Obiter autem dixerim me nescire an a l ... uerdum argumentum Platonis quo vult ostendere animam ... a

ipsa

ipsa mouet corpus, sufficiat dicere pulchritudinem mouere, licet sit immobilis, nam pulchritudo mouet vt amata, non vt physicum agens. anima autem mouet physicè corpus.

Ad III. quod obijciebatur, dico me iam nolle disputare de intellectu Agente, ne prolixus minus euadam. Tantum innuo iam notum esse, quid Alexander, quid Themistius, & ipse Auerroes de intellectu agente tradiderint, de quorum etiam expositione hic altercari nihil attinet.

Hoc non omitto, vt obseruem absq. dubio diligenter S. Iustinum considerasse ea, quæ traduntur ab Aristotele in tertio de anima, & tamen pronunciasse ipsum ideò videri docuisse animam esse mortalem, quia eam entelechian appellauit.

Non pauca alia de Entelechia Aristotelica; de qua præcedenti capite prolata est argumentatio S. Iustini, depromuntur. Cap. CXXI.

SI S. Iustinus perpendendo sententiam Aristotelis, quia vocat animam ἐντελέχειαν collegit eum putasse esse mortalem, vt præcedente capite exposuimus, liceat quoq. nobis magis ac magis excutere definitionem animæ traditam in secundo de anima tex. VI. his verbis: Anima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. *aduersus quam insurgunt omnes hæ difficultates.*

Cur enim vt definiret animam hoc est clarissime doceret quid ipsa sit, excogitauit, & finxit ipse nouum vocabulum cuius significatum necesse est esse obscurum. Certè suspectus est,

est, quisquis non potest indicare, quid de re aliqua sentiat verbis communi vsu comprobatis.

Cicero profectò licet esset græcè doctissimus, non potuit intelligere, quid sit ἐντελέχεια. *hinc eam in* ἐνδελέχειαν *mutauit, vt nosset quid sibi vellet Aristoteles. Sed deceptus est eiusmodi immutatione, vt præcedente capite ostendimus.*

Vocabulum ἐντελέχεια *apud ipsum est valde ambiguum nam iam significat substantiam tex. 4. in II. de anima* ἡ οὐσία ἐντελέχεια substantia est actus, huiusmodi igitur corporis actus. *En tibi* ἐντελέχειαν *in prædicamento substantiæ. at alibi, vt in tex. 58. vtitur hoc modo loquendi:* εἰς ἐντελέχειαν ἄγον ἐκ δυνάμει ὄντος: in actū ducens ex potentia existente.

Quem duplicem significatum exposuit ipse tex. V. dum dixit ἐντελέχειαν *dici dupliciter, vel vt scientiam, vel vt speculari.*

In tex. autem 69. lumen appellat ἐντελέχειαν *lumen autem qualitas est. hinc discere est Aristotelem multos significatus indere vocabulo à se constructo. qua quæso auctoritate? Etenim si cupit intelligi, debet indicare verbis receptis quid sibi velit. quod si fas vnicuiq. sit architectari noua vocabula, eaq. valde homonyma, tolletur commercium inter homines.*

Mirabile porrò est idem vocabulum transferri ad significanda illa, quæ sunt in tribus diuersis prædicamentis, in prædicamentis scilicet substantiæ, qualitatis, & actionis. Cui nescio an in linguis simile possit reperiri exemplum.

Magnum autem coacti sunt exantlare laborem, qui latinè voluerunt explicare ἐντελέχειαν *Aristotelicam, quæ dif-*

ficultas manauit ex nouitate vocabuli.

Aliqui non verterunt latine, cum nescirent, quale esset vocabulum, sed simpliciter retinuerunt græcum. sic apud eos qui verterũt Aristotelem apud Auerroem legimus in II. de an. tex. II. est autem materia quidem potentia, species autem entelechia *alter Interpres eidem scripsit:* est autem materia quidem potẽtia, species verò entelechia.

Hoc verò non est vertere, sed fateri se nescire, quid significare voluerit Aristoteles nomine entelechiæ. nonne autem se propinaret videndum, qui volens vertere narrationem Mosis de creatione, sic inciperet: in principio creauit Elohim cœlum? *nam lector imperitus linguæ Hebraicæ nesciret quid sit Elohim.*

Alij entelechian reddiderunt perfectionem, vt est videre apud Auerroem: & materia est illa, quæ est in potentia, forma autem est perfectio.

Sic materia repellitur à perfectione, cum tamen materia secundum Aristotelem sit substantia, & ex ipsa vna cum forma fiat tertium, nimirum perfecta, & completa substantia. per materiã tanquam partem alteram completur substantia. Ergo etiam ipsa perfectio potest appellari.

Alij omisso perfectionis vocabulo actum vocauerunt ἐντελέχειαν. imò iidem interpretes apud Auerroem, quod paulò ante appellauerant entelechian, mox vocauerunt actum tex. III. Qui autem verterat tex. II. perfectionem, idem vocabulum retinuit in tex. 3.

Velim autem scire, vnde acceperint vocabulum actus, vt verterent entelechian? Actus certè apud latinos nunquam significauit aut substantiam, aut qualitatem, sed sem-

semper significat, id quod est in prædicamento actionis. Ergò valde abutitur vocabulo actus, qui eo significat aliquid, quod est in prædicamento substantiæ, vel qualitatis, nam quis latinè loquens vnquam dixit anima est actus, aut lux est actus? superiora secula quadringentis abhinc annis, tales locutiones nobis pepererunt.

Actus rectè exprimeret ἐνέργειαν. *cur ergo Aristoteles non dixit animam esse* ἐνέργειαν? *sed hoc non potuit dicere, quia apud græcè loquentes non potuisset torquere id vocabulum ad significandam substantiam: ridendumq. se præbuisset, si asseruisset animam esse* ἐνέργειαν πρώτην. *& tamen in XII. Metaph. intelligentias appellauit* ἐνεργείας, *quæ intelligentiæ sunt substantiæ. quid igitur impediuit quo minus animam vocaret* ἐνέργειαν πρώτην? *Cur etiam formam nunquam est ausus appellare* ἐνέργειαν, *si intelligentias, quæ substantiæ sunt* ἐνεργείας *appellauit? qui autem audit Mentes motrices appellatas* ἐνεργείας *quomodo id dicet latinè? formas vocabit. Ergò forma quælibet quæ cum materia cōstituit compositum poterit sic dici. Cur ergò Aristoteles formam nunquam dixit* ἐνέργειαν? *quia norat græcè loquentes valde procul abesse, vt substantiæ tribuant vocabulum* ἐνεργείας.

Sed cur Aristoteles non posuit in definitione animæ δύναμιν, *potentiam? cum audiuerimus ipsum alicubi sic loqui vt dicat* ἄγειν ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν deducere a potentia in operationem. *nonne qui incipit loqui, cum non loqueretur, exit a potentia in actum? Ita est. at locutio est actus prouenìens ab anima. Igitur rectè potuit Aristoteles relinquere nomen* ἐνεργείας, *& vti nomine* δυνάμεως. *apponamus quæso verba Aristotelis in secundo de anima tex-*

LIII. quoniam autem sentire dicimus dupliciter, potentia & audiens, & videns, & quodiam est operans. Vides græcè inter se opponit δύναμιν & ἐνέργειαν. At principium quo constituor in eo, vt sentiam, audiam, videam est forma.

Melius igitur fecisset Aristoteles, si in definitione animæ posuisset δύναμιν, vocabulum receptum, quam ἐντελέχειαν nomen prorsus nouum, & ignotum scholis philosophorum.

Dices nomen δυνάμεως significat qualitatem, non substantiam. sed anima substantia est.

Respondeo, imò δύναμιν siue potentiam apud Aristotelem significare etiam substantiam, nam materia est substantia, & tamen dicitur esse δύναμις. Ergò potentia potest significare etiam substantiam.

Omisit tamen δύναμιν in definitione animæ Aristoteles non vna de causa. nam vsus fuerat nomine potentiæ ad indicandam materiam. Ergò non potuit id vocabulum tribuere formæ siue animæ.

In definitione animæ erat collocaturus corpus δυνάμει potentia habens vitam. ne igitur bis in eadem definitione poneret potentiam, & quidem diuerso significatu illam omisit. rectissimè tamen dicere est, animam esse principium, quo quis in eo constituitur, vt intelligat, sentiat, moueatur.

Sed placuerit sanè Aristoteli appellare animam ἐντελέχειαν, formam, perfectionemq. quandoquidem tex. II. in II. de anima postquam appellauit partem illam quæ cum materia constituit compositum μορφὴν, καὶ εἶδος formam, & speciem, subiungit τὸ εἶδος ἐντελέχεια, forma autem perfectio. hinc quæro, si anima est perfectio, & ἐντελέχεια

cur

cur in tertio de anima tex. XVII. sic loquitur de anima, vt in ipsa reperiat aliquid tanquam patiens, & aliud tanquam agens, aliquid tanquam materiale, & aliquid tanquam formale? cum præsertim cap. IV. tex. I. pollicitus fuisset se velle agere de parte animæ, qua cognoscit anima, h.c est de flore vt sic dicam ipsius formæ, & ipsius entelechia. Sed proferendus est textus ille XVII. quoniam autem in omni natura est aliquid hoc quidem materia vnicuiq. generi, id autem est, quod potentia omnia illa, alterum autem causa, & factiuum, quod faciendo omnia quod ars ad materiam passa est, necesse & in anima has existere differentias.

Anima est perfectio, est forma, est principium operandi αἴτιον, καὶ ποιητικόν operationes enim proueniunt à forma. Et tamen in hac forma, scilicet anima Aristoteles deprehendit materiam, deprehendit δύναμιν, quam tamen cum vellet dicere animam esse ἐντελέχειαν prorsus remouit ab ipsa, tribuendo illam materiæ. An forma, quæ perfectio est potest habere differentias huiusmodi, vt in ipsa sit aliquid passiuum, aliquid actiuum? sicne ipsa transit in naturam materiæ?

Sicne anima, vt intelligat mutila & manca est, indigetq. à quodam extrinseco perfici? & ipsa est παθητική, passiua, extrinsecum autem illud πάντα ποιεῖ?

Omnis profecto forma sic informat vt perficiat compositum in ordine ad operationes.

Sed anima est forma. perficit igitur hominem. Cur ergò ad operationes aduocandum fuit agens quoddam extrinsecum, & separabile?

Respondent doctissimi viri, vt dissipetur talis nebula,

& ne

& ne quisquam impingat, in anima ab Aristotele non poni veram materiam sed quandam (vt sic vocem) potentialitatem, cum non sit actus simplicissimus, vt est Deus expers non solum materiæ, sed etiam cuiuscumq. potentialitatis.

Sed misso loco ex Tertio de anima, videtur superuacanea diligentia vsus Aristoteles collocasse in definitione animæ instar generis ἐντελέχειαν, cum haberet alia vocabula ad idem significandum, quibus sæpe suam sententiam exposuit nam formam, quam primus inuenit iam εἶδος, mox μορφὴν, quandoq. etiam, vt in libris de cælo ἰδέαν vocauit. Cur igitur non dixit animam esse εἶδος, μορφὴν, ἰδέαν corporis? Certè aut vocabula noua non sunt construenda, aut valdè parcè est vtendum tali licentia. Aristoteli autem non satis fuit ad nouum significatum traxisse vocabula ista μορφὴ, ἰδέα, εἶδος, nisi nouum prorsus & græcis auribus non auditum, ἐντελέχειαν nempe conformaret.

Quod verò animam dixit esse πρώτην ἐντελέχειαν primam perfectionem, aut primum actum, prorsus non est transmittendum absq. animaduersione, nam ab animæ essentia remouit omnem motum, omnem operationem, omnem actionem: quasi anima fingi possit substantia seorsim ab omni actu, siue operatione. longè melius Cicero perennem & continuatam motionem putauit esse de essentia animæ. Plato etiam omnem motum tribuit animæ, & αὐτοκίνητον disertissima sententia censuit esse, hoc est habere principium motus à seipsa.

Quod si floccifaciant Peripatetici auctoritatem Platonis, & nihili putent esse dictum Tullij, contendam ego aduersus ipsos inseparabilem esse operationem ab anima. posita enim anima absq. dubio ponitur vita. vita autem est in ope-

operationibus vita. N igitur fingi potest expers operationum anima. Non d. sunt tamen inter recentiores aliqui, qui miseram animam quandoq. alligant corpori sic, vt sit quidem præsens, nihil autem operetur, fatentur interim animam informare corpus. An hæc informatio absq. operatione est? an corpus animatur absq. vlla actione? Atqui Aristoteles docuit animatum ab inanimato differre motu, & sensu. si igitur alicubi collocetur anima absq eo, quod qui anima præditus est habeat vllum motum, erit animatus, & inanimatus, animatus quidem quia præditus anima, inanimatus carens sensu, & motu.

Quæro etiam ex recentioribus philosophis, qui non negant, vt puto, animam esse superstitem dissoluto composito, an possit anima separata à corpore nihil agere? Atqui secundum Aristotelem incorporeæ substantiæ sunt ἐνέργειαι οὐσίᾳ hoc est in ipsis identificatur (vt sic loquar) substantia & operatio. qui igitur separat operationem ab anima, eius destruit substantiam.

Superesset plura in definitione animæ Aristotelica gemina suspendere lance, sed nimis prolixa euaderet dissertatio: quapropter omitto alia, quæ suo tempore alibi in aciem prodibunt, non quod putem me posse facessere negotium doctissimis nostri seculi Peripateticis, sed vt mihi eam sumam libertatem, quam semper omnibus largita est philosophia vt de cuiusuis hominis dictis, fas sit suam promere sententiam.

Exem-

Exemplo S. Iustini exercentis se in examinandis opinionibus Aristotelis expenduntur quaedam, quae proferuntur tum ab Aristotele tum Auerroe de terrae magnitudine. Cap. CXXI.

CVm nobis ob oculos versetur exemplum S. Iustini, qui non segniter legens Aristotelem quaedam in eo obseruauit, quae accurato veritatis indagatori non videntur prorsus satis facere, dabitur mihi venia, si vestigia tanti viri secutus itidem quaedam annotem, vt aliorum diligentiam potius excitem, quam vt fastigium tanti philosophi ex tota animi sententia oppugnem.

In II. de Cael. tex. CXI. exponit quam parua sit terra, ostenditq. admodum esse exiguam. probationem tamen haesitanter, & non prorsus alacriter profert, ait enim eos, qui συνάπτοντας *coniungunt* τὰς ἡρακλείους στήλας τόπῳ τῷ περὶ Ἰνδικὴν herculeas columnas loco Indiarum, *quiq. putant vnum esse mare,* μὴ λίαν ὑπολαμβάνειν ἄπιστα δοκεῖν, *non videri prorsus incredibilia dicere. loquitur haesitanter quia tunc spatia terrarum non erant exactè nota, Geographiaq. exiguis limitibus continebatur. Alexander Magnus multa patefecit, sed in oriente, non in occiduis, & meridionalibus partibus. quapropter minus sciebat Aristoteles, quo spatio distarẽt columnae Herculis ab India. leuiter suspicabatur non magna esse spatia maris sese porrigentis ab Herculis fret ad Indicum oceanum.*

Cum autem suspicionibus indulgeat nec certa cognitione

nita-

nitatur Aristoteles, ut ostendat exiguam esse terram, discamus ipsum, etiam in acroamaticis scriptis non semper niti certis rationibus, & demostrationibus, sed uti quandoq. argumentis, quæ ne quidem probabilia sunt, aut si probabilia sunt imbecillitate laborant. hic certè Aristoteles de rebus sibi incompertis loquitur, & tamen vult colligere terram esse paruam. quam procul autem distant Indi ab Herculeis columnis. Quid verò diceret Aristoteles, si nostri temporis nauigationes legeret, si perpenderet spatia prope immensa Atlantici maris? nō amplius pronūciaret adeò esse paruam. parua quidem ipsa est, si conferatur cum vniuerso sed magna, si à nobis consideretur qui adeò pusilli sumus.

Apparet etiam, quam parum profecisset in Geographia Auerroes, qui tamen vixit anno post Christum millesimo centesimo, siue post exortum falsi Maumetis anno IↃXXX. ut scribit ipse ad hunc locum Aristotelis. quisq. profectò animaduertit Geographos veteres ab ipso lectos non fuisse, cum ne quidem videantur translati in Arabicam linguam. exiguam igitur eruditionem, exiguam historiarum notitiam ad exponendum Philosophum ipse attulit.

Ait autem, vt explicet tex. LXI orizontē loci terræ in quo sunt Idola Herculis id est finis occidentis istius partis habitabilis esse propinquum orizonti primi loci habitabilis habitabilium locorum orientalium. quod an veritati sit consentaneum quisq. iudicare potest. noluit autem censuram exercere in Aristotelem tum quod Geographiæ [illegible]um haberet vsum, tum quod nollet vlla in re reprehendere præceptorem, quem alibi ait nihil unquam protulisse absq. fundata ratione.

Sed lib et audire Auerroem loquentem de Herculeis columnis. putat ipse fuisse Idola, hoc est statuas referentes Herculem, positas in ripa siue in porta, qua diuiditur Africa ab Europa. vt autem putaret non fuisse columnas, quod peruulgatum est apud Geographos & apud Aristotelem ipsum, fecit interpres, quo vsus est, qui dixit sic: locus qui dicitur Idolum Herculis. *qui etiam putauit vnam fuisse statuam, non duas. vt verò pro columna verteret interpres Idolum fecit nomen Herculis; nam sciebat Gentiles solitos ponere statuas Dijs, quas etiam tanquam Deos adorabant, hinc vocauit Idolum.*

Sed signa ista non fuerunt posita ab hominibus Herculi; sed ipse memoriæ causa erexit columnas, vt indicaret terminum suorum itinerum, suæq. peregrinationis.

At, inquies, fuisse Idolum hoc est statuam erectam in honorem Herculis oculatus testatur Auerroes his verbis: vnum istorum Idolorum erat in vltimo occidentis Hispaniæ, quod dicebatur Idolum Indię & ego vidi ipsum eleuatum. deinde fuit corruptum in prœlio quod creuit inter Barbaros, & homines illius insulæ in anno IↃXXX. à prædicatione Maumeti à quibusdam erigentibus se super quasdam regiones maris in illo tempore.

Sit fides penes Auerroem, aut penes eos, qui et dixerunt quoddam signum esse columnam Herculis, cum olim etiam esset controuersum quid nomine columnarum Herculis intelligi deberet, cum non deessent qui existimarent duos montes Calpen scilicet & Abylam esse columnas Herculis. qua de re videnda sunt quæ tradit non solum Nonius in descriptione Hispaniæ sed ipse Strabo. poterit quis etiam exercita-

tionem meam inspicere, quam Etrusco sermone edidi, & inscripsi: Del Regolar i Confini.

Non igitur est verisimilis narratio Auerrois putantis sua quoq. ætate visam fuisse vnam ex columnis Herculeis.

Videamus iam qua ratione adhuc probet Aristoteles exiguam esse terram, & Indos non valde distare ab Hispanis petit probationem à generatione Elephantum, qui sunt περὶ ἀμφοτέρους τοὺς τόπους τοὺς ἐσχάτους ὄντας, circa vtraq. loca extrema existentia. *Ergonè apud Gaditanos, vt apud Indos gignuntur Elephantes? Minimè gentium. hinc colligere est terram non esse adeò exiguam, si Hispania caret animalibus, quibus abundat India. imò si Elephantes mas, & fœmina illuc deportarentur, non gignerent coeundo Elephantem. valde igitur distant à se inuicem Hispania, & India. necesse profectò est valde calidam esse regionem, quæ ferat Elephantes, cum adeò sint magna animalia viuantq. ducentos & plures annos.*

Auerroes fatetur ingenuè in Hispania non esse Elephantes, suspicatur autem esse apud Æthiopes negat etiam esse in terra Barbarorum. quod si nomine Barbarorum intelligat Mauros, & incolas Mauritaniæ fallitur. En tibi verba Plinij lib. VIII cap. XI Elephantes fert Africa, vltra Syrticas solitudines, & in Mauritania ferunt Æthiopes, & Troglodytæ sed maximè India.

Cum autem occidens careat Elephãtibus, quibus abundat India videat Scaliger qua motus ratione aduersus Cardanũ ausus fuerit orientem occidenti postponere. Certè vel vnum hoc argumentum petitum ab Elephantibus sufficit confutando Scaligeri paradoxo. qualem enim decet esse regionem, qua-

lem enim decet esse regionem, qualem cæli vim, quæ profert eiusmodi animal, de quo admiranda referuntur, sed & visa sunt aliquot abhinc annis ab Italis, cum Anglus unum circumduceret. sufficiat recitare verba Plinij lib. VIII. cap. I. Maximum (*inter terrestria animalia*) est elephas proximumq. humanis sensibus quippe intellectus illi sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorumq. quæ didicere memoria, amoris, & gloriæ voluptas.

Quod si Elephas proximè accedit ad humanos sensus fateamur necesse est præstare ingenia orientalium hominum ingenijs occiduorum, quandoquidem cælum illud profert Elephantem, qui absq. comparatione superat omnium nostrorum animalium solertiam. Cur non liceat à solertia animalis illius argumentari ad ingenium hominum illa loca incolentium?

De versione LXX Interpretum, qua vsus est in suis operibus S. Iustinus, non pauca notanda depromuntur. CXXII.

PRæsidium suæ cognitionis in quo collocauit authore S. Iustinus, postquam relicta Platonis Academia ad scholam Christianam transiuit? in Deo, authore S. Litterarum, quæ antiquitate longè antecedunt, & superant quemcunq. Græcorum scriptorem. sed qua editione est vsus S. Iustinus? hebraicane, cum absq. dubio, in Samaria natus, hebraicè sciret? immò Græcam LXX adhibuit, tanquam verissimam. in exhortatione ad Gent. narrat qua ratione poscente Ptolomæo Rege Ægypti S. Litteræ in græcum ser-

sermonem translatæ fuerint. non silet LXX græce hebraiceq. fuisse doctos, & separatim in singulis cellulis positos prorsus conticuisse, & in eadem etiam verba conuenisse. Scio narrationem de cellulis à quibusdam reijci, at Iustinus testatur Gentibus se nihil fingere, inquit enim: Nihil hic fingimus viri Græci, nec narramus fabulam, sed quod ipsi vidimus Alexandriæ, vbi cellularum Phariarum vestigia spectauimus, ex indigenis rem à maioribus per manus acceptam audiuimus, quæ & vos ab alijs potestis discere.

Philo non memorat quidem cellulas lib. II. de Vit. Mosis, sed ait eos cum consedissent solitarij prophetasse, & admirando consensu eadem ad verbum protulisse. nec præterit anniuersariam lætitiam, quæ instituta fuit eiusmodi versionis causa, quæq. peragebatur etiam tunc quando Philo scribebat.

Iosephus lib. XII. antiquit. cap. II. de prophetantibus LXXII Interpretibus nihil habet, narrat autem domum omnibus simul assignatam, in qua conferentes inter se, & vertentes, perfuncti sunt labore spatio LXXII dierum, nec omittit perfectam versionem approbatamq. communi consensu, ne deinceps quicquam ei vel detraheretur, vel adderetur.

S. Hilarius enarrat. in secundum psalmum paucis rem complectitur & ait: perfecta horum septuaginta interpretum autoritas manet, quod ante aduentum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tēpori arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate: dehinc quod illi ipsi principes do-

cto-

ctoresq. Synanogæ, & præter scientiam legis, per Mosem quoq. secretiori doctrina perfecti non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi, & grauissimi erant autores docendi.

An igitur, inquiet aliquis, Cabalam in S. Scripturam innexerunt LXX. Seniores, qua Cabala se superstitio, & inscitia perfidorum Iudæorum iactat?

Respondendum, S. Hilarium tantum significare LXX Seniores, cum à maioribus suis didicissent, qua ratione essent exponendæ S. Litteræ, sic peregisse versionem, vt omnia continerent doctrinæ inter ipsos receptæ. videre autem est in eiusmodi versione nequaquam apparere fabellas recentiorum Cabalistarum. somnia namq. quæ occuparunt libros delirorum Rabbinorum non sunt antiqua, nec attingunt tempora LXX Seniorum. quin puto esse recentiora temporibus Philonis, & Iosephi. nam ipsi fabellas, quas nobis nugacissimi Rabbini obtrudere satagunt, tanquam profectas ab instructione secretiori Mosis, prorsus non referunt. vnde discere est excogitatas fuisse post tempus, quo illi floruerunt. nam si tunc tales narratiunculæ in vsu fuissent, absq. dubio earum aliquam fecissent mentionem vel eas approbando, aut refellendo.

Valeant igitur cum suis recentibus somniјs Cabalistæ, & auscultent LXX Senioribus, audiant Philonem, præbeant aures Iosepho.

Sed plura suppetunt, præter prolata, quæ inseruiant asserendæ authoritati LXX Seniorum, quos secutus est S. Iustinus, quosq. tantopere commendauit.

Nam tota Ecclesia Catholica vsq. ad tempora S. Hie-

ronymi nulla alia editione vsa est tanquam authentica, præter græcam LXX vt quilibet nouit: Latini namq. non ex Hebraica lingua ante S. Hieronymum, sed ex LXX Seniorum versione græca suas versiones composuerunt.

Non audire tunc erat, qui prouocaret ad Hebraica, contemptis græcis, vt nostri temporis Nouatores tertio quoq. verbo Hebraica, hebraica ingeminant, & putant se tunc esse se doctissimos theologos, quando aliquid sciunt hebraicè legere.

Certè in Concilio Oecumenico Niceno primo nemo reiecit verba LXX Seniorum: cum tamen de verbis maximi momenti ex cap. VIII prouerbiorum ageretur, in quo sapientia dicit: ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ: Deus creauit me initium viarum suarum. si versio LXX Interpretum sperni debet, cur tunc tot sanctissimi, doctissimiq; Patres non prouocarunt ad hebraicas litteras?

Nec propterea versionis Vulgatæ Latinæ minuitur auctoritas: cum nihil prohibeat S. Litteras hebraicè, græcè, & latinè reperiri authenticas.

Certe hodie psalterium in editione Vulgata Latina non habetur nisi ex versione LXX.

Dicunt aliqui & obstrepunt versionem LXX corruptam fuisse, & hodie non haberi integram.

Sed dicant, qui talia promunt, quando, & qua in re corrupta sit versio LXX? si conferatur versio, quæ hodie est in manibus nostris, cum dictis quæ citantur à sanctis Patribus græcis atq. Latinis inuenientur esse eadem, & non esse contraria.

Antequam autem huic diatribæ finem imponam, addam

ex

ex S. Iustino paucula quæ magis ac magis nobis LXX Seniorum laborem commendant.

In disputat. cum Tryphone Iudæo, ait Iudæos negare LXX Seniores interpretis officio rectè functos apud Regem Ptolomæum. *addit Iudæos* secus interpretari conari, & multas scripturas prorsus sustulisse ex LXX Seniorum versione. *vides quæ fuerit sententia S. Iustini de LXX, & quæ Iudæorum.*

In eo item Dialogo etsi agnoscat aliter legere locum quendam Gen. XLIX Iudæos hebraicè, aliterq. vertisse LXX, non tamen reijcit versionem græcam. verba eius sunt ex versione latina: possum enim vobiscum contendere de huius loci lectione, cum vos legatis: ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ τὰ ἀποκείμενα. donec veniant quæ reposita sunt ei, quoniam non ita verterunt LXX, dicentes dictum esse: ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται. donec veniat cui repositum est.

Obserua quæso dicere S. Iustinum, se si suo iure vti vellet, posse dicere locum Geneseos accipiendum, non vt legebant Hebræi, sed secundum versionem LXX. adeò vt apud S. Iustinum fuerit tutior versio LXX, quam lectio secundum Iudæos.

In eo ipso Dialogo non reformidat præsentiam Iudæorum citando LXX Seniores. quin fatetur palam, se LXX citare, non Hebraica verba, quamuis tota disputatio ipsum natum in Syria hebraicè scire ostendat. ait autem: Amici nunc in scripturis citandis LXX interpretes secutus sum, nam prius vestrum contextum adhibendo prætentaram, quomodo affecti sitis.

Receptui canam si dicam maximi debere fieri LXX interpre-

pretes, quandoquidem S. Iustinus, qui hebraicè doctus poterat uti hebraica editione, in suis operibus semper usus est versione LXX

Perpenduntur quædam quæstiones propositæ Gentilibus philosophis a quodam authore inter opera S. Iustini. Cap. CXXIII.

NOn dubitauit Crescenti Cynico philosopho proponere quæstiones S. Iustinus, ad quas cum non posset rectè responsum dare, prodidit suam inscitiam Canis ille. audiamus narrationem Iustini ad ipsos Imperatores: volo sciatis me cum Crescente congressum in hoc quæstionum genere, & coarguisse hominis ignorantiam.

Eiusmodi autem disputatio hodie non extat inter opera S. Iustini, licet quæ tunc disputata fuerunt inter Crescentem & S. Iustinum videantur tradita literis, cum præsertim scribat S. Iustinus in Apolog. puto ad vos peruenisse nostrum colloquium. quod si notæ sunt vobis illius responsiones meis scitationibus redditæ.

Dices, videri eas esse, quæ dicuntur quæstiones Christianæ ad Gentiles, nam valde doctæ sunt & philosophicæ. respondeo, non posse dici esse illas ipsas, cum toties faciant mentionem Manichæorum, qui ebulluerunt anno Christi CCLX, aut vt alij censent CCXL sub Aureliano, aut sub Probo. S. autem Iustinus floruit anno fere CLX.

Quamuis verò S. Iustino tribui nequeant, merentur legi, & perpendi. quod ego quoq. præstare conatus sum,

eiusq; opellæ ex[illegible] specimen hic exibere.

Agitur in ijs de Deo mundi conditore: nam quæris autor quæst. [illegible] qui fieri possit, ut Deus sit qui [illegible]? ita interrogat, quia secundum Aristotelem mundus est ingenitus.

Cupit etiam scire si Deus operatur quia est, non quia vult, hoc est operatur ut ignis, tanquam natura determinata, qui potest fieri, ut diuersarum substantiarum sit conditor? nam a causa eodem modo se habente non videntur posse emanare diuersi effectus.

Si mundus genitus est secundum Platonem, interrogat Author, quomodo Deo coæternus esse possit? cum impossibile videatur, ut qui antea non erat, & postea est, sit coæternus ei, qui semper est. de qua quidem quæstione videre etiam est quid scribat Boethius, qui conatur explicare sententiam Platonis asserentis mundum quamuis genitum semper fuisse.

Qui porrò leget quæstiones quarum iam fecimus mentionem, scire cupiet, cur autor quæ[illegible] nunc [illegible] Gentiles tribuendo eis sententiam [illegible] mundi [illegible] genitus, ut in quæst. secunda, nunc [illegible] ere mundum esse genitum, ut in quæst. [illegible] potest tra[illegible] mundum, & [illegible] um, & [illegible]

Respondendum [illegible] Peripateticos, qui dicunt [illegible], ingenerabilem, & incorruptibilem, in quarta [illegible] interrogat [illegible] alijs. Varietas igitur loquentium [illegible] inter Gentiles peperit varietatem quæstionum apud Autorem, qui [illegible] dixit in quæst. secunda: si mundus est ingenitus, ut quibusdam videtur

sal-

saltem Peri[illegible], quod [illegible] verbis videtur innuere communiorem sententiam [illegible] inter Gentiles, quod mundus [illegible], praesertim [illegible] scribat omnes dicere mundum esse genitum.

Sed Platonici nunc dicebant genitum, nunc ingenitum mundum. [illegible] processit, mundum esse ingenitum, licet antiquiores [illegible] esse genitum. Mox tamen non negat dari causam exemplarem, & effectricem mundi. imò contendit ideo mundum esse ingenitum, quia exemplar, & effectrix causa mundi est ingenita.

Quod oppugnatur ab [illegible] adversarium [illegible] solvendum, quem [illegible] urget. qui enim fieri potest, ut quod habet causam effectricem, sit ingenitum? si absurdum est, [illegible] dicere ingenitam generationem [illegible] est dicere ingenitum genitum. si quia opifex est ingenitus, etiam opificium est ingenitum, eodem modo necesse, fabricatum esse opificium, est enim infabricatus opifex. quod si hoc absurdum est, absurdum etiam est dicere mundum ingenitum.

Vide verò, quae vicissitudo exerceret Gentiles. nam Aristoteles, qui docuit mundum non esse factum, profus [illegible] de Deo opifice, de causa effectrice, & exemplari mundi.

Platonis autem sectatores, qualis videtur esse [illegible] iam [illegible] mundum esse genitum ob opificem, ob exemplarem causam, mox tamen ingenitum [illegible] mundum, non tamen negando dari eius causam [illegible], & effectricem.

Aliam proponit responsionem author quæst. de Deo degente in cælo secundum Platonem, & Aristotelem. nam si cælum non est factum, Deus degit in re non sua.

Eadem quæstione aliqui vrgent Peripateticos, qui docent cælum esse ingenitum, & tamen moueri à primo motore. an enim mouet rem alienam? vnde accepit, quo largitore, cælum mouendum primus motor?

Ad rem ipsam quod attinet, Deus cælum condidit ex nihilo, diciturq. in eo habitare, non quod eius substantia cælo includatur, cum Deus sua etiam substantia sit vbiq. sed quia magis eius gloria illic emicat, ibiq. beatæ animæ, reliquiq. cælites degunt. hinc etiam responsor non male explicat Homerum, qui cælum Dei domicilium dixit quod sit receptaculum nobilissimarum actionum Dei.

De duobus principijs Manichæorum quid tradatur ab authore quæstionum, quæ repetiuntur inter opera S. Iustini?
Cap. CXXIV.

A Zoroastro absurdissimam opinionem petiuerunt Manichæi, quod sint duo principia sibi inuicem opposita, vnum quidem Bonum, alterum malum. id si esset, nec Deus ipse perturbationis esset expers, & molestiæ propter oppositum summum Malum.

Responsionis in quæst. Christian. ad Gentiles, quæ tribuuntur S. Iust. in hæc sunt verba: μέγιστον κακὸν οὐδὲν ἐστι. summum malum nullum est. nam si inter Bona summum locum obtinet Deus, si ponatur summum malum

lum εὑρεθήσεται ἑτέρα ἀρχὴ ἐναντία τῷ Θεῷ, dabitur alterum principium contrarium Deo, *vt absurdè asserunt Manichæi. absurdum namq. foret, si Deus non complecteretur omnia, & non omnia sua bonitate illustraret.* καὶ γὰρ ἄτοπον τὸν Θεὸν μὴ πάντα καταλαμβάνειν, μὴ πᾶσι τὴν ἑαυτοῦ ἀγαθότητα ἐπιλάμπειν.

Obijcies, Auctorem quæstionum statim dicere: τῷ μεγίστῳ ἀγαθῷ ἀντικεῖται μέγιστον κακόν: summo Bono summum malum opponitur. *Ergò dantur duo principia, quorum vnum Bonum, alterum malum.*

Respondere est, auctorem quæstionum loqui de malo in qualitate deq. malo non totius vniuersitatis, sed hominum, scribit namq. summum Malum hominibus esse ignorare Deum, vt summum Bonum est cognoscere eundem: μέγιστον ἐν ἀνθρώποις ἀγαθὸν γνῶναι τὸν ὄντως ὄντα Θεόν, μέγιστον κακὸν τὸ τοῦτον ἀγνοεῖν.

Hinc ait author quæstionum: nos summum Malum scilicet secundum substantiam non posuimus cum Manichæis. οὐ κατὰ τοὺς Μανιχαίους μέγιστον κακὸν ἐθήκαμεν ἀλλὰ μέγιστον κακὸν κατ' ἔννοιαν εἴπομεν, τὸ κατὰ τοῦ Θεοῦ ψεῦδος. dicimus summum malum secundum opinionem, nempe mendacium contra Deum.

Sed cur inquit postea de responsore, quod sustulerit duas species δύο εἴδη τοῦ μεγίστου κακοῦ? *An Manichæi posuerunt duas species summi mali? Atqui ipsi posuerunt duo principia, vnum Bonum, alterum Malum.*

Suspicari licet voluisse dicere authorem quæstionum. Responsorem rectè sustulisse alterutram speciem duorum Principiorum, quæ ponebant Manichæi nempe rectè fecisse, dum

auer-

euertit summum Malum, quod ponebant Manichæi secundum substantiam.

Aut dixit duas species summi mali positas à Manichæis sublatas quia & [illegible] summum Malum secundum substantiam, & [illegible] pessimum eiusmodi dogma, quod pessima res debet censeri inter homines. has duas species explicat ipse postea dum ait: si summum malum non est in hominibus, cur reprehendisti Manichæos, quod malè dicant quæ dicunt? Malum autem illud secundum Manichæos, adeò malum est, vt nullum reperiatur maius.

Quod si verè dicimus malè loqui Manichæos, verè magnum malum est in hominibus εἰ μὴ κατ' οὐσίαν, ἀλλ' ἐν ὑποθέσει καὶ δόγματι si non secundum substantiam, saltem in opinione.

Vt porro Manichæi absurde ponebant duo Principia contraria, ita duo genera animarum proponebantur esse, vt tradit S. Augustinus libro vno de duab. Anim. contra Manichæos. duo genera esse dicunt animarum, vnum Bonum, quod ita ex Deo sit, vt non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa omninò eius substantia pars processisse dicatur. alterum autem malum, quod nulla prorsus parte ad Deum pertinere credunt.

Imò illud summum Bonum hoc summum malum esse asserunt. [illegible] dogmatis confutationem legere qui [illegible] apud [illegible] S. Augustinum potest.

Apud S. E[illegible] hæres. LXVI hæc legimus de duobus principiis Manichæorum: Manes inducit duo principia

cipia principio carentia, semper existentia, & nunquam deficientia. esse autem & constare ex his duobus principijs vniuersa. habere autem hæc duo principia in mundo substantias.

At negat S. Epiphanius malum habere substantiam. Substantia, *inquit*, carens reperietur malum, & nullam radicem habens, sed vsq. ad opera tantum actiuæ humanæ operationis effectiuum est. *hæc S. Epiphanius.*

Cum errore absurdissimo Manichæorum dici aliquis habere affinitatem aliquam opinionem itidem falsam Chaldæorum, qui stellis tribuunt causam malorum, cum quasdam, vt Saturnum, & Martem maleficas appellant. Contra quos Chalcidius differit commentario in Timæum: nam si mala, *inquit*, ab his prouenirent, vtrum nolentibus, an volentibus? si volentibus, sceleratæ erunt maleficæ. sed maleficas esse in illo sancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cumq; sidera omnia plena sint cœlestis sapientiæ, & malitia nascatur ex dementia, quid peruersius dici potest, quam stellas esse maleficas?

In quibus verbis Chalcidij, non est recipiendum secundum religionem Christianam stellas esse sapientia præditas.

Aliqui omnia mala in materiam retulerunt. nam posuerunt duo principia rerum etiam secundum eum, vt putant Platonem, Deum scil. & materiã. de qua mente Proclus in II. in Timæum ait, quod sicut Materia prorsus est ἄποιος καὶ ἄθεος hoc est æterna, & expers Dei, ita Deus est πάντη ἄυλος, καὶ ἁπλῶς: prorsus immaterialis, & simplex. *Addunt ideò mala fieri quia Materia semper mutatur corruptio-*

ptionem, neq. Deum posse impedire talem vim Materiæ, cum ipsa non sit facta, neq. subsit eius potestati.

Sed eiusmodi opinio prorsus reijcienda est. nam nos persuasi sumus Deum etiam materiam ex nihilo fecisse: atq. adeò eam Deo parere, qui non est author malorum.

Vnde igitur existunt mala? aut loquimur de malis culpæ hoc est peccatis, aut malis pænæ, incommodisq. vitæ humanæ.

Mala culpæ proueniunt ab hominibus, qui libertate arbitrij præditi deflectunt à tramite legis Diuinæ.

Mala pænæ incommodaq. vitæ humanæ, aut corruptio quarundam rerum habent rationem boni, quatenus puniunt peccata, aut non sunt ex consilio naturæ, sed existunt per consecutionem quandam vt ægritudines & morbi. aut mala non sunt absolutè mala, sed minora, & imperfectiora bona, & per vicissitudinem quandam contingentia efficiunt, vt bonum magis elucescat, intereuntibusq. indiuiduis species perpetuæ sint.

Centum, & quadraginta sex responsiones ad orthodoxos non esse Iustini, nec quandam expositionem fidei. Cap. CXXV.

QValia sint opera S. Iustini Martyris discendum ex Photij Bibliotheca, cuius verba nihil iam necesse est transcribere.

Cum autem mentionem non fecerit CXLVI. responsionum ad orthodoxos, suspicari licet id opus non esse Iustini. cum præsertim id iam pridem Sixtus Senensis in sua Bibliotheca

theca tradiderit. nam in eo opere citantur Irenaeus, & Origenes, qui vixerunt post Iustinum. Origenes sane non semel citatur, tanquam peritus hebraicarum literarum.

Quaest. IV. fecit mentionem poenarum, quibus afficiuntur haeretici, ne ipsorum sermo, qui cancro similis est, serpere pergat. Certum autem est poenas contra haereticos sancitas fuisse à Christianis Imperatoribus, quae de re videri possunt, quae traduntur in Codice Iustinianeo. Sanè tempore Iustini potestas gladij erat penes Gentiles, non penes Catholicos Christianos.

Alia omitto. etsi autem non sint Iustini, sunt tamen antiqui scriptoris, multaq. continent quae augere queant thesaurum sacrae cognitionis.

Expositio etiam illa Fidei, cum tam clarè agat de Trinitate, & reijciat errores Arij, & Macedonij de Filio, & Spiritu Sancto, vix existimanda est esse S. Iustini. etsi namq. tempore, quo ipse floruit, mysterium SS. Trinitatis rectissimè crederetur, non tamen adeò diserte eiusmodi mysterium exponebatur, vt postea expositum est ad compescendam haereticorum temeritatem. Certè nomen ὁμοούσιον tempore S. Iustini non ita in vsu erat, & tamen expositio ista, quae tribuitur S. Iustino disertè in inscriptione habet eiusmodi vocabulum. nam narrat S. Ambrosius occasione cuiusdam scripti propositi ab Ario, & eius socijs nomen ὁμοούσιον positum fuisse in confessione à S. Episcopis Catholicis, vt quandoquidem Ariani professi fuerant non esse Filium ὁμοούσιον Patri, ipsi palam dicerent Filium esse Patri ὁμοούσιον.

Certè si S. Iustinus edidisset tam disertam expositionem

fides de Trinitate, eiusmodi testimonio clarissimè confutassent Arium.

Repetuntur verba quædam ex Timæo Platonis facientia ad repugnantiam de mundo genito, & ingenito, quam obiecit eidem Platoni S. Iustinus. Cap. CXXVI.

NOn ab re erit verba ad repugnantiam Platonicam de mundo genito, & ingenito constructam à S. Iustino prolata p. CCLXXXIX repetere ex Timæo, videreq. quid super his scripserit Aristoteles, quidq. Simplicius vir doctissimus existimauerit: Cum omne quod visibile recepisset minimè tranquillum sed inordinato quodam & tumultuario motu agitatum ad ordinem ex inordinatione redegerit. *Arist. primo de Cælo tex. 106. hæc habet:* ἐξ ἀτάκτων γάρ ποτε τεταγμένα φασὶ γενέσθαι ex inordinatis enim aliquando ordinata facta esse dicunt. *de Platone loqui Aristotelem censent Interpretes ob verba prolata ex Timæo. Platonem autem sic puto locutum quod Physici ferè omnes ita visi fuissent sentire Heraclitus, Thales atq. alij. difficile porrò est modos nouos dicendi inuehere cum aures hactenus assueuerint talibus sermonibus, talibusq. sententijs.*

Accipit verò verba Platonis Aristoteles perinde ac si secundum Platonem fuisset tempus, quo omnia essent inordinata, vt ab inordinatione redigerentur ad ordinem, hinc sic ratiocinatur contra Platonem; ἅμα δὲ τὸ αὐτὸ τεταγμένον

ἄτακ

εἶναι καὶ ἄτακτον ἀδύνατον: simul autem inordinatum esse, & ordinatum impossibile est, sed necesse est generationem esse separantem, & tempus.

Quod profert, quia Plato, & Platonis discipuli sic explicabant rem totam, ut non assererent fuisse tempus, quando inordinatus motus cuncta obtinebat. verba Aristotelis tex. 104. sunt ista: Auxilium autem, quod quidam eorum conantur afferre sibi ipsis qui dicunt incorruptibilem quidem esse sed factum, non est verum similiter enim dicunt ijs, qui διαγράμματα designationes describunt, & seipsos dixisse de generatione non tanquam generato aliquando, ἀλλὰ διδασκαλίας χάριν sed doctrinæ gratia.

Quod videntur dixisse aliqui præter Platonicos, ut Heraclitus, & Empedocles, qui tamen asserebant esse genitum mundum, sed fore incorruptibilem. id enim tradit de ipsis Aristot. tex. 102. lib. I. de Cœlo. ubi etiam pronunciat omnes dicere (scil.) physicos mundum esse genitum eodem textu.

At in VIII physic. *tex. X narrat Aristoteles omnes philosophos præter Platonem docere tempus esse ingenitum, & sigillatim de Democrito inquit, quod monstret* ἀδύνατον πάντα γεγονέναι, τὸν γὰρ χρόνον ἀγένητον εἶναι impossibile esse cuncta esse facta. tempus enim ingenitum esse.

Quin & Platonicorum non pauci dixerunt semper tempus fuisse, licet nō semper fuerit mundus. nam semper fuisse motum inordinatum, & tempus metitum fuisse eiusmodi motum, postmodum omnia ad ordinem redacta fuisse. qua de re legi possunt verba Procli in Timæum lib. II. p. 84. 85.

85. Πλούταρχος μὲν καὶ Ἀττικὸς καὶ ἄλλοι πολλοὶ Πλατωνικῶν κατὰ χρόνον τὴν γένεσιν ἤκουσαν. *& dicunt esse quæstionem an mundus secundum tempus sit ingenitus an genitus. esse enim ante conditum mundum inordinatum motum cum motu autem semper est tempus, ita vt fuerit tempus ante mundum. Cum mundo autem factum tempus, quod est mensura motus totius mundi, sicut idem tempus ante factum mundum fuit mensura inordinati motus.*

Quod Anaxagoras putauerit tempus fuisse antequam esset mundus, & Mens omnia ordinaret, tradit Aristoteles VIII phisic. tex. XV nam postquam dixit, fortassis & vnum principium facientes, vt & Anaxagoras, sic vtiq. dixerint, subiungit: infinito autem tempore quiescente postea motum esse aliquando. huius autem nullam esse differentiam: quare nunc potius, quam prius, neq. rursus aliquem ordinem habere non amplius naturæ est opus.

De Democrito vix videtur dubitandum, quin senserit semper fuisse tempus, semper atomos motas fuisse, non tamen semper fuisse mundum hunc. nam Lucretius ex sententia Epicuri multis argumentis conatur ostendere mundum non semper fuisse, sed extitisse tandem.

Sanè si omnes Physici præter Platonem, vt tradit Aristoteles, dixerunt tempus semper fuisse, esseq. ingenitum, mundum autem genitum adstruxerunt, necesse est, vt tempus fuerit, quando mundus non erat.

Ad Platonem tamen quod attinet satis constanter tradit Proclus ex Crantoris, Plotini, Porphyrij, Iamblichi expositione, et, Hiidem Plato dixerit tempus esse factum cum cœlo

mun-

mundumq. esse genitum, id tamen sic accipiendum, vt docuerit semper fuisse & mundum, & motum, & tempus, & cælum, facta tamen dici, vt ait Proclus ὡς συνθετα, καὶ ἄλλων αἰτίων πρὸς ἶναι δεόμενον, tanquam compactum, & alijs causis, vt sit, indigentem.

Nec potuit materia prima, cum careat corporea magnitudine, propriè fluctuare, & inordinata esse: siquidem nihil incorporeum fluctuare, & inordinatum esse potest, cum hæc corporum compositorum accidentia sint, materia verò accidentibus sit nuda.

Ergò Plato tradidit factum esse mundum inordinatione ad ordinem redacta, non quod verè inordinatio illa præcesserit, sed quia res magis sic intelligitur, si ad explicandam totius compositionem, partium inter se diuersarum resolutio fiat.

Sed lubet audire Simplicium scribentem ad primum de Cælo tex. 104. 105. *&* 106. Xenocrates & Plato mundum genitum dicentes, generationem non tanquam ex tempore ai untoportere intelligere, sed ex suppositione dictam doctrinæ gratia ordinis eorum quæ in ipso priorumq, & magis consitorum. sicut in descriptionibus Mathematicis naturam eorum inquirentes composita in simplicia resoluunt, & quomodo ex illis fierent, siquidem à principio facta fuissent considerant.

Sed quid dicemus de alijs antiquis Physicis? an & ipsi censendi sunt docuisse semper fuisse mundum, neq. tempus præiuisse, vel extitisse antequam hæc moles existeret?

Simplicius non prorsus est certus Physicos ita sensisse, pro-

nun-

nunciat tamen ita videri exponendos, præsertim Empedoclem, & Anaxagoram. ex suppositione namq. locutos, faciendo resolutionem apparentium compositorum ad simplicia, nam in quibus semper existunt ea ex quibus generatio dicitur in his semper est possibile ex suppositione accipere simplicitorum praeexistentiam, & temporalem generationem.

Nonne & ipse Aristoteles quando egit de motu cœli, eiq. assignauit principium in oriente, ex suppositione locutus est?

Adde ipsum loqui de generatione, & corruptione quatuor elementorum, de materia ingenita, de forma deq. priuatione, cum tamen talia semper fuerint secundum ipsius opinionem. Ergò sermonem habuisse videtur ex suppositione eorum, quæ ex tempore generantur.

Quæro etiam an putet Aristoteles vnquam materiam fuisse nudam formis? etsi informitas, vt sic dicam, conueniat naturæ materiæ, non tamen fuit vllum tempus, quando ipsa non fuerit particeps ordinis, & specierum.

Ergò quæcunq. tradit Aristoteles de Materia quod sit neq. quid, neq. quale, neq. quantum, ea profert, non quod vnquam extiterit sic spoliata Materia, sed doctrinæ causa ad enarrandam naturam rei sic disseruit.

Hinc quis putauerit similiter exponenda, quæ Empedocles, Anaxagoras, & forte alij de principio vniuersi discipulis expediuerunt.

Ex quibus sequeretur Aristotelem frustra oppugnasse Anaxagoram VIII Physic. tex. XV negaret enim se dicere Mentem quieuisse tempore infinito, & demum accessisse ad construendum mundum.

Mi-

Minus etiam rectè dixisset Aristoteles Antiquos physicos docuisse tempus semper fuisse, sed non semper fuisse mundum. nam vtrunq. dixissent, licet asseruissent mundum esse genitum, quod haberet causam.

Videat lector, an hæc rectè proferantur ad defensionem Antiquorum, & legat diligenter Simplicium.

De verbis quibusdam, quæ obijcit Aristoteli S. Iustinus, in quibus agitur de natura cœli. Cap. CXXVII.

I*Nter illa, quæ obijcit Aristoteli S. Iustinus sunt etiam verba in secundo de cœlo tex. XLI.* vt enim ignea dicentes esse ob hoc dicunt, quia id quod sursum est corpus ignem esse dicunt.

De quo loquitur Aristoteles? de Platone, qui tamen sic exponendus est, ne quis putet eum docuisse cœlum esse elementum ignis, cum asserat compositum ex quatuor elementis, esse tamen naturæ igneæ, ita vt ignis ille purissimus diuersusq. ab inferiori illo sit, quatenus summam formæ perfectionem habet: lucidusq. omninò, & aspectabilis sit.

Nam vt ignis splendor in idea artificis est: ita in cælo positus visibilis fit, inferioremq. mundum illustrat. Cui sententiæ Numenius, Plotinusq. in libro de cœlo assentitur ait enim hic, ideirco à Platone dici mundum siue cœlum ex igne, terraq. componi, quod multum habeat igneæ naturæ. videmus siquidem magnam stellarum cœliq. lucem emicare quæ ex ignea natura prouenit. sic Trismegistus asserit solem esse igneæ naturæ.

Ipse Aristoteles forte in Exotericis docuit esse cœlum igneæ naturæ, cum id testetur Plutarchus de Placitis philosophorum.

Simplicius in secundum de Cœlo tex. XLI· quamuis apud ipsum ponatur tex. XXVIII. ait Platonem totum mundum ex quatuor elemẽtis consistentem dicere, cœlum autem ex summitatibus elementorum, & sicut in corporibus hic ex quatuor elementis & ipsis consistentibus, extremis autem existentibus prædominatur elementum extremum scil. quod terreum, ita & diuinis corporibus ex summitatibus consistentibus prædominatur primi elementorum summitas scilicet ignis. scribit igitur in Timæo: Diuini quidem igitur plurimum speciem ex igne condidit, vt quod fulgentissimum vbiq; & pulcherrimum esset.

Hinc Nonnus ætherem πυρώδη igneum appellauit. vnum ex equis solis Pyroem dixit Ouidius. de iisdẽ equis legimus quod ignem elatis naribus efflent. apud Lucretium hæc leguntur:

flammescere cœlum,
ardescunt cœlestia templa.
secretiq; ætheris ignes.
æther multos secum extulit ignes,
inde æther ignifer ipse.
diffusilis æther.

Lambinus explicat de aëre. sed nescio quam bene. nam ætheris natura si ignea est, estq. lucida subtiliorum est partium, & subtilitate superat aërem. & loqui Lucretium de cœlo, siue ætherea regione constat ex antecedentibus; nam dixerat:

pri-

primus se sustulit æther

Signifer, & multos secum leuis abstulit ignes.

& postea subiungit:

Hunc exordia sunt solis, lunæq. secuta.

Et quod natura cæli sit ignea apud eundem Lucretium hæc iisdem ostendunt:

inq; dies quanto circum magis ætheris æstus

& radii solis.

inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipse.

vides distingui aërem, ab æthere.

Mox: & liquidissimus æther

atq. leuissimus aëreas super influit auras

nec liquidum corpus turbantibus aëris auris

commiscet

ipse suos ignes certo fert impete labens

nam modicè fluere, atq. vno posse æthera nisu

significat Ponti mare.

Ad quæ notat Lambinus Epicurum, & Lucretium velle æthera esse igneum, & ex ignibus liquidissimis constare, quod idem putabat Zeno, & Anaxagoras qui aiebant stellas esse igneas. ex Stoicorum sententia sunt illa M. Tu lij II. de Nat. Deorum hunc aera rursus amplectitur immensus æther, qui constat ex altissimis ignibus. ex æthere igitur innumerabiles flammæ siderum existunt. *sic Vergilius II. æneid.*

Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas

Vos, æterni ignes, & non violabile vestrum

Testor numen ait.

Manilius non est omittendus lib. I.

Ignis in æthereas volucer se sustulit auras,
Summaq; complexus stellantis culmina cœli.
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.

Nec agnoscit aliud Manilius quam aërem, ignem, terram, & Mare, vt sit mundus perfectus.

Hoc opus immensi constructum corpore Mundi
Membraq. Naturæ diuersa condita forma
Aëris, atq. Ignis, Terræ, pelagiq. iacentis
Vis animæ diuina regit.

Adde quod nisi dicatur esse natura ignea cælum, difficile est explicare, quomodo calor manet à supera regione. hinc S. Iustinus; si id, quod motum calefacit alia, non potest hoc efficere nisi prius seipsum motu suo calefaciat, quomodo cælestis globus, & quæ in eo sunt sidera motu suo calefaciunt aërem, cum ipsa non calescant?

Namq. interpretes magnam experiuntur difficultatem in exponendo Aristotele dum ait tex. XLII in secundo de cælo: Calorem generari ab astris attrito aere ab illorum latione, *addita ratione:* nam natura aptus est motus ignire & ligna, & lapides, & ferrum. *Certè Alpinos vertices si conscendas etiam tempore æstiuo aërem longè minus calidum deprehendes, quam in imis locis, imò refocillaberis non parum vehiculis vallibus quas radij calefaciunt. oportebat autem, si ratio Aristotelis vera est semper deprehendi calidiorem aerem, quò vicinior est cælo. sed legatur Simplicius ad verba illa Aristotelis.*

Nouissimè cum S. Iustino obijciente Aristoteli perpenduntur duo loci ex Tertio de cælo tex. I. Cap. CXXVIII.

A *S. Iustino tandem ad alios gradum transferemus, si prius perpenderimus argumentationem, qua impetit Aristotelem, tribuendo ei quandam velut repugnantiam, prolatis verbis ipsius ex tertio de cælo tex. I.* dico autem substantias quidem simplicia corpora, & quæcumq. ex his *καὶ ὅσα ἐκ τούτων, οἷον τόν τε σύνολον οὐρανόν*, veluti totum cælum. *ex quibus verbis sic ratiocinatur:* quomodo nunc ait ex iisdem elementis constare cælum, ex quibus, & plantas, & animalia?

Obijcit etiam verba illa, quæ leguntur in eodem textu primo: *περὶ μὲν οὖν τοῦ πρώτου τῶν στοιχείων εἴρηται* de primo igitur elementorum dictum est. *ita autem colligit S. Iustinus contra Aristotelem:* si elementum est ex quo fit quod fit insitum ipsi, qui fieri potest, vt idem sit, & elementum & ingenitum? *nam in hoc in tertio libro tex. XXXI. tradit Aristoteles quid sit elementum:* est illud in quod corpora dissoluuntur & sunt in eo aut potentia aut actu. *unde scribit Auerroes ad tex XXXI.* elementũ est aliquid in actu, cum compositũ dissoluatur in ipsum sed ipsum non dissoluitur in alia existentia in actu. *rectè S. Iustinus loquens vsus est verbo Aristotelico* [illegible], *nam elementum ab Aristotele sic rectè definitum, ἔστω δὴ στοιχεῖον τῶν σωμάτων εἰς ὃ τὰ ἄλλα σώματα διαιρεῖται ἐνυπάρχον, ἢ δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ.*

Vt autem agamus de primo loco, in quo [illegible] *Ari-*

stoteles dicere cælum esse compositum ex quatuor elementis more Platonico, sciendum in versione qua vsus est Auerroes sic legi: intelligo per substantias quatuor corpora simplicia, vt terram, & ignem, & duo corpora alia simplicia, & quod fit ex eis, vt animalia, & plantas. *vides quam parum fido interprete sit vsus Auerroes, vt prorsus digni sint magna reprehensione philosophi nostræ ætatis, qui contemnentes linguam Græcam, Aristotelem non possunt audire in sua loquentem lingua, necesse namq. est eos quandoq. impingere non inspecto græco fonte. Nec tamen laudo audaciam Francisci Vicomercati, qui cum esset peritus sermonis Græci non pauca correxit ex proprio iudicio & immutauit quem morē nonnulli etiam notant in Antonio Fabro, ingenioso Iurisconsulto. qui tamen passim inuertit Iurisconsultorum verba, & corrigendo ausus est aliò contorquere. Cuius culpæ non desunt qui dicant non esse immunem ipsum Cuiacium. Certè Edmundus Merillus vir inprimis eruditus ostendit in multis debere retineri lectionem Pandectarum, ex Florentina editione, quæ absq. dubio optima omnium est. sed ad rem.*

Etsi admodum disertè Aristoteles videatur dixisse cælum esse compositum ex quatuor elementis, quod ei obijcit S. Iustinus, interpretes tamen recentiores conantur præceptorem suum à repugnantiæ incommodo liberare, de quo quidem conatu liberum est ... iudicare.

Nam Simplicius nodum non videtur voluisse soluere, aitenim enim scribit: ignem & terram cum dixisset, adiecit, & coniugata his alia tria dicens simplicia scilicet quintum, & aerem, & aquam. hoc autem & quæcumq.

tamq. ex his composita omnia significat, quæ consequenter nominat scilicet totum cœlum dicens æthereum omne, & partes eius.

Diacetius vir doctissimus ex patritia nobilitate Florentinorum susus paraphrasi sic rem totam composuit, ne Aristoteles videatur asserere cœlum esse compositum ex quatuor elementis: sunt autem, *inquit*, corpora naturalia, quatuor elementa, quæq. ex his coagmentantur. præter hæc totum cœlum eiusq partes, animalia, & stirpes. *ita nodum relinquit insolutum.*

Lucillius Philalthæus egregius professor Peripateticæ philosophiæ sic se gessit, vt scripserit cœli nomine intelligi mundum, qui constat ex quinq. corporibus. mundana enim coagmentatio ex cœlo, & elementis conficitur atq. aliter vniuersum constat ex elementis, & corpora mixta: nam mundus ex his constat velut è partibus perficientibus molem eius sine permixtione horum inter se, & mutua alteratione.

Fatetur tamen nonnullos putasse cœlum intelligi quintum corpus cæleste solum. idcirco admirati sunt, cœlum componi ex elementis, & pueriliter censuerunt id dici ad opinionem Empedoclis. interpres sanè, quo vsus est Auerroes turbatus tali effato prorsus omisit, quod tamen reperiebatur apud Aristotelem. hinc Auerroes ipse nihil planè protulit, quod faceret ad dissipandam nebulam. tantum scripsit per substantias intelligi corpora simplicia mobilia, quæ sunt quatuor elementa, & composita ex eis, vt animalia, & plantæ. Mox subijcit Naturam considerare de corpore cœlesti, quod tantum non est ex quatuor, neq. ex composito

sto ex eis. *Atqui Aristoteles in græco exemplari, cui prorsus standum, videtur contrarium asserere. Videret admiratores Auerrois, an fas sit absq. hæsitatione eius premere vestigia in exponendo Aristotele. Ego profectò, si Deus vitam dederit, suo tempore ostendam, quam mutila versus fuerit versione Auerroes.*

Ad Philoponi expositionem quod attinet, etsi non negandum sit cœlum quandoq. accipi pro toto mundo, quo significatu accepit ipsum Plato in fine Timæi, & Aristoteles in inscriptione librorum de Cœlo, tamen in verbis prolatis apparet non debere sic accipi, nam fit mentio elementorum, plantarum, & animalium, & cœli. quod si nomine cœli intelligeretur totus mundus non singillatim nominaretur cœlum quasi distinctum à quatuor elementis, à plantis, & animalibus, quæ composita sunt ex elementis. valeat igitur Philoponus cum sua expositione.

Etsi autem nullum viderim, qui mihi satisfaciat, puto tamen facilè posse solui nodum, modò rectè collocentur verba, & vt collocatio requirit legantur. sic verba habent; dico substantias simplicia corpora, vt ignem, & terram οἷον πῦρ καὶ γῆν, & quæ sunt eiusdem cum his ordinis καὶ ὅσα σύστοιχα τούτοις *id est quæ sunt partes mundi hoc enim indicat* σύστοιχον *quasi coelementum id est simul pars mundi. subdit.* καὶ ὅσα ἐκ τούτων & quæcumq. ex his *hæc referuntur ad illud quod dixerat: & quæ connexa his scilicet quatuor elemētis deinde enumerat singillatim, quæ sint connexa quatuor elementis, & loquitur de toto cœlo, hoc est de oībus sphæris, siue omnibus corporibus cœlestibus, quæ rectè, sine dicantur* σύστοιχα *quatuor* στοιχείοις. *nam statim*

post

post elementum ignis reperitur corpus cœleste.

Illa autem verba; & quæ ex his, *non sunt coniungenda cum toto cœlo, & eius partibus, sed referenda ad animalia, & plantas, quæ componuntur ex quatuor elementis. vitaretur autem omnis ansa errandi si quis legeret hoc modo verba Aristotelis: dico substantias simplicia corpora, & quæ sunt eiusdem ordinis vt totum cœlum, & eius partes, & quæcumq. componuntur ex elementis, vt plantas, & animalia. qui inspexerit perpenderitque verba græca absq. dubio statim mihi assentietur.*

Superest, vt intelligamus qua ratione interpretentur interpretes Aristotelem vocantẽ cœlum primum elementorum.

Nam quod inexistat cœlum animalibus videtur ex eo posse colligi, quia Aristoteles alibi dixit, semini inesse aliquid respondens elemento stellarum. *vides hic nominari elementum stellarum, vides aliquid reperiri in semine, quod est à stellis. calorem cœlestem vocant interpretes. Ergò videtur elementum stellarum esse igneum à quo proficiscitur calor, itq. calor videtur redire ad stellas, si dissoluto composito vnaquæq. pars redit, & resoluitur in suum elementum, à quo manauerat.*

Simplicius sic scribit: Elementum autem cœleste vt simplex vocat, quia non mundi elementum est, vt ait Alexander, sed pars magis. Nam elementum per totum id, quod elementis constat penetrat, & his quæ cum ipso elementis simul commiscetur. primum dixit (πρῶτον στοιχεῖον) tanquam & positione, & tempore, & ratione causæ.

Diacetius simpliciter ait cœlum dictum elementum,

quia,

quia pars mundi præstantissima est.

Pius Athæus differt vocatum cælum elementum, quia pars est vniuersi, & elementum pars totius dici solet, ceu litteræ partes syllabarum elementa vocantur. reprehendit Simplicium, quod dixerit appellatum elementum ob simplicitatem.

Cælum est elementum non permixtum, sed efficientia sua & potestate miscet, & opportunum est ad perficienda omnia. Ergò saltem virtute & potestate adit mixta. Sol & homo generant hominem. vis ergò cælestis necessaria est ad permixtionem corporum.

Auerroes innuit sed non disertè dicit dici cælum elementum, quia corpus simplex.

Quod si dixisset in præcedentibus verbis Aristoteles cælum componi ex quatuor elementis, non potuisset postea ipsum appellare primum elementum.

Sed quid dicemus de calore cælesti, qui reperitur in semine, & respondet elemento stellarum? efficitur eiusmodi calor, non autem manat tanquam pars aliqua ab elemento stellarum. hinc ait vim eiam respondere hoc est affinitatem habere cum stellis. qui modus loquendi improprietatem denotat. nec stellæ propriè sunt elementum, sed ob vim, quam exerunt in inferiora corpora, inq. animalia proprij à dicuntur elementum eo ferè modo quo Aristoteles appellauit cælum elementum.

His interpretationibus si quis velit repugnare, contenderéq. non esse satisfactum S. Iustino, me quidem non inueniet morosum molestumq. altercatorem.

Potuisset sanè Aristoteles abstinere ab eo loquendi modo quo

quo cælum, elementum primum vocauit, ne quis putaret ipsum docere cælum commisceri corporibus inferioribus, & venire in compositionem, cum contenderit esse quintam substantia a toto genere distantem ab igne, aere, aqua, & terra.

De ijs qui prauo more architectati sunt opiniones ex S. Scriptura male intellecta, & detorta philosophia, Romæ se inferentes. Cap. CXXIX.

ANtequam Christianam fidem amplecterentur Imperatores, & conuocarentur concilia generalia, magna licentia vsi non pauci ex ijs, qui cupiebant inclarescere, & magni fieri, dogmata architectabantur, quamuis Christianos se vocarent, & Christi nomen profiterentur. Nempe Gentiles Imperatores, & præsides non probabant differentiam inter veros Catholicos Christianos, & reliquos qui proprias opiniones excogitabant, nam promiscue omnibus Romani Magistratus aut [illegible], aut etiam sub communi nomine Christianorum [illegible] negotium. ita mirum non est si tam multiplex ante Constantini tempora prauarum sectariorum genus extiterit, [illegible] in ipsa Roma suas nugas spargere, cum non præsto esset, qui illos cogeret parere Catholicis dictatis.

Plerique autem omnes à philosophia [illegible] sumebant, quæ interpolata, & obtuse detortis S. Scripturæ [illegible] vulgus spargerent. qua de re dubitare non [illegible], quando legimus Tertullianum, qui [illegible]

reticorum patriarchas, pluraq. in eandem sententiam depromit.

Ita fanatici homines neq. veri erant Christiani Catholici nec veri germaniq. Philosophi gentiles, sed mixtura quadam perquam inepta ex male intellecta S. Scriptura, ex male prolata philosophia monstra sententiarum construebant, in quã rem legi possunt veteres S. Ireneus, S. Epiphanius, atq. alij. Quis nescit magnum philosophum fuisse Origenem discipulum Ammonij, & condiscipulum Erennij, Plotinij, laudatũ summopere à Porphyrio? is igitur, si credimus S. Epiph. lib. II. tom. I. her. XVIII. Mortuorum resurrectionem reiecit, Platonicos proculdubio secutus. Christum creaturam, & spiritum Sanctum introduxit, teste eodem, impingens in ea, quæ tradit Plato de summo Deo, de Mente, deq. mundi anima. sed missis ijs, qui Romæ sese intulerunt, reiectis tamen à Sanctissimis Pontificibus Catholicis. Ita explosus est Nouatus Romanus. de Carpocrate sic Epiphanius: Huius fuit Marcellina illa in Roma. imagines fecit occultè Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, ipsisq. suffitum faciebat easq. adorabat. *idem de Cerdone:* Cerdo ex Syria Romam digressus, prædicationem suam exposuit, in temporibus Hygini Episcopi. *duo autẽ principia hic prædicat inter se contraria. Marcion sic describitur: quum Romam adijsset, & pœnitentiam, ac veniam petijsset ab his, qui illis temporibus illhic erant, & assecutus non esset, elatus est contra fidem, & tria principia induxit, ac docuit, Bonum, & Iustum, & Malum. Tatianus Marcionem est secutus. de Seuero narrat quod libros apocryphos introducit. Aduersus autem tenebriones abutentes ad suas nugas philosophia*

sert.

scripserunt Plotinus quoq. & Amelius, imò & Porphyrius. lubet autem transcribere, quæ idem Porphyrius ea de re narrat in vita Plotini: Erant Christiani *(non veri sed pseudocatholici)* eo tempore multi, tum alij tum ex antiqua philosophia egressi hæretici, Adelphij, Acyliniq. sectatores: qui Alexandri, Lybici, Philocomi, Demostrati, Lydi, plurimos libros circumferebant, & reuelationes quasdam Zoroastris, Zostriani, Nichotei, Allogenis, Mesi, aliorumq. eiusmodi palam ostendentes, & deceperunt multos, & ipsi decepti iam fuerant: asserentes Platonem intelligibilis essentiæ profundum minimè penetrâsse. quamobrem Plotinus multas in disputationibus suis in eos argumentationes intulit: scripsitq. contra eos librum, quem contra Gnosticos nos inscripsimus, nobisq. reliqua discutere, & iudicare commisit. Amelius autem libros quadraginta composuit contra librum Zostriani. Ego verò Porphyrius argumentationibus multis ostendi librum Zoroastri ab illis inscriptum adulterinum, nouumq. esse, & ab eis confictum, qui struebant hæresim, vt institutiones suæ esse Zoroastris crederentur. *Gnosticos porrò seipsos appellauerunt Valentiniani, ante quos erant primi Gnostici, turpissimè contaminati. finxerunt ipsi Euangelium Philippi, vt tradit idem Epiphanius. sic minimè mirum est, si confixerunt etiam reuelationes sub nomine Zoroastris, & aliorum.*

Quod autem de Carpocratianis protulit adorantibus philosophos cum Christo, id confirmatur etiam testimonio S. Irenæi lib. I. cap. XXIV. Vide & Marcellina, quæ Ro-

mam sub Aniceto venit, cum esset huius doctrinæ (*Carpocratis*) multos exterminauit. Gnosticos se autem vocant, etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem, & de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes formam Christi factam à Pilato illo tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt cum imaginibus Mundi philosophorum, videlicet cum imaginibus Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum.

De Marci Antonini summa diligentia in discenda philosophia. agitur de eius præceptoribus. Cap. CXXX.

INcomparabilis profectò videtur fuisse Marci Antonini erga philosophiam, & philosophos propensio. Iulianus in Cæsaribus memorat Marcum philosophiæ nomine dum inquit: Audiamus hunc Stoicum quid ex illis paradoxis, & mirabilibus opinionibus proferet. *rursus hæc leguntur apud Iulium Capitolinum:* philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. *Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi sumpsit. & deinceps tolerantiam cum studeret in pallio, & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. vsus est Commodi magistro vsus & Apollonio Chalcedonio Stoico philosopho.* Tantum autem studium in eo philosophiæ fuit, vt adscitus iam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij discendi causa veniret. *Audiuit & Sextum Chæronensem Plutarchi*

Ne-

Nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum Stoicos. peripateticæ verò studiosus audiuit Claudium Seuerum, & præcipuè Iunium Rusticum, quem & reueritus est, & sectatus, qui domi militiæq. pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicauit publica, priuataq. consilia.

Ita scimus pallium græcanicum sine tunica assumptum fuisse philosophiæ causa à Marco. nam eiusmodi pallium absq. tunica cõmunis fuit habitus omnium philosophantium. Principum quoq. liberi induebantur eiusmodi habitu, quando versabantur in studio philosophico, quod tradit de Iuliano Marcellinus.

Pallio addidit humicubationem quia tanquam philosophus vitam delicatiorem spernebat. Certè veteres contemnentes delitias vel super duro silice, aut nudo solo dormiebant. vel stoream aut psiathum, aut pelliculas substernebant.

Nec silendus est lectulus pellibus stratus. nam si humi cubabat, cur vtebatur lectulo? Mater nempe impellebat, vt quandoq. accubaret studiorum causa, à nocturno. notum enim est antiquos habuisse lectos lucubratorios vt vel locus Persij nos docere potest, dum ait: & quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Quos porro professores, præceptores Marci memorauit Capitolinus, eos in vita non excepit silentio ipse Marcus, vt intelligamus quanta gratitudine prosecutus sit Magistros suos diuinus discipulus.

Quis vero fuit Sextus Chæronensis? an Sextus Empiricus, cuius extat opus? Philostratus appellat Sextum ex Bœotia philosophum. hic si credimus ipsi Imperatori non pau-

ea excogitauit, quibus augeret philosophica dogmata. At Sextus Empiricus totus in eo est, vt sententias receptas destruat atq. euertat. Quare non est putandum Sextum Empiricum fuisse Marci Praeceptorem. sed dissimulandum non est pugnare inter se Iulium Capitolinum, & Suidam de Sexto Chaeronensi quando agitur. Etenim ille Sextum Stoicis accenset, hic Pyrrhoniis. sic enim loquitur Suidas: Sextus Chæronensis, Plutarchi ex sorore vel fratre nepos, philosophus, M. Antonini temporibus, Herodoti Philadelphæi discipulus Pyrrhoniæ sectæ, in tanta apud Imperatorem auctoritate, vt vnà cum eo ius diceret. *putarim tamen Stoicum fuisse Sextum ob summam familiaritatem quam habuit cum Marco, qui planè Stoicus fuit. at reclamat Suidas, qui ait sceptica ab eodem Sexto cõscripta fuisse. viderint igitur eruditi, quæ opinio melior.*

Omittendum porrò non est, quod recenset idem Suidas, post obitum Commodi Imperatoris, extitisse quendam, qui diceret se esse Sextum, atq. adeò petiisse successionem opum & dignitatis, qua vsus est, cum viueret verus Sextus. vt mendacio fidem inueniret multa rogatus à multis, non inscitè respondit: sed cum Pertinax Imperator de rebus Græcis cum percontaretur, quarum ille rudis erat; grauissimè impegit, cum verba ipsa non intelligeret: vsq. adeo vultu quidem natura, cætera verò studio illi similis erat, doctrina vero eadem exultus non erat.

Vnde obiter colligas eruditum fuisse in historia, atq. etiam, vt videtur, in philosophia Pertinacem Imperatorem, quem scimus à Senatu ad Imperium promotum, & appellatum

latum sanctissimum senem, quem Prætoriani ob seueritatem, & studium antiquæ disciplinæ cũ ferre non possent, interemerunt. Hauserant enim corruptelam disciplinæ à moribus Commodi, at Pertinax absq. dubio sub Marci Imperio laudatissimo artes, quæ facerent ad Imperium, induerat. Tanti porrò sceleris dignas dederunt pœnas perditissimi Prætoriani, cum Septimius Seuerus ad fastigium Cæsareæ Maiestatis pertigisset. Sed hoc forte est digredi; redeo ad Marcum, cuius nomini paruum epigramma inscriptum volo.

Candida simplicitas, generosi pectoris ardor,
Lucida mens, probitas, ingenuusq. pudor,
Cognitio Veri, Superûm sapientia cultrix,
Socraticæ chartæ, doctisicusq. labor,
Pluraq. circundant prælustri nomine Marcum,
Imperij fulcrum, Romulidumq. patrem,
Qui terras placidus tranquilla pace beauit
Et traxit promptos in sua vota Deos:
Aurea quinetiam mandauit dicta papyro,
Quæ probat, inq. sinu dia Minerua gerit.

Quantus in philosophia fuerit Marcus Antoninus, quantus item in gerenda Republica. Cap. CXXXI.

IN *summo fastigio honoris tunc fuit philosophia, quando Marcus Antoninus regnauit Romæ. vsq. adeò enim ipse Philosophiam complexus est, sanctq. philosophis, vt philosophus meruerit dici. de eo Iulius Capitolinus talia profert:* sententia Platonis semper in ore illius fuit, flore-

re ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur *audita* pud multas (*prouincias*) philosophiæ vestigia reliquit. Apud Ægyptios ciuem se egit, & philosophum in omnibus studiis, templis, locis, *illam sententiam:* omnia fui, nihil expedit, *quam Seuerus protulit inseruit libris de vita sua in qua etiam ait se à Sexto philosopho didicisse disciplinas propter se ipsas discendas. libro autem IV. refellit eos, qui negarent claritatem nominis, quæ contingit post mortem, bonum esse. lib. V. laudat orationem ad Deos simplicem, & liberalem, quæ opponitur emaci, sic enim vocatur apud Persium. Quid verò præclarius his fieri potest lib. III.* Assuefacere te debes ea solum cogitare de quibus si quis te repente interrogat, quid nunc cogitas? liberè possis atque statim respondere, hoc & illud: vt ex iis continuò fiat manifestum, omnia in te simplicia esse & mitia, & animanti ad communionem nato conuenientia: qui omnia spernat ad voluptatem spectantia. *Quæ autem didicit & scripsit probitate expressit, quod testatur Herodianus lib. I.* solus Imperatorum sapientiæ studium, non verbis, aut decretorum scientia, sed grauitate morum, vitæq. continentia vsurpauit. *Nec propterea segnius tractauit res bellicas, quam sibi ipsi vacauit, nec passus est se ab ipsa voluptate quam in philosophando experiebatur ad negligenda Reipublicæ commoda. Iulius Capitolinus satis superq. testatur, quantus fuerit in bellis quamq. assiduus in militaribus expeditionibus.* Gentes omnes ab Illyrici limite *vsq.* Galliam conspirauerant. Magno igitur labore etiam suo, gentes asperri-

mas

mas vicit, accepitq. in deditionem Marcomannos. Amici frequenter suaserunt, vt à bellis discederet, Romam veniret, sed ille contempsit, ac perstitit: nec prius recessit, quam omnia bella finiret. *pertinax nequaquam euasit, & suæ sententiæ non multum tribuit, quin libenter in omnibus consilio amicorum acquieuit. quod mirum videri debet. Nam scientia superbi multi, immò plerique euadunt. ipse autem planè robustas vires philosophiæ in summam moderationem animi, & modestiam [illegible]. Eant nunc contemptores philosophiæ, Proceres ignari, qui putant se tunc conspicuos esse nobilitate, si literarum omniumq. artium expertes sint. sileant etiam illi, qui clamant cognitione disciplinarum homines euadere ad negotia, adq. rempublicam ineptos. quid namq. in Antonino, tanto philosopho desiderari potest? summa certè cum laude gessit bella, hostes profligauit, Rempublicam beauit, nec'q. in se passus est desiderari, quod ad imperium è dignitate Maiestatis Romanæ gerendum faceret. hinc mihi rursus libet sic Marcum extollere:*

Induperatorum illustrem superare nitorem
  Virtutis radijs, gloria Marce tua est.
Gloria Marce tua est, contingere Palladis arces,
  Inq. apice excelsam constituisse domum.
Gloria Marce tua est, perfundere nectare mentem,
  Inq. Iouis mensa pascier ambrosia.
Marce tuum est, Verum dictis augere sophorum,
  Stoicidumq. nouas condere diuitias.
Gloria Marce tua est Germanis dicere leges,
  Et constrictum Istri perdomuisse gelu.

Parthorumq. dolos generosis frangere turmis,
Ne deinceps repleant Itala castra metu.
Ergò quam volupe est te, te memorare canendo,
Qui ceu sol dulci lumine cuncta beas.

Valde multos sub Antonino assumpsisse formam philosophorum, vt ditescerent. Cap. CXXXII.

Q*Vandoquidem tantopere philosophari amabat Antoninus, multi viri sapientes ea floruerunt tempestate, sic enim Herodianus:* Quo factum est, vt magnum sapientum virorum prouentum ætas illa tulerit. solent enim plerumq. homines vitam principis æmulari. *non pauci etiam vt ei placerent philosophi speciem assumpserant, vt sua commoda promouerent: hinc scripsit Iulius Capitolinus:* Fama fuit sanè, quod sub philosophorum specie quidam Rempublicam vexarent, & priuatos, *quod tamen ipse emendare non distulit. quamuis verba prolata possint intelligi non de præfectis, præsidibusq. sub forma philosophica latentibus, & in regimine populum onerantibus, sed de ijs, qui prauis religionibus vulgi animos inficiunt, vt sæpe ad rerum nouarum molitionem impellant. de hoc genere hominum editam fuisse constitutionem à Marco testis est Modestinus lib. I. de pœnis:* si quis aliquid fecerit, *&c*, quò leues hominum animi superstitione numinis terrerentur, D. Marcus huiusmodi homines in insulam relegari rescripsit. *Vlpianus lib. VII. de officio proconsulis:* Diuus Marcus eum, qui de

motu

motu Cassiano vaticinatus erat, & multa quasi instinctu Deorum dixerat in insulam Scyrum relegauit, *possit quis etiam accipere verba Iulij de ijs, quos multos numero valde ditauit Marcus, teste Dione, quibusq. tanquam philosophis largitus est immunitates, cum onere aliorum. Certè peccat Princeps, quando ingentem numerum hominum imò partem non exiguam in ciuitate donat immunitate, fit enim vt reliqui intolerabilem in modum onerentur. quod hodie euenire passim omnes viri boni, & prudentes deplorant sed frustra. Videndus autem est Lucianus, qui in pseudophilosophorum greges inuehitur aculeatis dictis.*

Nonnulla ex libris Marci Imperatoris de vita sua depromuntur, & explicantur. Cap. CXXXIII.

AD alios philosophiæ vel fautores vel mystas transirem nisi me detinerent libri, quos Marcus de sua exarauit vita. Etsi namq. tres aut quatuor sententiæ ex ipsa depromptæ fuerint in praecedentibus, cum tamen liber ille non ita vulgò prostet in bibliothecis, præsertim Italicis, non carebit forte commendatione labor, qui ex ipso aliqua dicta depromet, eisq. aliquid imponet lucis.

Libro primo plurima bona accepta fert Numini, inter quæ illud recenset, quod magnos in Rhetorica, poetica reliquisq. studijs progreßus non feci; quæ me fortasse detinuissent, si me feliciter proficere sensissem. *quod id præsi id proferat mirum non est, cum iam superius dixisse. se à Rustico præceptore didicisse, poesi esse abstinendum. Cur*

ita? an non aliquot egregij imperatores poeticam attigerunt? quia fortè ait Rusticus apud poetas multa legi, quibus mores boni [illegible] corrumpi, præsertim si legantur ab adolescentulis. [illegible] paret autem non abstinuisse prorsus à poesi Marcum, qui ait se non fecisse magnos progressus in poetica. nam de Rhetorica quoq. dixerat Rusticus, quod ipsa sit abstinendum. & tamen in eiusmodi studia fatetur se aliquatenus profecisse. quod videtur ad Astrologiam quoq. transferendum, à qua tamen narrat itidem se auocatum Marcus opera Rustici. Cur verò gaudet quod non adeò magnos fecerit progressus Marcus? Nempe quia ad huiusmodi studia tanquam ad sirenios scopulos hæsisset. videnda quæ in hoc ipso libro tradidimus superius, cum de Iulio Agricola, & Heluidio ageremus ex Tacito. quo referendum illud apud Persium:

non ego curo
Esse quod Arcesilas.

Id est non nimis philosophari, sed paucis, ne ad vitam ciuilem [illegible] impetus.

Quam vero minimè suspiciosus fuerit Marcus ex eo facto, [illegible] discere est, quia acceptum Numini fert, quod vxorem ita obsequentem, ita amantem, ac simplicem hab[illegible] *qualem generosa fœmina Faustina, at impudicam, [illegible] magna in luxu, ipsa libertate non [illegible] [illegible] annales. An igitur, inquies, suspicio[illegible] maritis? Respondere est, nec oportere esse suspiciosos maritos, nec prorsus negligentes in notandis ijs, quæ peccantur ab vxoribus. fallax enim est & subdolum fœmineum genus, ac præsertim in libidinem pronum.*

Quod vero recitat de somnijs Marcus? ait enim sibi data

in

in somnis remedia contra sanguinis exscreationem, & contra vertiginem. *Ignorandum non est illa tempestate apud Gentiles cognitione veri Dei destitutos increbuisse opinionem, qua putabant in somno immitti somnia, quibus indicarentur remedia contra morbos. hinc scribit lib. V.* dicimus Æsculapium huic equitationem, illi lotionem in frigida, alteri ut nudis pedibus ambulet iniunxisse: hoc est ordinasse, *ob respectum ad sanitatem. Talis superstitionis in eum non est, si indulsit Marcus. At, inquies, praesto erant Medici. dixi sane ipse, frequenter decipi Medicos, quod maxima sit corporum varietas prorsus singularis, adeo ut quae prosunt uni, alteri potius obsint, vixq. humanum ingenium idoneum esse ad explorandam conditionem singularem cuiusq. corporis. Ergo Gentiles in templis captabant somnia, ut à Dijs discerent remedia morbi, qua de re diligenter egi in meo libro de somnijs, quem Deo dante aliquando publicae committam luci.*

Numini quoq. acceptum fert quod cum animum ad philosophiam adiunxisset, non inciderit in sophistam, nec in scriptoribus desederit, vel in syllogismis dissoluendis doceretur, aut in meteoris tractandis.

Annon consilij nostri est praeceptorem eligere? imò opus est felicitate ut inuenias praeceptorem verè sapientem. quam multi enim euasissent doctissimi, si habuissent egregios doctores. Saepe enim fit, ut adolescentes ijs maximè fidem habeamus quibus minimè oportet. Ego autem Deo quoq. gratias ago, quod mihi puero voluerit dare praeceptorem per eruditum Petrum Menghinum, & in Germania cum ulterior cultus ingenij esset capessendus habuerim magistros

Otho-

Othonem Gryphium, Paulum Bombergerum, & Christophorum Vilconerum. recensenda quoq. felicitas est, quia Romæ incidi in eruditissimum hominem Antonium Quarenguum, quem quotidiano comitatu sectatus sum quinquennij integri spatio.

Sed quid de meteoris dicit Marcus? annon fas est de Meteoris agere? forte gaudet, quod non magnam temporis partem tribuerit Meteoris cognoscendis, sed potius appulerit animum ad philosophiam moralem, quæ bonos efficit viros qua in re imitatus est Socratem, qui apud Ciceronem dicitur philosophiam è cœlo deuocasse. Seneca porrò videtur contemnere philosophiam naturalem, cum parum aut nihil ad nos faciat scire, cur fluat, refluatq. mare. ipse verò quasi sui oblitus composuit libros Quæstionum naturalium, quarum tamen lectio non soluit omnes nodos quibus Metera inuoluuntur. Aristoteles etiam multa promunt tanquam vera, quæ nescio an solido nitantur fundamento. ipsi scilicet sciunt quomodo fulmen generetur. de cometis habent omnia explorata, quos non dubitant omnes gigni infra lunam, quamuis sit inter ipsos aliquis ex recentioribus, qui putat esse quosdam cometas supra lunam. quod si cometa gignuntur in ætherea regione quid fiet de Aristotelis doctrina quæ non patitur vllam fieri in cœlo generationem, aut corruptionem?

In V. libro hæc leguntur verba: Mens quæ mundũ gubernat, societatis rationem *habuit*: itaq. & inferiora præstantiorum causa effecit. *præclara sanè verba. Nam Stoici docebant cum Platone effecisse mundum, nec assentiebantur Aristoteli, qui negat à Deo manasse mundum*

sed

sed ipsi Stoici commiscebant cum mundo Deum, ac si eius forma foret, & aiebant Deum esse corpus, & ex materia rudi, quæ creata non foret, condidisse hanc machinam. Nos ex nihilo dicimus conditum mundum, & Deum intimè sua substantia adesse rebus creatis, ita tamen vt non commisceatur, nec sit pars, nec conflet. interim verba à Marco prolata, si nihil ex nugis Stoicorum assuatur, optima sunt & veritati prorsus consentanea.

Genium si quis cupiat sibi enarrari à Marco, dicet lib. V. datum à Ioue suæ quandam particulam naturæ vnicuiq. præsidem ducemq. nimirum mentem atq. rationem. Quæ partim Stoica, partim Platonica sunt. Stoicum est quod δαίμων *Genius sit* ἀπόσπασμα *Iouis, aliquid quasi decerptum à Ioue. Horatius mentem appellauit diuinæ auræ particulam. Platonicis genius est præstantissima pars animæ, quod tradit quoq. Imperator. probabilius tamen est secundum eosdem Platonicos Genium non esse partem animæ, sed ei assistere, & esse aliquid distinctum ab anima, imò & à mente. Christiana sanè religio Angelum Custodem non confundit cum anima. sed iuuat de Genio audire alibi loquentem Marcum libro nempe secundo:* philosophia in hoc consistit, vt genium, qui in te incontaminatum conserues, atq. illæsum voluptatibusq. & doloribus superiorem. *appellat græcè* ἔνδον δαίμονα. *quæ ostendunt putasse Marcum esse Genium nihil aliud, quam mentem animæ, & rationem, cæteroqui cur iuberet nos eum conseruare illæsum, & incontaminatum?*

Multa de fato profert Marcus, quæ quis putet etiam ad Aristotelicam siue, vt melius dicam, Alexandream accede-

ut sententiam, nihilq. aliud esse, quam nexum causarum naturalium. in quo nexu homini, cum ratione vtatur, relicta est potestas abstinendi ab ijs, quæ verè mala sunt, hoc est à vitijs, atq. adeo virtuti operam dare. sunt dij, *inquit*, & rerum humanarum curam gerunt, & vt ne homo in ea, quæ reuera mala sunt, incideret, id quidem in eius potestate posuerunt: in reliquis rebus si quid mali incidit vtiq. & hìc ei prospexissent, ne omninò in malum incideret. *sic tuetur Stoicum decretum, quod sola virtus bona sit, vitium malū, reliqua nec bona nec mala. Cur ita? quia non est positum in nostra potestate vitare paupertatem, morbum, & talia. Ergò mala non sunt. nam si mala forent, dij dedissent homini ea vitare.*

Quod autem dij sint, & quod curent res humanas probat, quia cæteroqui quid attineret viuere in mundo, Deum ac prouidentia vacuo? absurdum scilicet est dicere nos frustra hic esse, & nullius finis causa. Valeant ergò Athei, abeant in malam maximam crucem Epicuri de grege porci.

Sed si persuasum est Marco Deum esse, & humana curare, cur ait vniuersa ista esse in opinione, *quod ait patere ex ijs, quæ à Monimo Cynico disputata sunt? & alibi ait neminem esse certum se quando esse visum præbet non errare. sed eiusmodi dictum cum grano salis est accipiendum, ne quis putet, quod Academicam sententiam adstruit. Stoici professi sunt aduersum Pyrrhonijs, & Academicis. Ergo de sententia, quod omnia sita sint in opinione [illegible]* perspicua est [illegible], quod dictum est vtilitas, si quis catenus eius [illegible] admittat, quatenus veritati congruit. *Non absolutè igitur accipiendum est eiusmodi axioma.*

Q[illegible]

Quærit lib. XII. cur dij nonnullos homines apprimè bonos semel fato functos non reducunt? respondet Deum aliter instituturum fuisse, si aliter fieri expediuisset. dolendum est Marco gentili ignotum fuisse de resurrectione dogma, quod tamen apud Iudæos Sadducæi reijciebant. At Pharisæorum sententiam asserunt S. Literæ, & ipse Seruator eiusmodi arcanum reuelauit.

Plura recensere supersedeo, ne institutum deserere dicamur.

De Arriano, qui composuit Enchiridium Epicteti. Cap. CXXXIV.

GLoriare Nicomedia clarissimo ciue Arriano, cuius laudes quis queat digna complecti oratione? An memorem ipsum ob facundiam, & elegantiam sermonis meruisse dici nouum Xenophontem? magna sanè gloria exæquari Socratico discipulo quem aliqui putant ne ipsi quidem concedere Platoni. At Arrianus cum eloquentia coniunxit seueritatem philosophicam, & probitatem morum excelsam, cum diligenter adhæserit decantatissimo Epicteto, cuius aurea dicta non est passus interire, sed conflata in exiguum librum vocataq. Enchiridium commisit publicæ luci. Cum autem videret ambabus manibus ab omnibus exceptum aureolum libellum, illum ipsum putauit vberiori expositione illustrandum, ne breuitas cuiquam officeret cupienti pertingere ad verticem Stoicæ sapientiæ. Accedit, quod Simplicius, qui diu post Arrianum vixit, explanandum idem opusculum susceperit, vt magis ac magis, intelligamus quan-

ti sit faciendus Arriani labor. Sanctus profectò Carolus Borromæus, cuius sanctitas vniuersum Christianum orbem superioribus annis traxit, sui profectus non vltimam causam fatebatur fuisse assiduam Enchiridij Epicteti lectionẽ. ò igitur memorabilem operam Arriani, qui moribus hominum corrigendis, imò perficiendis, tam feliciter velificatus.

Multa alia monumentis literarũ mandauit ad res gestas, & Geographiam facientia quæ licet non sint Stoica, à philosophia tamen non abhorrent, cũ historia & descriptio orbis terrarũ videatur esse philosophiæ, quæ de moribus agit, appẽdix.

Gratulandum porrò est Arriano, qui incidit in tempora sanè fauentia philosophicæ sapientiæ; claruit namq. sub Adriano, Antonino, & Marco laudatissimis, & sapientissimis Imperatoribus, à quibus tanti constat factum Arrianum, vt ad fasces euectus fuerit consulares. Quæ porrò pluribus verbis de Arriano dixi, ea Epigrammati includere sum conatus:

Aurea cum veteris describam tempora Romæ,
 Et memorem fastos diua Minerua tuos,
Haud fas est ingens Arri transmittere nomen,
 Aut tanti sophiæ transiluisse viri.
Pellæi Iuuenis narrauit gesta secundo
 Mercurio, terras dixit & Oceanum.
Gnauus Epicteti libauit candida dicta,
 Sedula apis flores carpit vt Hybla tuos.
Hinc adeò felix immensa in luce Quiritum
 Floruit, & Consul fascibus emicuit.
I nunc insipidum vulgus, calcaq. Lycéa,
 Si Sophus æterna Consul in vrbe fuit.

De Arnuphi philosopho, vel Mago reijcitur quædam narratio, quæ reperitur apud Suidam. Cap. CXXXV.

ARnuphis Ægyptius philosophus apud Suidam dicitur sub Marco Imperatore philosopho floruisse, quẽ Suidas hæc quoq. addit: Cum aliquando, Romani siti laborarent, effecit, vt subito nubes obscuræ existerent, & ingentem pluuiam effunderent, cum tonitruis & fulguribus crebris adiunctis, Iulianum Chaldæum hoc miraculum edidisse. *Vides quanta sæpè sint Suidæ collectanea, debuisset enim subiungere quid Christiani scriptores ea de re tradidissent, vt mendacium de Arnuphi confutarent. Dio sanè Cassius, vt refert Xiphilinus, scripsit famam fuisse Arnuphin Magum (fortè apud Dionem legebatur philosophum) Ægyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum, qui est in aere, aliosq. dæmonas quibusdam artibus Magicis inuocasse, ac per eos pluuiam elicuisse. quem mentiri mox tradit Xiphilinus, quem non posset ignorare, legionem militum quæ fulminatrix appellatur proprio nomine ex nulla alia causa, quam ex eo, quod in bello contra Quados accidisset. quæ causa tunc etiam Barbaris exitij, Romanis salutis fuit, non Arnuphis ille Magus, quum nusquam memoriæ proditum sit Marcum magorum societate, aut præstigijs delectatum fuisse. in sua vita certè quæ scribit satis ostendunt se impostorum, & præstigiatorum artibus nequaquam addictum fuisse.*

Xiphilinus porrò rem totam deinceps narrat, quæ petita

est tum ex Iustino, tum ex Eusebio, quae cum notissima sit, & passim apud omnes eos, qui de veteribus Christianis agunt, prostet tali repetitione abstineo. Eius interim volui meminisse, ne cuiquam narratio inserta collectaneis Suidae negotium facessat, molestiamq. creet.

Non parum Romae auctam philosophiam opera Galeni. quando his floruerit? Cap. CXXXVI.

ETsi Galenus medicus fuerit, & de medicina plurima scripserit in patriam postquam rediit, (Pergamenus namq. fuit) tamen quia etiam philosophia excelluit, multa philosophica suis operibus inseruit, & aliquandiu floruit Romae non semel ad vrbem accedens, quandoq. etiam illuc vocatus ab Imperatoribus, non est praeter rem, si referatur ad dissertationem de statu philosophiae apud Romanos. Vixit autem narrante Suida sub Marco, Commodo, & Pertinace. ipse profectò in libro de proprijs libris ait se cum secundo Romam venisset, recuperasse nonnulla ex suis opusculis. testatur ibidem se amico cuidam Platonico dedisse libros, & dedicasse opus de Voce viro consulari Aristotelicam philosophiam sectanti. perorauit in vrbe publicè contra Martialem, cumq. tribus praeterea annis Romae fuisset versatus, docendo publicè, & monstrando, ingruente magna peste, confestim vrbe excedens in patriam properauit; agebat tunc septimum, & tricesimum aetatis annum.

Narrat porrò eiusdem libri de proprijs libris cap. II. literas sibi redditas quibus euocabatur ab Imperatoribus, & non

non pauca profert de Vero, de Antonino, & de eiusdem Antonini profectione, relicto Commodo, aduersus Germanos, cui expeditioni cum diutius immoraretur ipse scripsit libros de Hippocratis, & Platonis dogmatibus. Ne verò diutius Galenicæ vitæ incumbam sufficit dicere non parum accessisse Romæ ornamenti, & incrementi philosophiæ, cum Galenus suam omnibus probaret diligentiam.

Nunc fert animus versiculis eximium virum prosequi, ipsi ita habent:

Applaudit Galene tibi, quicumq. vetustam
Amplexus sophien aurea dicta legit.
Nam Capitolinam bis terue profectus ad vrbem
E latebris verum visus es eruere,
Aduersusq. vafros bellum gessisse sophistas,
Dardaniæ læto Palladis auspicio.
Hinc etiam liber hic merita te laude recenset;
Dum Latiæ memorat fulcra verenda domus.

Merita Galeni magis hodie agnoscerentur in philosophiam, si extarent omnia, quæ exarauit monumenta. at perierunt pleraq. philosophica, perdurarunt q. libri ad facultatem Medicam facientes.

Inprimis multa ad Demonstrationem spectantia composuerat, vniuersamq. logicam illustrantia, quorum quædam perierunt quando templum Pacis conflagrauit, vt ipse narrat in libro de proprijs libris, vbi non pauca leges, ex quibus cognosces quantus fuerit in Dialecticis, quamq. gnauiter Methodum in illustri luce collocare sategerit.

Ex quibus etiam intelliges non putasse Galenum à solo Aristotele petendam Logicam, ipsumq. vnum esse Logicæ

parentem

parentem, cum Galenus in alios quoq. scriptores Logicæ suam exercuerit diligentiam. At hodie vulgares homines putant soli Aristoteli tribuendam laudem, quando de Dialecticis instituitur sermo.

Nonne etiam disertè fatetur se conscripsisse commentarios in libros syllogisticos Chrysippi, & aliorum Stoicorum?

Enumerat ibidem opera quæ composuit spectantia ad moralem philosophiam, quorum pleraq. interciderunt.

Nec sunt ea verificantia Platonicæ philosophiæ, & Aristotelicæ, tum Stoicæ. quid quod ait se euulgasse duos libros de fœlici, & beata vita secundum Epicurum, & alia itidem conscripta secundum Epicuream sectam.

At, quæret aliquis, qui hæc audit: Cuius sectæ in philosophia fuerit? al cuius ne aut nullius? quod omnium sectarum voluerit cognoscere dogmata, & fundamenta quæ iam iam protulimus ostendunt, ostendunt etiam opera quæ ad hunc hodie in manibus nostris versantur. Nescio enim an vllus mortalium extiterit auidior Galeno, adeò gnauiter incubuit ijs omnibus, quæ quomodocunq. possunt hominē erudire, & doctiorem facere. Existimauit profectò debere eum qui velit esse optimus Medicus, esse philosophum, & pecuniam contemnere, vt tradit in libello: Si quis optimus Medicus est, eundem esse philosophum. philosophiam autem tribuit Medico tergeminam logicam scilicet, physicam Ethicam. apparet etiam eum non compellere intra angustias philosophiam, aut vni Aristoteli addicere, sed latissimè velle patere, vt complectatur vastam rerum diuinarum humanarumq. cognitionem, qualis quidem in ipso emicuit.

Hinc colligimus eos, qui Medicinam faciunt ea præcipuè

pui de causa vt ditescant, & vt ipsorum phresi vtar, ex stercore ægrotorum aurum pareant, non posse esse optimos Medicos. Cur ita? quia pecuniæ inhiant, & philosophi non sunt. Mirum autem non est, si nonnulli ex ipsis non Medici sint sed venefici. verba Galeni diserta sunt: si quis arte Medica vsurus sit, ei philosophia opus est, cum non desint, quos tam pecuniarum cupidos sæpe videamus, vt venefici, non medici sint.

Quam multos vero ignari, & auari homines interficiunt. statim enim prosiliunt ad præbenda pharmaca, statim arrepto calamo, ægroto vix viso, in chartula scribunt quæ petenda sint à seplasiario, & non sine risu, & gesticulatione sanitatem, vires decumbenti spondent perinde ac si sanitas amissa vix vllo negotio ad pristinum statum reuocari posset.

Quæ dum proferuntur non interim culpatur Medicina, nec docti probiq. Medici reprehenduntur. Tantum monemur ne temere nostram valetudinem committamus ignaris quibusdam barbaris, garrulisq. Medicis, non Medicis, quos videas per vrbem non incedere, sed cursitare, vt eadem die plures ægrotos inuisendo marsupium onustum domum referant; cum non sint solliciti de salute aliena, sed de proprio emolumento.

Culpandi verò etiam sunt, qui tales Medicos consulunt nam multi suam vitam decurtant, dum eam prorogare alsq. modo cupiunt, qui enim ob ætatem, ob labores exantlatos in aliquem statum incidere qui non prorsus respondet animo suo, & illo statui, quem iuuentus & virilis ætas præbebat aduocat Medicum, creditq. se exhaustis pharmacis ad ætble-

tiuum

elcum rediturum robur, vt possit pro lubitu cibo, potui, Veneri alijsq. indulgere. Atqui debebat nosse mortales nos esse & quotidie nostris viribus aliquid detrahi. Ergò satius est qualiqualis potius vti valetudine, quam efflictando, quæ haberi nequeunt, omnia in corpore nostro conturbare, & se tandem perdere.

Gulæ, & Veneri imperandum, si quis nolit immatura morte abripi. labores ne nimij sint. ex vsu diuturno memoria repetendum quid sibi proficiat, quid cuiq. incommodet est enim cuiusq. corporis singularis conditio, quæ non est explorata penitus nisi sibi ipsi. Nam non potest Medicus exactè, & singillatim nosse ex vna atq. altera interrogatione qualis sit corporis tui constitutio. hinc contingit etiam egregios cæteroqui Medicos decipi, quia quædam ipsis latent quæ tamen ægroto cognitissima sunt. quibus obseruatis sæpe tu ipse absq. Medico facili negotio occurrere potes morbo imminenti longè melius, quam si à nutu penderes Machaonio, quod ego sæpe ac sæpius sum expertus: cum naturæ ipsæ sint morborum medicatrices, ex vulgari sententia Hippocratis. quam quidem naturam si iuues detrahendo, aut addendo, vt tibi videtur postulare status corporis tui, in portu collocatum te videbis, & lætaberis. Hinc Tiberius, vt est apud Tacitum. Iudebat Medicorum artes eosq. irridebat qui post tricesimum ætatis annum ad internoscenda corpori suo vtilia vel noxia, alieni consilij indigerent. quæ verba cum publicè aliquot abhinc annis interpretarer, non pauca protuli forte profutura, si cum alijs meis recitationibus in eundem Tacitum aliquando in publicam prodeant lucem.

6 annal.

Ad

Ad latitudinem autem philosophicam Galeni vt reuertar quæro ex nostratibus Medicis, cur Galeni quem admirantur exemplum non sequantur cognoscantq. omnium sectarum philosophicarum hypothe ses, & argumentationes? Cur in philosophia nihil nosse velint, nisi quod adolescentuli audiuerunt ab ijs qui Logicam, & physicam Aristotelis exponunt? Ergò Galenum quidem vocetenus extollunt, reipsa autem deserunt, atq. contemnunt. nam ipse ex omnibus sectis sumpsit, quod videbatur probabilius, & suo Marte multa excogitauit, & defendit parum sollicitus de Peripateticorum decretis; nec vllius scholæ voluit esse discipulus, iam vir factus, nullamq. sectam prorsus sibi placere palam ostendit.

Refertur, & aliquatenus reijcitur sententia Galeni de pulchritudine. Cap. CXXXVII.

IGnoscat lector, si ad ea, quæ superius protuli de Galeno, addam aliquid, quod vt facerem effecit sermo, habitus nuper cum deambularemus ad Arnum aliquot ex numero professorum, verba namq. commutata sunt de pulchritudine, quam dicebamus in viro esse dignitatem formæ, & in genere esse proportionem partium cum venustate coloris. subiunxi ego, non videri Galenum rectè metitum pulchritudinem operatione. sic enim scribit lib. 1. cap. IX de Vsu partium: Vere pulchritudo nihil aliud est, quam constitutio optima, quam actionibus iudicabis, Hippocrati credens, non albedine, non mollitie, vel id ge-

nus alijs per quæ non natiua, non vera, sed fucata, & adulterina pulchritudo ostentatur, quò fit, vt alia quidem corpora mango, alia Hippocrates laudaturus sit: *paulò post pulchritudinem rursus* ad actionis bonitatem, & virtutem *existimat* referendam. *Communis autem hominũ sententia, & opinio de pulchritudine videtur repugnare Galenicis verbis. Nam corpus quadratum, valde masculum, mediocris staturæ, non procerum, potius infra quam supra mediocritatem constitutum, aptius est in viro ad obeundos labores, præsertim militares, taliaq. fere erant corpora veterum Romanorum, qui corpora admodum procera & excelsa Germanorum facilè contemnebant, imò superabant. Nemo certè negabit magis sana esse corpora virorum mediocria, quam quæ valde oblonga, & excelsa sunt scriptores tamen consentiunt ad formæ virilis dignitatem, atq. adeo pulchritudinem valde facere proceritatem. hinc ille de Turno:*

& toto vertice supra est.

Et nota sunt quæ de Xerxis pulchritudine referuntur, nec nos latent verba Plinij in Panegyr. quibus ait humerorum proceritate suspiciendum fuisse Traianum.

Candorem genarum ad pulchritudinem facere nemo sanæ mentis negauerit, præsertim in fœminis, robustiores tamen censendæ sunt illæ, quarum cutis non ita candida est, quam Itali appellant aut oliuastra, aut bronzina.

Cutis mollis itidem sub pulchritudine continetur. fatetur autem Galenus mollitiem non conducere ad robur, ad virtutem, & actionis bonitatem. vbi dissimulare non possum nouæ difficultatis inuolui Galenum. nam qui cute subtiles,

& mol-

& molles sunt, ingeniosi sunt, atq. adeò ingeniosæ homicantis habent operationem. ijdem tamen imbecilliores sunt, & non ita apti ad obeundas operationes corporis. Ergò Galenus videtur tantum habuisse rationem operationis corporeæ, non ingeniosæ. quod tamen sit obiter dictum.

Repugnat Galenus Homero, qui quendam ex ijs qui proficiscebantur in bellum Troianum dixit fuisse omnium pulcherrimum, eundem tamen minus aptum ad obeundos labores militares, & pugnandum. quod etiam videtur pronunciandum de Paride.

Supercilia, vt ornent oculos non oportet esse densa, cum densitas illa toruum faciant hominem, sed debent esse rariora, & pilis valde tenuibus. quod si quis habeat densa supercilia, & quidem constantia pilis crassioribus robustior apud omnes censebitur esse, non item pulcher.

Ad pulchritudinem fœminei corporis facit, si habeat corpus gracile, procerum, rectum, iunceumq. qua de re nullus superest ambigendi locus. sed longè robustior erit, & aptior ad operandum si breuior sit, si musculosa, multaq. carne prædita, si ossa non ita subtilia. nam partes solidæ, & præsertim ossa in corpore humano quo maiora sunt, eo magis resistunt ingruentibus malis, & morbis. dum lu corpus molle, tenerum, gracile, quale est illud quo pulchræ puellæ prædita sunt, vel vna periodo febrili valde concutiuntur & conteruntur. quod de corporibus densis, crassis solidis firmisq. dici non potest.

Subtiles, & oblonge digiti in manu puellari ad pulchritudinem manus conducunt, sed non conducunt ad robur firmamq. apprehensionẽ. quod si digiti non ita sint longi, sed ma-

gis offis, & latiores siue crassiores longè melius apprehendent, & apprehensa tenebunt.

Laudatur in puella breuis, & exiguus pes, vt dicatur pulcher. at si latior, oblongiorq. sit magis conduceet ad sustinendum corpus, & ad iter obeundum. singula non memoro, quæ ostendunt pulchritudinem corporum. hoc dico Medicorum non esse proprium munus de pulchritudine iudicare, sed eorum qui amant, quiq. diu in obseruandis pulchris corporibus se exercuerunt.

Adde neminem negare optimos Milites peti ex agro. Cur ita? quia ipsorum corpora durata sunt laboribus, cum tulerint æstum, frigus. hinc adeò fit, vt aptissima sint obeundis muneribus militaribus. ipsa tamen rudia existunt, minimeq. pulchra. At corpora ciuilium hominum, quiq. semper degerunt in vrbibus mollia sunt, si comparentur cum corporibus rusticorum. Eadem pulchra sunt, sed minus apta bello. quæ magis ac magis confutant Galenicam de pulchritudine sententiam.

An Medicina sit scientia, & quidem secundum Galenum? Cap. CXXXVIII.

DE Medicina definienda qui disserunt aliqui putant etiam secundum Galenum eam esse scientiam propriè sic dictam. contra quod effatum, cum nuper exortus esset ea de re sermo, has architectatus sum argumentationes absq. multa mora, sed animi causa.

Omnes nationes semper habuerunt Medicinam, teste Plinio. non tamen habuerunt scientiam, cum multi populi sint

exper-

expertes scientiarum. Non ergo Medicina est appellanda scientia. si dicas falsum esse viguisse apud omnis populos Medicinam, quandoquidem non omnes habuerunt Medicos. Certè antiqui Romani, & quidem etiam tempore Catonis Censoris caruerunt Medicis, qui valde serò admissi sunt in vrbe.

Respondendum est, aliud est carere Medicina, aliud Medicis. videtur enim posse esse Medicina absq; Medicis. Medici namq; propriè illi sunt, qui lucri causa inuisunt ægrotos, & præscribunt pharmaca. Plinius ergò putat viguisse Medicinam apud populos, etsi non essent Medici.

Serui & liberti apud Romanos exercebant Medicinam, & Medici erant. Carebant tamen scientia. hinc consequitur Medicinam non esse scientiam.

Empiricorum secta in Medicina erat secta tolerabilis, vt testatur Galenus, & empirici vere erant Medici, fatente Galeno, & tamen carebant scientia. sic asseres non debere connecti scientiam cum Medicina. dices, si Empirici erant Medici veri cur eos Galenus passim oppugnat? dico, Galenum putasse sectam Rationalium esse optimam Sectam hoc est præferendam alij cuiuis sectæ in Medicina, non propterea negat Medicos alterius sectæ esse Medicos. nonne valde vexat Erasistrateos, cum tamen Erasistratus, qui floruit paulò post tempora Alexandri tantam famam sit adeptus, vt Hippocratis gloriam fere funditus euerterit, teste eodem Galeno, quamuis satagente eodem Galeno non parum labefactata fuerit secta Erasistrati, & cœperit denuò maiores fieri Hippocratica. Etenim testatur Plinius nullam disciplinam, tanta varietati fuisse obnoxiam vt fuit Medi-

dna. fecit igitur Medicinam Erasistratus, & habuit successionem non interruptam suorum sectatorum serie aliquot seculorum. quis ergò neget Erasistrateos fuisse Medicos, & quidem egregios, quibusq. meliores vix censebantur esse tunc? quod protuli, vt ostenderem Empiricos fuisse Medicos etiam secundum sententiam Galeni; ipsi tamen carebant scientia. quid deducis ex meis dictis? Medicinam non esse scientiam.

Medicina est detractio, & additio, vt fatentur omnes. non ergò est scientia. nec est, quod dicas non sic definiri Medicinam. hoc est repugnare veteribus. non enim definitiones censendæ sunt malæ, etsi forte non semper congruant cum Logica Aristòtelis; certè Hippocrates multa definiuit absq. legibus Aristo eleis, cum ante ipsum vixerit. Ridiculum quis neget esse velle metiri dicta Hippocratica iis, quæ post ipsum excogitauit Aristoteles?

Hippocrates in libro de Natura humana ostendit vanam esse subtilitatem, quæ exercetur cum philosophis, quando de Medicina agitur. sic videtur existimasse Medicinam non esse scientiam.

Antiquissima Medicina habebat rationem victus, & in morbis confugiebat ad frugalitatem, aut cæteroqui aliquid immutabat in cibo, & potu. Hoc si verum est Medicina non est appellanda scientia.

Ipsa animalia habent Medicinam, vt videre est in canibus, felibus, ceruis, hirundinibus aliisq. feles quando prodire non possunt vt sumant herbam, quæ ciet vomitum, instar herbæ decerpunt virgarum extremas particulas, quibus irritatus ventriculus superfluum humorem protinus

eiicit,

eijcit, & ita melius habet. Animalia carent scientia, non carent Medicina, Medicina igitur scientia non est.

Quæ omnia subijcio lubenter doctissimorum Medicorum, quales aliquot habet hoc Gymnasium censuræ, & iudicio.

Denuo quædam de Galeni omnimoda cognitione depromuntur. Notantur aliqui Medici, qui Galenum iactant. agitur de cognitione linguæ Græcæ, & aliarum linguarum. Cap. CXXXIX.

R*Epetenda sunt adhuc quædam ex veteribus in laudem Galeni, vt inscitia Critices, philologiæ, historiæ, qua multi Medici laborant, qui tamen pleno ore se Galenicos profitentur, castigetur. Suidas sic:* Galenus celeberrimus Medicus Pergamenus, qui sub Marco, Commodo, & Pertinace Imperatoribus Romæ fuit filius Niconis Geometræ, & architecti. Multa scripsit non tantum medica, & philosophica, sed etiam Grammatica, & oratoria. *Si Galenus, vt euaderet perfectus Medicus, tantum profecit in philologia, & omnigena eruditione, cuius adminiculo quam multa exposuit in Hippocrate, & quandoq. vt non Hippocratica reiecit, quod videre est in commentario in Aphorismos eiusdem Hippocratis, nonne deploranda est eorum Medicorum conditio qui Græce ne quidem legere sciunt, & tamen Galenum putant se optimè interpretari? Quicquid ipsi argutentur, mutili sunt in Medicina, græca linguæ ignari. Certe doctissimi*

ui nostræ ætatis Medici eruditione conspicui fuerunt, & græcè docti. Tales fuerunt Gorræus, Duretus, Rondeletius, Mercurialis, Guastauinus, Heurnius, Hofmannus, Septalius, atq. alij.

Videamus iam quid præter Suidam aliquis alius antiquus prodiderit de multiplici rerum cognitione, qua præditus fuit Galenus. Athenæus, qui floruit sub Marco inter dipnosophistas recensuit Galenum. omnes autem conuiuæ, quos induxit fuerunt variarum rerum peritissimi siue Iurisconsulti essent siue Medici. de Galeno sic epitomator, ex Medicis præsentes fuerunt Galenus Pergamenus, qui tot editis voluminibus philosophiam Medicinamq. locupletauit, vt superiores omnes à tergo relinquerit & *κατὰ τὴν ἑρμηνείαν* interpretationis claritate, & eloquentia nulli antiquorum postponendus. *Sed, inquies, cur non fit mentio scriptorum Galeni philologicorum, & tantum philosophicorum, & Medicorum fit mentio? suspicaberis cum eruditissimo Casaubono addendum φιλολογικά. sed in epitome mirum non est omissum. Certum alioqui est philologica emanasse à Galeno. Tales libri erant de dictionibus Atticis libri XLVIII. Nominum* πολιτικῶν *politicorum, quæ apud Aristophanem libri V. eorum quæ apud Cratinum libri duo. de vocibus quæ sunt Comicis propriæ liber singularis, & alia eiusdem generis.*

Iam interpellat me aliquis non peritus linguæ Græcæ, & ait Galenum tantum Græcè fuisse doctum. Ergò sufficit vt quis sit Medicus, si vnius linguæ sit peritus.

Sed eodem modo argumentandi colligeres, Medicos non indigere cognitione linguæ latinæ, quia quilibet Medicus

loque-

loquitur aut Italice, aut Germanice, aut secundum alium morem suæ patriæ.

Indiget lingua Græca Medicus hodie, quia debet interpretari Hippocratem, & Galenum, aliosq. omnes Græcos. si Græci non fuerunt latinè docti, potuerunt carere eiusmodi linguæ notitia, quia ipsi non indigebant lectione librorum latinorum, cum non foris quærere necesse haberent, quod domi habebant. hinc factum vt Græci, qui Romæ floruerunt etiam postquam Latini præclaros libros ediderant, non sint dignati latinorum auctorum facere mentionem, quia latinos nequaquam putabant cum Græcis comparandos. Galenus nunquam meminit Plinij, & aliorum. Strabo prorsus præteriuit Catonem de Originibus, nec ex Virgilio quicquam inserere voluit. Athenæus ex innumeris prope scriptoribus multa adducit, Plautum tamen, Terentium, Virgilium, Plinium omittit ignoratq. puto etiam tales Græcos ne quidem voluisse loqui latinè, cum quamlibet linguam præ Græca contemnerent. Nec nunquam quicquam ex latino in Græcum vertere voluerunt. quò magis mirandum iam Italos multa ex Gallico transferre in Italicum sermonem, quo modo agendi palmã inre litteraria videntur Transalpinis concedere. vertèrent saltem bonos, & non ineptos scriptores, quos inter quis non explodat Petrum Matthæum indignum qui inter historicos recenseatur? & tamen vulgus apud Italos non sium auide tales nugas excepit, sed, & extiterunt non pauci ex ijs, qui literati volunt dici, qui ineptas sententiolas, & intolerabiles cacoethes imitati sunt, & longè lateq. propagarunt magno cum damno veræ eloquentiæ.

Veteres igitur Græci spreuerunt cognitionem multarum linguarum, quod solam græcam tantum mirarentur. Latini etiam hanc superbiam sibi sumpserunt, vt Punicam, Ægyptiam, Syriacam, Hebraicam, aliásq. insuper haberent. hinc Galenus scripsit in secundo, de differentiis pulsuum: δίγλωττός τις ἐλέγετο πάλαι, καὶ θαῦμα τοῦτ᾽ ἦν. Bilinguis olim quidam dicebatur: eratq. res miraculo mortalibus, homo vnus duas exactè tenens linguas.

At nostri temporis homines forte plus æquo incubuerunt, & incumbunt linguarum cognitioni, sæpe rerum ipsarum cognitionem negligendo. Cum enim aliqui possent tempus impendere legendis Aristoteli, Platoni, Plotino, Theophrasto, Galeno, Hippocrati, Plinio, Straboni, aliísq. qui pleno fonte vetustam scientiam propinant, malunt ætatem impendere discendis linguæ Gallicæ, Italicæ, Germanicæ, & similibus. linguæ ipsæ, vt linguæ, te nihil ferè docent, nisi res coniungas.

Sunt etiam, qui putant se vertice cœlum tangere, quando Hebraica norunt, quæ non sperno, quæq. & ipse in Germania adolescens didici, ob S. Litteras V. T. hebraicè scriptas. At nescio an operæpretium sit tot insignes scriptores Græcos, atq. latinos missos facere, vt consenescas, dum tu spernis inepta glossemata, ridiculas fabellas Rabbinorum, negligis interim Historiam Ecclesiasticam, S. Augustinum, Tertullianum, Synesium, Origenem, & similes, à quibus possis doctissimus discedere. hæc nempe opinio iam viget apud aliquas nationes Europæ, vt si quis aliquid ex Hebraicis, Syriacis, Chaldæis, & Arabicis suis libris inserat, ille videatur esse apex, & punctum omne ferre. aliqui etiam

val-

valde, & mirè sibi placent, quando gemino sermone Græco, atq. latino citant testimonia scriptorum. At veteres non non ita se gerebant, qui tamen doctissimi erant, & disciplinarum præcipui Antistites, imò conditores.

De causa dierum Criticorum quid protulerit Galenus? An Aristoteles videatur numeris tribuisse aliquam vim? Cap. CXL.

De causa Criticorum dierum, & numeri, in quem ipsos incidere videmus, quando instituitur sermo, aliqui fatentur sibi eiusmodi causam prorsus latere. quis enim dicat cur potius dies quartus, quam quintus, aut septimus, quam octauus sit criticus? Ita Aristoteles, vt aliqui referunt, desperauit se posse scire causam motus Euripi, qui quidem Euripus septies quotidie reciprocatur. hinc philosophum se in eum coniecisse, his prolatis verbis: quia ego non capio Euripum, Euripus capiat me, aiunt.

Galenus ex eo colligit causam dierum criticorum, quia Natura omnes suas actiones certo ordine instituit, quod videre est in generatione, in natiuitate, incrementoq. hominis, vt reliqua omittam, quæ miro ordine peragi in vniuersitate rerum res ipsa, & sensus clamat.

Sed huiusmodi responsio non satis esse videtur. Cur enim ordo potius incidit in quartum, septimum, vndecimum diem, quam in quintum, octauum, duodecimum? huius rei nullam causam incidat Galenus. Ergo non prorsus soluit difficultatis nodum.

Pythagorei putarunt numeris inesse vim, eosq. propterea valde commendarunt videtur enim conditor rerum sic res instituisse, vt quando iteratio incidit in hoc potius quam illud momentum exerat suas vires. Aristoteles in primo de cælo visus est commendare Pythagoreos commendantes ternarium numerum, ad quem ipse quoq. confugit, vt sciret causam trium dimensionum, quæ constituunt corpus. Cur ergò alibi numeros Pythagoreorum irridet? profectò si numero, vt numerus est, nulla inest vis, eius argumentatio pro tribus dimensionibus nulla est.

Dices, est fateor aliqua, probabilis scilicet. Respondeo: si tantum probabilis est, Aristotelem peccasse in suam methodum, nam libri de Cælo Acroamatici sunt. Ergò videntur excludere probabilia argumenta, quæ sunt dialecticæ, & Rhetoricæ, & scientiam non pariunt. sed libri Acroamatici scientifici sunt. viderint Peripatetici.

An sit consentanea doctrinæ Galenicæ diuisio Medicinæ in Theoricam, & Practicam? Cap. CXLI.

ARabes nonnulli Medicinam diuidunt in Theoricam, & Practicam, eamq. diuisionem non dubitant aliqui, Arabum hac in parte defensores, tribuere Galeno.

In contrariam partem sic ratiocinabar nuper cum Amico Medicinæ professore. Non potest fieri, vt vna eademq. disciplina sit Theorica, & Practica. nam Theorica est de obiecto non operabili, non producibili. Practica est de obiecto ab homine producibili. Sed obiectum producibile, & non producibile

bile, maximè differt, neq. potest esse vnum. Medicina autem vna est. vnitas porro eius debet peti ab vnitate obiecti.

Medicina sua natura refertur ad medendum, ad depellendos morbos, quiq. Medicinæ dant operam, id faciunt, vt medeantur, hinc Galenus cũ videret se contemni Romæ à nonnullis, quia tantum disserebat, & domi docebat discipulos, non autem opere ipso ægris suppetias ferebat, contulit se mox ad faciendam Medicinam, vt maledicis hominibus os occluderet. Ergò existimauit frustra tradi præcepta Medicinæ, nisi opere ipso exerceatur.

Dices, olim fuisse quosdam Medicos, qui etiam physici dicebantur, alios Clinicos, qui inuisebant ægrotos. primi illi non medebantur, ergò Theorici, Theoricæq. professores Medicinæ. Talem fuisse aliqui dicunt Cornelium Celsum, qui tam doctè scripsit de Medicina, nec tamen exercuit Medicinam.

Respondendum est, physicos apud Veteres nequaquam fuisse Medicos, etsi peritissimi essent rerum naturalium herbarum, partium corporis humani. Talis fuit Democritus, qui peritus quidem fuit Medicinæ, à nullo tamen Medicus est appellatus. breuiter dicam: Nego vllum fuisse dictum Medicum apud veteres, qui non mederetur.

Certè si Cornelius Celsus non fecit Medicinam, Medicus non fuit. hinc Plinius eum non recenset inter Medicos, sed simpliciter inter auctores.

Quæ à me animi causa sunt prolata, non vt negotium facessam ijs, qui contrarium sentiunt.

De

De Laurentio imitante Lucullеam magnificentiam in excipiendis Viris doctis sub Marco Imperatore. Cap. CXLII.

Apud Romanos cœnas philosophis instituisse primos scimus Lucullum, & Catonem Vticensem, qua de re suo loco egimus. Talem morem sub Marco Imperatore restituit, & perquam magnificè est imitatus iisdem Romæ Laurentius, quem valde laudat Athenæus iuxta ea, quæ referuntur ab Eclogario. Honoris etenim gloriæq. studio apparatu magnifico doctrina nobiles viros in ædes suas vocabat, quos non ferculis tantum, verum etiam colloquijs ac sermonibus reficiebat, adeò ut quæstionum subtilitatem, ac inuentionem mirarentur omnes. idem à Marco Imperatore præfectus est immolandis victimis. fuit peritus morum non minus græcorum, quam patriorum. gnarus linguæ græcæ atq. latinæ. calluit exactè leges Romanas perspectis antiquis senatusconsultis, edictis prætorijs, & pleb. scitis. quarum quidem legum collectionem confecit non eam, quæ confecta est à Triboniano iussu Iustiniani, sed aliam, quæ tamen non videtur prodiisse in lucem, quandoquidem Tribonianus ex ea nihil transtulit, neq. eius mentionem fecit. non absimilem Laurentio Romano noui ego Romæ Alexandrum Marchionem Palauicinum, eiusq. filium Sfortiam, qui itidem amabant viros profitentes doctrinas & litteras frequenter inuitare ad ædes suas, & perquam hilariter cum ipsis colloqui de omnibus prope, quæ inter eruditos in sermonem venire queunt.

Ha-

Habuit etiam Laurentius instructissimam Bibliothecam, vt ex illa pro re nata à Dipnosophistis possent codices peti, qua in re dicitur superasse omnes qui bibliothecas pararunt Polycratem Samium, Pisistratum Tyrannum Atheniensem, Nicocratem Cyprium, Pergami Reges, Euripidem Poetam, Aristotelem philosophum, & Nileum.

Vnde obiter collige, quam splendidè mentiti sint nonnulli, qui dixerunt Aristotelem combussisse libros veterum philosophorum. nam si Bibliothecam instruxit, non tradidit Vulcano præclara monumenta.

De Athenæo scriptore dipnosophistarum. enumerantur aliquot conuiuia. de ijs, qui adstant Principibus cœnantibus. Cap. CXLIII.

Qvicunq. multa rerum cognitione est instructus, eum honor collocat inremerito in cœtu philosophorum. Dipnosophistæ, hoc est docti conuiuæ valde multa norant cum voluptate audienda in cœnis Procerum philosophiæ fauentium. Quandoquidem ergò suscepimus tractationem de progressu philosophiæ apud vrbem Romam, postulatur hoc à nostra diligentia, vt Dipnosophistas Athenæi, qui conuiuia agitarunt Romæ, memoriæ nostrorum temporum reponamus. præ omnibus dicendus est ipse Athenæus, cuius tamen iam mentionem fecimus, quando egimus de Augusto fauente philosophis. Naucratita dicitur fuisse vixisseq. tempore Marci Imperatoris. Etsi autem Grammaticus fuisse dicatur apud Suidam, scripta tamen, quæ Timocrati inscri-

psit,

psit, ostendunt plusquam Grammaticum fuisse, si potuit sermones doctissimorum, & eruditione ingenti insignium Dipnosophistarum tam præclare referre, & recensere. philosophi profectò munus est Dipnosophisticas collationes reponere. Nonne Plato conuiuium, hoc est, Phædrum exhibuit, & Xenophon? ut silicam conuiuium Epicuri, nam de Macrobio [illegible] agam. nostra tempestate homines perquam docti, & perquam eruditi materiam de Conuiuijs expediuerunt, [illegible] Stuchius Heluetius, I. Lipsius in Saturnalibus. Petrus Ciaconus de Triclinio. aliqua etiam tradidit Mercurialis in sua Gymnastica, I. Cæsar Bulengerus decessor meus in cathedra Pisana. quid referam Iohannem Vuouerium multa eruditè annotantem ad Petronij Satyricon?

Ambigendum autem non est, inter veteres aliquos Conuiuia descripsisse licet nonnulli prorsus ignorentur hodie, aliqui nonnisi sint noti. Nam qui splendida conuiuia ac tanta magnificentia exercebant, sine dubio etiam cupiebant talia litterarum monumentis mandari. Ego aliquot hic perstringam ex Suida. Alexander Magnus nauali prælio victis Lacedæmonijs, muro Piræum circundedit, hecatombem immolauit, omnibus Atheniensibus epulum præbuit, Alcibiades cum Olympia vicisset, totum conuentum conuiuio excepit. Item & Leophron fecit, Olympiæ victor. & Empedocles Agrigentinus, qui cum Pythagoricus esset, & animalibus abstineret, bouem è thure, myrrha, & pretiosis aromatibus confectum, inter eos qui ad ludorum celebritatem conuenerant, liberaliter distribuit. & Ion Chius, cum Tragœdiam Athenis vicisset, vnicuique Atheniensium dedit vasculum Chij vini. Tellias Agrigentinus homo ho-

spi-

spitalis, cum aliquando Ly equites hyeme apud eum diuertissent, unicuiq. dedit tunicam, & vas vini. Epicharmus Syracusius ad singula conuiuiorum fercula versiculos, & adagium adiecit. Id carmen Clearchus Solensis Dipnologiam, alij Opsologiam, Chrysippus Gastronomiam, nominibus ab epulis, delicijs, & ventre factis, alij luxuriam vocant.

Cum Dipnosophistis affinitatem habere censendi sunt, qui litteris instructi adstant Principibus prandentibus, & cœnantibus, respondentq. interrogati, & colloquuntur cum ipso Principe, & alijs eiusdem doctrinæ deditis adstantibus. Talis fuit Bruyerinus apud Franciscum Primum Maximum Galliarum Regem, hinc egregium opus de Re Cibaria edidit. Nec silendus Iohannes Bodinus apud Henricum Tertium Valesium. Margarita Valesia filia Francisci, Soror Henrici II. incomparabilis Heroina dum cibum sumeret habebat suos philosophos adstantes cum ipsa erudita admodum esset. Philippo II. potentissimo Hispaniarum Regi consueuit adstare doctissimus Franciscus Valesius. Cosmus II. Magnus Etruriæ Dux optimus & liberalissimus Princeps delectabatur I. Gualtautino G.mini, B.salio Florentino, atq. alijs.

Ego tam tot labentibus annis meam operam naui Ferdinando II. Cosmi filio.

Memini autem cum Romæ essem ab Andrea Brugiotto quatuordecim Conuiuis paratum prandium, quorum nomina hæc sunt: Antonius Querengus, Hier. Aleander, Abbas S. Amandi Gallus, Vilhelmus Sitonius Scotus, Michael Angelus Tontus Romanus, M. Antonius Cappellus Estensis, Fr. [illegible]

Caroli Parmensis, Henricus Spondanus, & alij, quorum nomen iam non suppetit, quibus & ego adfui. non veniente autem Spondano nostra minuta est hilaritas, quod ab omnibus probitatis & doctrinæ causa amaretur.

De Vlpiano Tyrio dipnosophista sub Marco. deq. alijs tribus Vlpianis. Cap. CXLIV.

PRæ reliquis inter Dipnosophistas apud Athenæum eminebat Vlpianus Tyrius, dignus profectò qui laudetur, quando de Philosophia apud Romanos agitur. nam omnes venabat assiduis quæstionibus, quas in vijs, ambulationibus, balneis, librariorum tabernis proponebat. qui illustre nomen Citucitus est adeptus, quia nihil cibi in conuiuio gustare soleat, quin interrogaret, vbinam eius cibi nomen extaret dicendo ποῦ κεῖται, vel οὐ κεῖται.

Apparet ipsum maximum habuisse vsum librorum, præsertim poetarum, atq. inprimis Comicorum, & philologia valde excelluisse, valuisseq. inprimis memoria. Nostra ætate Demetrianus Græcus inclaruit eo more in Italia. vocatus enim ad conuiuium valde feliciter de ijs, quæ apponerentur recitabat dicta ex Plinio, Athenæo, & similibus.

Audimus laudari Vlpianum ab Athenæo, quod quæstionibus amicos exerceret fallendi temporis gratia. Cur ergò vitio id mihi nonnulli homunciones verterunt, quod non patiar esse otiosos eos, quibus cum confabulor, quibuscum deambulo in Gymnasio, ad Arnum, aut quibuscum in Bibliopolijs sto aut sedeo? Nempe qui ignari sunt, ægrè ferũt, quan

do-

deuident in apertam lucem trahi suam inscitiam.

Nec intermitto, quando in thebaida sunt Procerum, aliorum sermonem, tantum aliquando sermoni intercedo eorum, qui cum valde docti sibi esse videantur, subinde plebeias quasdam, & vulgares effundunt, & propagare satagunt cogitationes saepe cum errore, & ignorantia coniunctas.

Quia Vlpianus fuit Tyrius vixitq. sub Marco suspicari licet ex eius familia fuisse postea Domitium Vlpianum celeberrimum Iurisconsultum, qui fuit summe praeditus auctoritate apud Alexandrum Seuerum Imperatorem, quem subinde nostrum Imperatorem vocat.

Fuerunt alij duo Vlpiani, vnus, imò tres, praeter duos recensitos. Vlpianus Emesenus Sophista scripsit de patria Emesa, de Heliopoli, de Bosphoritis, & alijs plurimis, Progymnasmata, artem Rhetoricam.

Alius Antiochenus itidem sophista. alteruter horum duorum Demosthenem illustrauit,

Alius Vlpianus fuit frater Isidori philosophi ingenio promptissimo ad disciplinas Mathematicas. in reliqua philosophia nihil magnopere praestitit. fuit modestus, & a gerenda republica prorsus abstinuit, qua in re reprehenditur apud Suidam. Quae enim in media Republica versatur virtus: ciuilibus muneribus, & sermonibus exercet animum ad fortitudinem: & confirmatur magis per experientiam: quod in ea sanum, & integrum est: quicquid autem adulterinum & fucatum latitat in vita hominum: id omne coarguitur, & paratius efficitur ad emendationem. Iam quanta est vtilitas, & beneficentia in gubernatione? fiducia, & constantia quanta?

ta? quapropter in angulo sedentes eruditi, & multa grauiter admodum de iustitia, & modestia disserentes, res aggredi coacti turpiter se dant. nam omnis oratio, si res abfuerint, vanum quiddam videtur, & inane. *haec ibi. quae redarguunt Peripateticos in contemplatione praecipuè collocantes felicitatem, & adstruunt quod Iurisconsultus Vlpianus dixit aequitatis Sacerdotes* veram & non simulatam philosophiam affectare.

De Masurio Iurisconsulto, qui floruit sub Marco, fuitq. dipnosophista. Cap. CXLV.

I*Nter Laurentianos Dipnosophistas fuit Masurius, legum Interpres, in omnibus disciplinis versatus diligenter. quilibet videt hunc Masurium non esse confundendum cum Masurio Sabino, vnde Sabiniani sunt dicti cuiusq. mentionem facit Persius illis verbis:* Masuri rubrica. *imò quem memorat Pomponius ff. de orig. iuris §. 47. dum inquit:* Ateio Capitoni Masurius Sabinus successit & Labeoni Nerua adhuc eas dissensiones auxerunt. Masurius Sabinus in equestri ordine fuit, & publicè primus scripsit. *floruit sub Augusto, vt colligitur ex eodem Pomponio.*

Cum autem Masurius alter, qui floruit sub Marco dicatur fuisse versatus in omnibus disciplinis, cum esset Iurisconsultus, cur plerique ex nostratibus Iurisconsultis non putant se posse esse Iurisconsultos, nisi reliquarum disciplinarum sint imperiti? Intueantur quaeso Cuiacium, Balduinum,

Gi-

Cifanium, Hottomannum, Acciatum, Pancirolum, Massinium, aliosq. & aliter incipient sentire. Nonne Seldenus, Grotius, Merillus, Salmasius ingenti eruditione Latinæ præstant, & tamen egregij sunt Iuris antistites? Ne prætermittam amicitia coniunctissimum mihi M. Aurelium Galuanum Ferrariensem, qui nunc magna cum laude profitetur in Patauino Gymnasio.

Resipiscant igitur indocti tantis exemplis excitati, si excitari possunt.

De Cynulco Cynico philosopho, qui tanquam Dipnosophista interfuit cœnis Laurentianis. Cap. CXLVI.

DE philosophia apud urbem Romam qui scribit, cur omittat Cynicos, qui conuiuijs Laurentianis interfuerunt? Cynici namq. philosophi sunt, quorum etiam mores, institutum iam in hoc libro descripsimus. Nomen porrò præcipui Cynici Dipnosophistæ si quis scire velit, is norit Cynulcum appellatum ab Athenæo, qui etiam habuit secum duos Socios. qua de re Epitomator Athenæi sic ait: adfuit (*Philadelphus*) cum vno philosopho Cynico, Cynulcum autor nominat, quem non solum vt Telemachum concionãtem ignaui duo canes comitabantur, verum etiam multo plures, quam Actæonem.

Dicet aliquis non debuisse interesse Conuiuali hilaritati ominosum Cynulcum, sunt enim ominosi Cynici, quia sordibus, pædore obsiti, nudi pedibus, maledici, mendici, importuni. Conuiuium autem totum tendit ad hilaritatem,

à quo proinde abesse debere videntur gibbosi, claudi, caeci lusci, strumosi, similesq. omnes ominosi, vt videtur significare communis hominum sensus. Certè quae malum significant, id ipsum ferè effi ciunt teste experientia, & clamante consensione illa mirabili partium omnium vniuersi, qua de re suo tempore accuratius. videtur igitur Laurentius, qui Cynicos ad suas admisit coenas, peccasse.

Respondere est, videri Cynulcum illum paulo ciuiliorem fuisse. nam Demetrium quoq. Cynicum scimus familiariter versatum cum Proceribus.

Adde augendae hilaritatis causa debuisse adesse Cynulcum, quia non erat expers eruditionis, eratq. daturus materiam magnam ridendi Dipnosophistis. hinc enim factum vt multa iocularia deprompta fuerint ab Vlpiano aduersus non tantum Cynulcum, sed vniuersum coetum Cynicorum. quorum etiam aliqua transcribere lubet, vt magis ac magis illustrentur, imo comprobentur ea, quae de Cynicis hoc ipso in libro exposita sunt.

Lib. III. Magnus, facetus & vrbanus homo vocat Cynicos illotos pedibus, humi cubantes, sub dio habitantes, impuros, gulosos, alienarum facultatum aduentitios, coenatores, narratq. Cynicae disciplinae primum conditorem cum auidius in coena placentam vorasset, interroganti quidnam comedisset, respondisse, panem se mandere sestè confectum.

Rursus ait Cynicos patinarum strangulatores albis aquaticulis suspiciendis alios loqui non sinere, nec vnquam esse quietos, donec vt catellis panem, vel ossa aliquis impegerit.

Cum multa deblaterasset contra Vlpianum Cynulcus,

ipse

Ipse comiter subridens, dixit: ne oblatrato amice, nec canina rabie incitatus efferator amice canicularibus præsertim his diebus, quibus magis æquum est conuiuis abblandiri, placidumq. ac commodum se præbere.

Quam verò multa protulit superius Cynulcus ex bonis scriptoribus, & quam falsè inuectus est in Vlpianum, & in alium quendam.

Reprehendit autem Vlpianum tanquam nominum fictorem, & nouatorem, prolatis verbis Platonis in libris de Republica: De rerum nominibus ne multum labores: si vitabis, prudentia locupletior ad senectutem peruenies. *haec ibi.*

At Vlpianus antea iusserat Cynicos tacere, & ossa tanquam canes rodere, esse enim canes & gloriari tali nomine. obijcit ipsis, quod propterea quia inter pocula mutua collocutione se inuicem exhilarare nequeunt ob inscitiam, conducant magna mercede tibicinas, cum nusquam apud bonos probos, & eruditos conuiuas saltatrices, fidicinæ, tibicinæ videantur.

Excanduit ad haec Cynulcus, multaq. per iram, & rabiem effudit in Vlpianum nominando eum ventrosum, qui nihil sciat fusa oratione recitare, sed subinde ex alijs percontari, vbi haec vel illa dictio legitur.

Valde lætantur aulici, & ciuiliores homines, quando alium non ita peritum vitæ ciuilis excandescere vident, cum ira multa absurda facere, & dicere cogat. hinc risus. Iracundi scilicet simplices sunt, & præbent alijs materiam ridendi. quando ergò quæritur, an in conuiuio liceat se inuicem conuitijs petere, & lacerare, sic respondendum, si adsit absur-

Iurdus aliquis homo fas esse ipsum salse perstringere, ut irascatur. nam eiusmodi ira praebebit materiam se exhilarandi conuiuis.

Notare autem est differentiam inter Cynicum, & Vlpianum, nam Vlpianus comiter subridens respondet, at Cynulcus excandescit.

Quicunq. autem ponit pedem in aula, aut caeteroqui frequentat Principum palatia, hoc diligenter obseruet, ne sinat se abripi ad iram, nisi velit suam dignitatem minuere, & imperitus haberi. Sed adulatores Aulici homines pupili id quoq. obseruant, ne cuiquam vnquam vllo verbo contradicant, veriti, ne eum offendant. parum autem pensi habent Aulici veritatem, modo sua commoda promoueant. sed de his alibi.

Cur porrò non debeas irasci, ea causa est, quia putant Aulici vitandos esse homines iracundos, & non esse aptos, quibus Princeps curanda negotia mandet.

De Medicis inter Dipnosophistas Laurentianos. An & quatenus in conuiuio liceat de Morbis loqui? Cap. CXLVII.

PRæter Galenum Dipnosophistarum numerum auxerunt Daphnus Ephesius, & Rufinus Nicaeus. de priore ait Epitomator [illegible]. Dalecampius transfert: diuinos honores ob artis suæ peritiam meritus. *fortè non male. sed [illegible]. doctus in arte Medica, & moribus. [illegible] Academicorum praecepta, & opinionibus valde bene affectus.*

Ar-

Argutabitur aliquis: inter conuiuas non debere dari locum Medicis, quia videntur ominosi, cum agant semper de morbis. Et qua quæso de re loquentur ipsi? an de febribus, de vrinis, de apoplexia, epilepsia, de hæmorrhoidibus, talibusq.? Atqui scimus iure merito reprehensum fuisse Epicurum, qui in suo conuiuio egit de Febribus. Veteres dabant operam, ne in mensa vlla mentio fieret rerum sua natura malarum, putantes talem mentionem esse inauspicatam.

Respondendum nihilominus est Medicos eruditione excellentes, & non meros Empiricos, aut puros putos Medicos debere adhiberi conuiuali hilaritati, quia sciunt ipsi de vinis, de facultate alimentorum, de fructibus terræ, de elementis loqui, multasq. quæstiones naturales melius norunt soluere, quam philosophi, cum valde multa obseruent dum morbos profligant; quia etiam facultatem medicamentorum callent, fit vt de plantis, talibusq. valde bene loquentur.

Ipsi interim vt prudentes vitabunt sermones de rebus ominosis, vt morbis, & quæ ad morbos faciunt. Ita Stephanus Rodericus Castrensis, & Iulius Gentilianus duo Insignes Medici cum viuerent valde erant accepti Magno Duci Etruriæ Ferdinando II qui nunc imperat, quia adstantes prandenti de qualibet re potius, quam Medicina loquebantur: eiusmodiq. sermonibus [illegible] spatio interfui. Nam vt solum opus Galeni versus arctum de vsu partium corporis humani, quam multa suppeditare potest Medico, grata futura conuiuis.

An igitur dices, non licebitne [illegible] loqui de morbis? Nonne contingit, dum cibum sumit Princeps, vt

dicatur hic vel ille obijsse, aut animam agere, aut grauiter decumbere? Nonne sermo mox illuc ducitur, vt sciatur causa mortis, aut quo morbo decumbat? Ita non videntur posse prorsus vitari verba de morbis.

Respondendum est, si eiusmodi sermo incidat, debere eum censeri minus auspicatum. Contigit aliquando, vt cum adstarem Magno Duci multa proferrentur de febribus, & disputaretur præsertim: An hectica in multos annos possit porrigi, vt aliqui docent; ego apud me cogitabam talem materiam minus facere ad eiusmodi locum.

Si igitur aliquid attingatur de morbis præter voluntatem, paucis verbis agendum, moxq. omissa inauspicata materia colloquium ad alia est transferendum.

Ego sanè semper libentius vsus sum consuetudine Iurisconsultorum professorum, quam Medicorum. nam facile est eum, qui prope quotidie colloquitur cum Medico, vt ipse sua sponte ad ad pharmaca sumenda, ad purgandos humores transiliat, & qui non male habebant, aut saltem non ita male, mox turbato corpore, & facta violenta motione peius habeant.

Quantopere autem dolui cum hinc anno præterito discederet eruditissimus Iurisconsultus M. Aurelius Galuanus. valde enim quamdiu vixit in hac Academia delectatus sum eius consuetudine, quod admodum peritus esset omnis Antiquitatis Romanæ, nec expers prorsus philosophiæ. sic licebat cum ipso deambulare, & in multas horas de moribus aureis Romanorum colloqui, taliq. colloquio ad vesperum deducere diem.

Romæ autem præcipuam temporis partem transigebam

aut

aut apud sapientissimum Ant. Quercengum, aut Marchionem Vincentium Iustinianum, omnium eorum quibus vita ciuilis constat peritissimum, cum præsertim eius ædes frequentarentur à Comite Horatio Capponio, ab Asdrubale à Montacuto, à Theodoro Amydeno, eximio causarum patrono aliisq.

Ob Dipnosophisticam materiam commendatur Martialis, & quædam ex ipso repetuntur, & illustrantur. Cap. CXLVIII.

A*Vtor sum ei, qui Dipnosophistica vult mensam instruere supellectile, vt Martialem in consilium vocet, legat, sibiq. notum non minus quam digitos suos faciat. Vix enim credi potest, quanta sit in Epigrammatario isto poeta varietas, qua quidem varietate, vt Spartam ornet, quis nescit indigere Dipnosophistam, cui consilium capiendum in arena, nam præter expectationem nunc de hoc, nunc illa materia sermo mouetur. Difficile vero non erit ei, qui scriptorem omnigeno rerum apparatu iucundissimum in succum, & sanguinem verterit, illicò aliquid depromere, quod ad rem faciat, de qua conuiuæ cœperunt loqui, voluptatemq. conciliare toti cœtui. Iuuat autem hic nonnulla ex poeta, quem publicè iuuentuti iampridem & quidem non semel sum interpretatus, transcribere, donec prodeant meæ in eundem annotationes laboris non expertes, si tamen proditurae sunt, cum non amplius videatur indigere interprete explanatus non tantum à Domitio Cal-*

derino, sed alijs viris eruditis recentioribus.

Romani tandem non solum vxores, sed & amicas puellas cœperunt appellare Dominas *blandiendo, & adulando. hinc apud Italos decurtato vocabulo factum, vt qualibet mulier vocaretur Donna; quasi Domina. Sed Donna non prius facta est, quam pronunciaretur apud Latinos iam degenerantes* Domna. *hinc inde colligere est, quia Itali ex mn latinorum faciunt nn, cum lingua Italica, si comparetur cum latina, sit fracta, mollis, minimeq. sapiat robur in loquentibus. Qualis autem est oratio, talis ferè animus. An enim compares nostros Italos cum antiquis Romanis, cæterisq. Italiæ incolis? Nequaquam. sed de Domina proferantur verba Martialis lib. X. Ep. XXIX.*

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti Dominæ, Sextiliane, tuæ,

sic lib. V. Ep. LXII.

Nescio quid Dominæ teneram qui garrit in aurem

Sermo est de quodam Crispulo, qui erat adulter vxoris Mariani, cum tamen maritus putaret esse procuratorem. Ego etiam noui non vnum, qui volebat videri litium causa frequentare ædes pulchræ fœminæ, & vt lucri amoris causa ipsam conueniebat. nec mala coniectura visus est mihi Martialis, quando collegit Crispulum esse adulterum, quia teneram garriebat in aurem. Etenim amantes sibi inuicem solent in aurem garrire, cum sit argumentum magnæ familiaritatis. familiaritas autem cum fœmina quæ non sit sanguine iuncta suspicionem iure merito inijcit. nec profectò honestæ & pudicæ mulieres aut garriunt in aurem, aut præbent aurem cupienti in eam garrire.

Vt

Vt verò reuertamur ad nomen Domina, sciendum Romanos stante Republica valde auersatos fuisse nomen Domini, nec se inuicem honoris causa sic appellasse. tamen se libertate saltem Imperatorem voluerunt ita nominare, quod tamen non permisit Augustus, vt notum ex Suetonio. Tandem eò res progressa est, vt priuati quoq. se inuicem Dominos dicerent. adeò degenerarunt à veteri libertatis amore, vt propterea dixerit Tiberius: ò homines ad seruitutem natos. audiamus iam Martialem lib. V. Epigr. LIIX.

Cum voco te Dominum, nolo tibi, Cinna, placere,
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

Hodie nil frequentius in ore omnium hominum, quam vt se inuicem seruos, & quidem deditissimos, deuinctissimos, obstrictissimos appelient: illudq. subinde addant: osculor tibi manus. quod est argumentum submissi seruitij. Amici apud Romanos osculabantur se inuicem in ore. nos profitemur nos osculum porrigere manui. Nunc etiam Hispani, quando Principem aliquem alloquuntur, aiunt osculor tibi pedes. Itali paulo ciuilius: osculor tibi vestem. Famuli etiam, & pueri Nobiles apud eosdem Hispanos quando alloquuntur suum Dominum vnum ex Proceribus procumbunt in genua, aut saltem flectunt genua.

Ijdem Hispani quando alloquuntur Amicam, non aliter quam è geniculis eam compellant. Tantam vim imperij amant mulieres Hispanæ exercere in amantes. Quicquid verò Domina iubet hoc est amica etiam apud Italos, id ilicò faciendum, nec vnquam vel verbo repugnandum Dominæ. Rusticus enim habetur quisquis humili ratione nō blanditur puellæ amicæ. hinc apud poetas Italos receptissimum

est,

est, vt amica vocetur Idolum, Dea, diua, sol, stella, thesaurus, & quæ alia sunt vocabula, quæ tamen serijs hominibus non possunt non displicere.

Prandebam ego aliquando cum nobili pulchraq. muliere aderat maritus, eiusq. amicus satis familiaris vtriq. sub finem prandij, vt solet fieri, cœpit bibi sanitati atq. felicitati huius, illiusq. Fœmina petijt, vt biberemus felicitati Regis, quem iam dicere nolo. dixi id nequaquam à me posse fieri, causamq. etiam exposui, satis grauem, vt mihi videbatur. illa contra instare, vrgere, tandemq. minari, se fore mihi inimicam, nisi parerem. Ego multis verbis me excusare deprecari eius iram, petere ne talem mihi imponeret necessitatem. sed surdæ loquebar. nec tamen cessi. Ita tandem discessum ex prandio amicitia ferè conclamata. quod retuli vt intelligant, qui morum Italicorum non sunt vsq. adeò periti, nimium esse hodie pulchras fœminas in Italia.

Quod dixi superius de consuetudine offerendi osculum passim, & obuijs multis apud Romanos, id confirmatur, vt alia omittam, Epigr. Martialis XCIX lib. XI.

Effugere non est, Baße, basiatores,
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc & illinc, vsque quaq. quacunq.
Et æstuantem basiant, & algentem.
Non te cucullis afferet caput tectum,
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Sæuiq. fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.

Quod est remedium aduersus improbitatem basiatorum? respondet Martialis:

Fa-

Facias amicum, basiare quem nolis.

Quasi basia non exigerentur ab amico. adeò scilicet inualuerat consuetudo basiandi, vt inciperet esse testimonium amicitiæ non basiari; quæ tamen per hyperbolem prolata sunt à Martiali. nam verè basium ferè amicis, notis, & caris offerebatur. hinc intelligimus, cur S. Paulus iubeat Christianos se inuicem osculari in Ep. ad Rom. ob mutuum, & fraternum amorem. inualuitq. mos basiãdi inter sacra cum q. sacra Eucheristia perageretur, cuius rei superest hodieq. vestigiũ, dum celebratur sanctũ Missæ sacrificiũ solemni more.

Epigr. lib. XIV. n. LXVII. memorantur muscaria pauonina. superbus est pauo, cogitur tamen suas pennas concedere conficiendis flabellis, quibus abigantur muscæ. Cur hodie ex alia materia conficiuntur flabella, & quidem longè vitiori? quia pauci admodum aluntur pauones. at olim passim habebantur in villis, imo comedebantur. Vix credi potest quam multa olim rus dominis suppeditaret. hodie friget, & iacet agricultura. lege quæso Varronem, Catonem, Columellam, vostramq. miraberis negligentiam.

Appetente hyeme in Germania porci prope innumeri occiduntur, quod eorum caro multiplici sit vsui mensarum. Romani mense itidem Decembri mactabant miseros sues, vt saturnalitiæ mensæ essent instructiores. Martialis lib. XIV. Ep. LXX.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus
Inter spumantes ilice pastus apros.

Singularis autem fuit ratio reddendi sues gratioris saporis apud Romanos. nam alebantur in silua inter apros. sic fiebant gratioris saporis, & maioris æstimationis. Germani

fur-

fu-fure eos pinguefaciunt.

Quæritur porrò, cur Petronius dixerit Iudæum porcinum numen adorare? *cum tamen addat quo d aduocet cœli puras auriculas. dicendum, fingere Petronium apud Iudæos instar Numinis haberi porcum, quia Iudæi nunquam possent adduci vt occiderent porcum, cum nefas illis sit vesci carne suil a. Nam & Ægyptij allium & cepe inter Deos venerabantur, proculq. aberant ab eo, vt ea comederent. Sed quis nescit Iudæos ob Dei præceptum vetans abstinuisse à suilla carne, non quod putarent suem esse Numen? Tacitus fingit Iudæos detestari suem, quia porrigine laborare quandoq. solet, fingitq. ob eiusmodi morbum Iudæos Ægypto expulsos. alij dicunt Iudæos accepisse hunc morem ab Ægyptijs, qui non occidunt sues, cum inuertant rostro terram, & sint instar aratorum. alij alia prodiderunt.*

Exercitatio Dipnosophistica: *An testamenta sint iuris Gentium, an Ciuilis?*
Cap. CLIX.

D*Ipnosophistam oportet inspexisse libros quorum auctoritate sua dicta inter conuiuas vult munire. Et tamen reperiuntur aliqui Iurisconsulti, qui non solum publicè profitentur leges, verum etiam libros edunt, qui contenti sunt recentiorum citationibus, neq. ipsi vident & legunt scriptores, ex quorum narratione dependet veritas. hoc autem est negligentiæ supinæ argumentum. An enim ô homo, si erecentiorem Transalpinum ad rem adducere Gellium, Tacitum, Macrobium, Platonem, & alios, qu s*

non legisti? decerne doctorem, & antecessorem nisi aliena fide, videre peregrinis oculis? dices me desipere, si vellem exempla proferre passim citationum, quæ iubent ire præcipitem lectorem in errorem, cogunturq. cum semper esse puerum. contentus ero exemplo celebri apud Iurisconsultos, qui quærunt an Testamenta sint ex iure Gentium an Ciuili? vix tamen nominatim carpam eos, qui adduxerunt scriptores, vt ostenderent ex iure Gentium esse. quisq. enim qui hanc diatribam leget, animaduertet quis hac in re se negligenter gesserit.

Quod igitur sint Iuris Gentium testamenta probant Doctores. nam quo iure omnes gentes vtuntur, est ius gentium. Instit. de Iur. natur. § 2. omnes autē populi consueuerūt condere testamenta. in Veteri Testam. Abraham totam suam substantiam reliquit Isaco filijs concubinarū dedit munera.

Isaac prætulit sub finem vitæ Esauo Iacobum. Iacob benedixit Filijs suis singillatim, & cuique reliquit aliquid singillatim benedicendo, & prophetice prædicendo; Iudæ scilicet regnum, alijs alia.

Esaias dixit Ezechiæ IV. Reg. cap. XX. præcipe domui tuæ quia morieris.

S. Paulus ad Gal. III. & IV. & Hebr. IX. ostendit olim in veteri lege fuisse testamentum. unde nihil tritius est, quam vt dicamus Testamentum vetus, & testamentum nouum. testamentum vetus fuit conditum, quando dixit Deus: ejice ancillam, & filium, neq. enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ Gen. XX.

David quoq. condidit Testamentum moriturus, & iussit regnare Salomonem, filium Bethsabeæ exclusis alijs filijs,

atq. inprimis Adonia III. Reg. cap. I. & II.

Cyrus quoq apud Xenophontem condit testamentum lib. VII. & instituit Cambysem regem, alteri autem filio quandam ditionem relinquit.

Tacitus vt rem singularem refert de Germanis, quod carerent testamentis.

Tot philosophorum testamenta recensentur apud Laërtium. leges Atticæ non pauca statuebant de Testamentis: nec ipsa prætereuntur à Platone lib. XXXIV. de legibus.

Atalus Rex Pergami instituit hæredem populum Romanum, vt refert Strabo lib. XIII.

Micipsa quoq. condidit testamentum in Africa, vt legere est apud Sallustium in principio belli Iugurthini.

Alexander Magnus moriens mandata, & annulum dedit Perdiccæ, vt est apud Curtium lib. X.

Nonne hæc sufficere possunt, vt intelligamus testamenta esse iuris gentium? cum præsertim accedant secundum quosdam etiam Lacedæmonij cum suo Lycurgo.

In aduersam nobis omnibus partem dicere est primum auctorem Testamentorum extitisse Solonem, vt est apud Plutarchū in eius vita. nam ante Solonem Athenienses non condebant testamenta, quia putabant, vt est videre apud Platonem lib. XI. de leg. bona non esse testantis, sed gentis & familiæ.

A Solone Romani acceperunt vsum testandi, vt est videre apud Pomponium l. verbis legis, ff. de verb. signif. & Vlpianum l. lege obuenire ff. eodem, vt omittam alios nec transcribam, quæ tamen pridem sunt vulgata.

Et sanè ante tempus latarum XII. tab. nullum reperitur testamentum apud Romanos, vt nullum conditum

fuit

fuit Athenis ante Solonem.

Igitur omne testamentum apud Romanos descendit ex XII. tab.

Quæ testamenta condita sunt à philosophis, de quibus agit Laertius, à Solonis lege manauerunt. An dicemus id esse iuris gentium, quod tantum Athenienses acceperunt à Solone, & Romani ab Athiensibus? Quæ iuris gentium sunt, adeò sunt antiqua, vt eorum initium non possit ostendi. Cur ita? quia peræquè obseruata sunt apud omnes nationes, & à diuina prouidentia instituta sunt. si omnes populi condiderunt testamenta olim, cur Athenienses & Romani certo tempore, & quidem serò cœperunt testari? An Romani debuerunt discere ab Atheniensibus, quod vbiq; apud omnes populos obseruabatur?

Cur etiam Homerus, qui nobis exactè descripsit mores Heroicorum temporum nullam testamentarum fecit mentionem?

Sed obijcitur Lycurgus. Miror potuisse quenquam dicere consueuisse Lacedæmonios testari proferatur quæso testimonium alicuius veteris scriptoris, qui probent qui sentiunt testamenta esse iuris gentium, Spartanos solitos testari.

At saltem Iudæi testabantur. id si verum est, cur Philo, cur Iosephus nihil de testamentis tradunt? Cur Moses nihil de re tanti momenti sanciuit?

Quod Abraham reliquit substantiam suam Isaco id fecit ab intestato, cum reliqui essent filij ancillarum, atq; adeò non possent succedere patri.

Erant enim Vernæ. Seruus profectò incapax est successionis. propterea dixerat Deus: Non erit hæres filius ancillæ

cum filio liberæ. quando ergò dicit Moses, quod Abrahamus reliquit sub tutelam suam Isaaco tantum, significat eum se gessisse more nationum, apud quas absq. vllo testamento filij succedunt fratribus non habita ratione Vernularum.

Benedictio Isaaci fuit quid singulare, & quasi propheticum: aut si eandem Isaacum debuisse indicare, quem vellet esse Principem, ut oriretur controuersia, & bellum inter filios. fecit igitur hoc vt Princeps aliquis, qui tradit vni regnum, quod diuidi non posse. dispositio autem sine iussum necessarium ad tollendum bellum inter tanti momenti non est testamentum. qua ratione explicandum quod refertur de Dauide tradente regnum filio Salomoni exclusis alijs, quodq. narrat Xenophon de Cyro iubente succedere maiorem natu filium.

Dices, notum fuisse maximum natu debere succedere. Cur ergò iubet eum succedere, si res explorati iuris? quare videtur voluisse condere Testamentum.

Respondendum est, antiquissimis temporibus rem fuisse prorsus incertam.

Nam cum ob virtutem deberet deferri sceptrum, vt tradit Iustinus consueuisse nationes præstantissimum promouere ad regnum, non præscribatur necessariò maximus natu. hinc factum est, vt regnum vel alternis vicibus fuerit administratum, vel exortum fuerit bellum, vel à parente æque vni atq. alteri relictum fuerit regnum, aut prælatus maximus natu, quod iam haberet rerum vsum, & experientia valeret.

Romulus, & Remus augurio rem permiserant, vt nossent cui eorum deberet esse regnum, aut saltem à quo deberet no-

mina-

minari Roma, licet dici possit fuisse geminos; quamuis è geminis ille censeatur esse maior natu, qui prior ex vtero prodijt.

Annibal cum transiret Alpes discordiam duorum fratrum Allobrogum de regno certantium sustulit, quia ambigebatur: an maximus natu deberet imperare.

Eteocles, & Polynices pactum inierant, vt alterni regnarent Thebis, nec prælatus est maximus natu.

Micipsa instituit in regno heredes æquo iure filios, nec vnum alteri prætulit.

Cyrus iussit succedere Cambysem. Cur quæso?

Audiamus Xenophontem, siue potius Cyrum loquentem apud facundum Xenophontem: decet me relinquere regnum declarando (quis debeat regnare) ne sit id ambiguum, negotium vobis facessat. ait autem se πρωτεῖον relinquere τῷ προτέρῳ γενομένῳ ei qui natus est prius, & πλειόνων ἐμπείρῳ qui habet maiorem vsum rerum. vides non tam habuisse rationem ætatis, quam prudentiæ, quam iam adeptus erat Cambyses præ fratre.

Si dicas, maximos natu solere communi consensu nationum præferri, cum Hispani, Galli, Germani, aliiq. populi præferant maiores natu.

Respondebo, morem hunc non esse adeò antiquum, nam Primigenij Hispanorum inuecti sunt à Gothis barbaris. Feuda instituta sunt à Langobardis, præter morem Græcorum, & Romanorum, apud quos quidem Romanos talia semper sunt ignorata, cum tamen nobilitas nulla vnquam fuerit clarior, & maior quam Romana.

Feuda scilicet, & Fideicommissa perpetua, & iura pri-

migrorum, præter quam quod iniuriam faciunt minoribus qui nati sunt iisdem parentibus, non permittunt transferri in ipsos maiores natu verum dominium, & perfectum, cum non possint bona immobilia & alia alienare, sintq. tantum domini fructuum. non ergò in præcipua ratione dominij succedunt patribus.

Adde per feuda, fideicommissa perpetua, iura primogeniorum, domos, agros, villas, lacus, & talia poni maxima ex parte extra commercium, cum vendi, emiq. nequeant. quod quis non videt valde incommodare vrbibus, & felicitati ciuili? apud Romanos autem pleraq. omnia erant in commercio, vt norunt Iurisconsulti.

Quod si omnia, quæ protulimus ostensuri Cyrum testamentum non condidisse, non adhuc satisfacerent, posset quis dicere nequaquam talia dixisse sub finem vitæ Regem, sed sic narrata fuisse à Xenophonte. docti namq. viri dixerunt Xenophontem non prorsus historicè se gessisse, sed descripsisse Regem, qualem decebat esse. Moribus autem Atheniensium post Solonis leges testamenta condebantur. Ergò Xenophontem voluisse Cyro factionem testamenti tribuere, licet verè non testatus fuerit.

Prosequamur iam reliqua quæ prolata fuerant ad ostendendum testamenta esse iuris gentium. Iacobus non condidit testamentum, cum peregrinus nullum patrimonium in Ægypto haberet. tantum tanquam Vates bona precando prædixit quædam filiis suis. quod autem circumfertur testamentum Patriarcharum apocryphum est.

Ezechias monitus est, vt præciperet domui suæ, quia morituri quædam solent mandare commendando famulos, &

 ami-

amicos, iubendo aliquid de funere. sic Iosephus cum moreretur praecepit, vt suum corpus transferretur in Palaestinam. res autem ipsa loquitur Ezechiam non condidisse testamentum. Ergo de testamento non est locutus Esaias, quando dixit praecipe domui. Cur enim cum S. Scriptura referat de morte tot Regum nullius testamenti facit mentionem? quod Attalus, Micipsa, imò Ptolomaeus Rex Aegypti testati sunt, secuti sunt Romanos, qui cum ferè totum occupauerint orbem, hinc adeò factum vt testamenta videantur coepisse esse iuris gentium. postquam enim Romani longè lateq. dominati sunt, etiam persuaserunt nationibus, vt testarentur. Ergò signum libertatis fuit in Germanis, quod non testarentur, quia eiusmodi in re non se gerebant more Romano.

Quod S. Paulus profert de duobus testamentis, id proculdubio per similitudinem quandã dictum est, vt & illud Rom. VIII. quod simus haeredes Dei, cohaeredes Christi. nam Deus non moritur, atq. adeò regnum caelorum haereditas strictè loquendo vocari non potest.

Ergò cum Deus mori non possit, quando dicitur testamentum instituisse in Mosaica lege id per quandam similitudinem prolatum est. ne dicam Exod. XXIV. non vocari testamentum sed foedus, quod adhibitis victimis sancitur à Mose. sanè διαθήκη, quo vocabulo vtitur S. Paulus aequè foedus, ac testamentum significat. quamuis fatear in Epistolis S. Paulum loqui de testamento, quia facit mentionem haeredis, & quod debeat interuenire mors testatoris, vt ratum sit testamentum. quae omnia prolata sunt non ex Gentium, sed ex iure Romanorum, quod tunc vigebat

etiam

etiam apud Iudæos, vt notum erat, propter imperium eorundem Romanorum.

Qui hæc audit forte colliget, quædam quæ orta sunt ex iure ciuili, posse redigi in numerum eorum, quæ sunt iuris gentium. nam pleraq. omnes nationes susceperunt morem testandi. dicendum nihilominus, plura alia regnantibus Romanis suscepta fuisse à populis, quæ non propterea dicuntur esse iuris Gentium. Quicquid enim ortum habet ab vna natione, id non potest dici iuris gentium, licet ad multas nationes propagatum sit. nam quæ iuris gentium sunt à diuina prouidentia constituta sunt, *neq. eorum potest reperiri initium.*

Ne mirentur interim si aliqui ob memoriam sibi ponentes populos, qui didicerunt testamenta condere à Romanis dixerunt testamenta esse iuris Gentium. quod non affirmassent, si altius rem repetentes perpendissent populos ante legem Solonis, anteq. imperium dilatatum à Romanis nequaquam vsos testamentis. Poteram finem imponere disputationi, attamen lubet adhuc quædam attingere, quæ ad hanc rem faciunt.

Profertur ab iis, qui putant testamenti factionem esse iuris gentium l. Verbis legis ff. de verb. signif. quæ ita habet: Verbis legis XII. tab. vti legassit rei suæ ita ius esto, latissima potestas tributa videtur, & hæredes instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoq. constituendi.

Respondet recentior Iurisconsultus non aliunde, quam ex gentium moribus eam propositionem legem confecisse.

At quis nescit XII. tab. in plerisq. omnibus confectas ex legibus Solonis? Solon autem primus factionem testamentorum introduxit in urbe Athenarum, cum antea testamenta in illa Republica in usu non essent. quod confectum ex legibus Solonis, id confectum non ex iure Gentium, sed Ciuili.

Seruus est capax eorum, quæ iuris Gentium sunt ff. si id quod ff. de condict. indeb. at incapax testamentariæ factionis. Ergo factio testamenti non est iuris gentium.

Huic argumentationi est qui occurrit dicendo seruum nullo iure, nec ciuili, nec gentium testari posse. quod frustrà dicitur. nam cum controuersum sit an testamenta sint iuris gentium, non est confugiendum eò ut dicas seruum iure gentium non posse testari.

Deportatus ea retinet quæ iuris gentium sunt l. sunt quidam ff. de pœnis, nec tamen condit testamentum, vel ex testamento aliquid capit l. eius §. in Insulam ff. qui testament. facere poss.

Non deest qui respondet deportatum non posse testamentum facere, quia cum testamento coniungitur ius ciuile.

Sed si testamenta sunt iuris gentium, cur non potest fieri talis separatio, ut qui non potest condere iure ciuili, saltem condat iure gentium?

Obijcis: Deportatum ex testamento militis capere posse l. neq. ff. de testament. milit. Ergo testamentum militis conditum est iure gentium.

Respondere est, beneficium hoc concedi deportato non ipsius causa, sed intuitu militis. Militum autem priuilegia absq. dubio sunt ex iure Ciuili. vide ff. de test. milit. l. I.

Absq. dubio enim ante Iulium Cæsarem miles non poterat instituere hæredem aut deportatum, aut fere quemlibet alium, qui testamenti factionem non habet. colligitur id ex l. 1. ff. de testam. mil. & l. neq. § deportati, eodem.

Quod si factio testamenti foret iuris gentium potuissent milites ante tempora Iulij Cæsaris tales hæredes instituere.

Concessum autem hoc est militibus, vt possent suam gratitudinem, suumq. affectum manifestum facere erga quoslibet absq. discrimine. cum enim pugnando, & periculum vitæ adeundo pro Republica adepti fuerint bona, par visum est esse, vt possent in quemcunq. conferre talia bona testando, & hæredem instituendo.

Alia exercitatio Dipnosophistica, in qua agitur de dissidio nationum in aliquo more, vt intelligamus quænam dicantur esse iuris gentium. Cap. CL.

IVris gentium cum dicantur esse illa, quæ apud omnes populos obseruantur, Ciuilia autem quæ sibi quisq. populus sigillatim constituit, cuius iuris dicemus esse ea, quæ in vsu sunt apud aliquot nationes, apud alias vt contraria ratione damnantur? quid dicendum in eiusmodi dissidio? exemplo res manifesta fiat. apud Ægyptios, imò apud Assyrios, vt aliqui tradunt, moris erat, vt fratres in vxores ducerent sorores. id testatur Dio, quando agit de Cleopatra, quæ nupsit fratri Ptolomæo maiori, & eo mortuo minori, vt taceam de Berenice. hunc autem morem non inuexerunt Ptolomæi Ægypto, sed inuentum ibi & ipsi cœperunt obseruare.

uare. nam Philo sic de specialib. leg. Ægyptius permisit licentiam ducendi sorores, siue per alterutrum parentem, siue per vtrunq. cognatas, ne gemellis quidem exceptis. *de Atheniensibus Cornelius Nepos in proœmio:* Cimoni non fuit turpe sororem germanam habere in matrimonio, quippe cum ciues eius eodem vterentur instituto. *Idem in Cimone:* Atheniensibus licet eodem patre natas vxores ducere. *sic differebant ab Ægyptijs, qui eadem etiam matre natas ducebant.* Lacedæmoniorum legislator, *teste Philone de leg. special.* vterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis.

Quin non defuerunt, qui dixerint apud Iudæos quoq. fas fuisse nuptias inire cum sororibus, adducto exemplo Abrahæ, & Saræ, & alio exemplo ex libris Regum, vbi soror compressa ait: poteras me petere, & ipse Rex forte annuisset tuo desiderio. sed reclamat de Iudæis Philo: deinceps præcipitur apud Mosem ne sororem quidem esse ducendam. *Mox ait Mosem omnibus modis prohibuisse concubitum cum sororibus.*

Coniugium igitur cum sororibus saltem nititur consensu trium nationum (vt Assyriam taceam) Ægyptiæ, Spartanæ, & Atticæ, quæ nequaquam fuerunt barbaræ, ac proinde videntur optimè nouisse quid sit consentaneum rationi. Aliæ autem nationes eiusmodi coniugium reiecerunt. Ergò lex de connubio inter fratres, & sorores nec est ciuilis, quia non vnius populi, nec iuris gentium, quia aliquot tantum nationes consueuerunt coniungere fratres cum sororibus. Quid respondendum? dubitandum non est tales concubitus

prorsus esse damnandos, licet apud Gentiles, & Poetas Iuno soror Iouis sit eius quoq. coniux. nam magno consensu reliquae nationes eiusmodi congressum reiecerunt.

Hinc autem saltem colligere licebit definitionem iuris Gentium sic accipiendam, vt quandoq. id sit iuris gentium, quod pluribus nationibus placuit, licet etiam tres aliquae in re contradicant, quod patet ex superiori exemplo.

Ad superiorem diatribam appendix, in qua agitur de populis qui spreuerunt coniugia cum peregrinis. Cap. CLI.

Aliquot nationes damnarunt coniugia cum mulieribus peregrinis. de Iudaeis Philo de leg. special. Ne alienigenam quidem vxorem sinit Legislator in thalamum recipi ne quando maritus ab ea seducatur, oblitusq. pietatis deflectat ad auia.

Athenienses quoq. auersabãtur coniugia cum peregrinis. peregrinus non poterat ciuem Atheniensem ducere. accusabatur, & conuictus vendebatur. peregrina itidem vendebatur. nec licebat cum illa, quae peregrinitatis fuerat damnata rem habere, nisi vellet mille drachmas pendere.

Pronunciabant igitur Athenienses, ne ciuis peregre nuberet, ne inquam, ciuis Attica externo nuberet.

Quid memorem Romanos, de quibus dixit Vlpianus connubij ius non esse inter ciuem Romanum, & peregrinam? hinc dixit Virgil.

Sequiturq. (nefas) Ægyptia coniux.

Spar-

Spartani absq. dubio etiam coniugia cum peregrinis s. cernebant, quandoquidem ne quidem ad vrbem admittebant peregrinos, nisi certis diebus hinc Theoph. Inst. lib. 1. Lycurgus peregrinos expellebat ne mores ciuium deteriores fierent. *alijs nationibus aliter visum.*

De Commodo contemptore philosophiæ, Cap. CLII.

A*Dmouerat Marcus Imperator doctrina illustres viros erudiendo filio Commodo, teste Herodiani. lib. 1.* Commodum, Marcus magna cura educauit accitis vndiq. viris doctrina claris, maximaq. proposita mercede, vti mores pro se quisq. filij, ingeniumq. excolerent.

Sed filius mortuo Patre corruptus ab adulatoribus vitijsq. prorsus deditus philosophos expulit aula, teste eodem Herod nemineq. non ab limine velut insidiatorem submouebat, quemcunq. aut probitas, aut disciplina vlla etiam mediocris illustraret.

Quantum ergò floruit sub Marco philosophia, tantum sub Commodo languit, quod annotaui, vt intelligamus optimè conuenire philosophiæ cum bonis sapientibusq. principibus, eandem verò valde inuisam esse Tyrannis, digeneribusq. Regibus.

Cur enim philosophiæ valde fauit Marcus? quia sapiens erat, & probus. cur ipsam contriuit contempsitq. Commodus? quia vitiorum erat mancipium. perstringamus osorem sapientiæ his versiculis:

De-

Dedecus Æneadûm, nec auiti nominis hæres,
Commodus, obliqua luce Lycea videt.
Increpitat Sophien, Sapientum commoda calcat,
Dediscit Patrem, iustaq. temnit aui.
O miserum, atq. iterum miserũ. nam vertice regni
Deiectus flebit, suppliciumq. luet.

De Maximo Tyrio, eiusq. dissertationibus. Item de Alcinoo. Cap. CLIII.

AN igitur prorsus exclusa est vrbe Roma omnis philosophia, quia philosophis non asculta bat Commodus? Non ita conclamatus est status sapientiæ etiam sub Tyrãnis vt non aliqui tunc philosophentur. Respice Tiberium, Caium, non defuerunt tunc qui philosopharentur. Sic sub Commodo vixisse Maximum Tyrium non ambigit, qui legit Suidam. apparet autem non semel adijsse Romam, & discessisse Maximum, quod indicant eius dissertationes. consueuerũt profectò peregrinari philosophi, qua de re non pauca legere est apud Dionem Prusaeum. non absimilia reperiuntur apud Ciceronem. inspice vitas philosophorum, statim occurrent peregrinationes. Plato ter adiuit Siciliam, tam discendi, mox docendi causa. Quid memorem Anacharsim, qui Scytha matre græca natus Athenas se contulit, congressurus cum Solone, quod ex animi sententia obtinuit? Sic existimamus fuisse sub Marco Maximum, cum ipsius in sua vita mentionem fecerit. Cuius sectæ fuerit si scire cupias, veteres manuscripti Platonicum appellant. quod etiam ostendunt dissertationes doctæ simul, & elegantes dignissimaq.

Aca-

Academia Socratica. subinde cum multa ad Academiam ve. rem faciencia promuntur, quæ magna cum laude auctoris versantur in manibus studiosorum. Videtur tamen magnæ libertati indulgere, vt Carneadem aliquem referre videatur. Eius morem ferè hodiè imitantur Itali in cœtibus eruditorum Iuuenum, qui extra scholas publicas conueniunt in ædibus viri alicuius Patritij, vt recitent orationes & carmina. Magni nominis est hodie adhuc Academia Furfuraceorum apud Florentinos, & Humoristarum Romæ, quibus quidem ego cum iunior essem adscriptus fui.

Maximo Tyrio addo Alcinoum, cuius reperitur introductio ad Doctrinam Platonis, opus sanè dignum, quod diligenter euoluatur à studiosis doctrinæ Platonicæ. an ipse vixerit tempore Maximi dicere non possum, apud Suidam sanè nihil de ipso reperi. quando floruerit, dicat qui obseruauit. Ego cum iam nihil aliud suppetat hominem refero ad seculum Commodi. erit qui forte melius ad posteriora referat tempora. in Maximum porrò & Alcinoum, qui vno circumferuntur volumine sic lusi:

Qui cupit optatum contingere dogma Platonis,
Socraticoq. grauem pellere fonte sitim,
Maximo, & Alcinoo impendat noctemq. diemq.
Quin memori euoluat grandia verba stylo.
Sic erit, vt gemina plectat sibi fronde coronam,
Doctrinæ radijs, eloquijq. micans.

De

De Septimij Seueri doctrina. quod de vita sua scripserit commentarium. Cap. CLIV.

IMperatorum doctrinæ non expertorum, quiq. orbi Romano, Romæq. præfuerunt auget numerum & censum Septimius Seuerus, armorum gloria inprimis magnus, philosophia etiam non ignobilis, licet in bellis, quæ multa feliciter confecit, gerendis occupatissimus. fuit quidem ferox, & vitæ duræ, laboribusq. insuetus, Afer genere, Pannonicis imperans militibus, Mathesim tamen litterasq. non neglexit. futurorum præsagia medius fidius obseruare, & discernere sciebat, vt propterea in maximam spem obtinendi imperij erectus fuerit, quæ omnia recensentur accuratè ab Herodiano lib. II. histor.

Præsagia autem futurorum ipse annotauit, & digessit in libris, quos de vita sua conscripsit.

Etsi autem natus fuerit in Africana vrbe Lepti, maiores tamen eius equites fuère Romani. latinis græcisq. literis eruditissimus fuit, *teste Spartiano. Romam venit studiorum ergò, Athenas petijt eorundem studiorum causa, quod idem historicus narrat, qui de philosophiæ cognitione non tacet dum ait:* philosophiæ, ac dicendi studijs satis deditus, doctrinæ quoq. nimis cupidus, vitam suam priuatam publicamq. composuit. *o fortunatum Principem, qui rara felicitate, res a se gestas literarum commendauit monumentis. nam si* beatos putamus, quibus *Deorum munere* datum est, aut facere scribenda, aut

Plinius lib. 6. ep. 16.

scri-

scribere legenda, beatissimum *dicere licebit Septimium, cui* vtrumq. contigit, *& simul reijcere insaniam eius, qui non ita pridem asseruit nemini fas, præter prophetas, & fatidicos viros, de seipso scribere, & historiam componere. inspexerat, puto, vitam Iosephi grauissimi scriptoris, ab ipso eodem compositam. cum autem Septimius armorum gloriæ addiderit decus sapientiæ, nos ei hoc offerimus epigramma:*

Septimium duplici circundat munere lauri
  Ætherei Virgo vertice nata Iouis.
Nam bello insignis Romano reddidit orbi
  Castrorum leges, militiæq. decus.
Ingens doctrina despexit sidera cœli,
  Et rerum causas eruit è sinubus.
Hinc etiam duplici nos illum laude vehendum
  Dicimus, ob sophiam, militiæq. decus.

De Iulia vxore Imperatoris Seueri fauente philosophis. extemporalitatis osores, homunciones obscuri, & ignari in ordinem rediguntur. Cap. CLV.

SEptimio Seuero philosophanti vera laude addi debet Iulia vxor, quæ & ipsa philosophiæ fuit perstudiosa, & multos philosophos in suo habuit aluitq. comitatu. Quod Iulia fuerit vxor Seueri, consentiunt historici, at an fuerit Antonini Caracallæ mater, non consentiunt scriptores. aliqui affirmant, alijs asserentibus fuisse eius nouercam. quod

 in-

primis traditum scimus ab Ælio Spartiano, qui etiam narrat, qua ratione idem imperator Caracalla ipsam cum pulcherrima esset, licet Nouercam in vxorem duxerit, magno incæstus crimine, quod non potuit excusari illa sententia: Imperator leges dat, non accipit.

Sed ad Philosophiam Iuliæ accedat oratio. Philostratus de vita Apollonij Tianæi sic scribit: Damidis commentarios quidam familiaris nondum editos Iuliæ Reginæ notos fecit in cuius aula cum frequentissimè versaret (erat enim Rhetoricæ facultatis studiosa) vt transcriberentur mandauit.

Idem Philostratus in vita Philisci Sophistæ hæc habet: Philiscus lite contestata apud Imperatorem (qui Antoninus erat philosophi ex Iulia filius) Romam missus est, vt sua disponeret. Ibi cum in Geometras ac Philosophos Iuliæ incidisset.

Dixerat Iuliam fuisse Rhetoricæ studiosam, hoc est sophisticæ, & Sophistarum, qui sophistæ etiam philosophi poterant dici, nam eloquentiam cum philosophica rerum cognitione coniungebant. En tibi verba Philostrati, in præfatione vitarum ad Consulem Antonium: Eos qui sub sophistarum nomine philosophiæ incubuerunt; *qui initium suum referebant ad decantatissimum Gorgiam Leontinum, de quo Cicero in II. de finibus:* E numero sophistarum primus est ausus Gorgias Leontinus in conuentu poscere quæstionem id est iubere, qua de re quis vellet audire. audax negotium: dicerem impudens nisi hoc institutum translatum postea ad philosophos nostros esset. *quodq. Sophistice suo sinu oratoriam & philosophiam com-*

complectatur afferit demùm Philostratus in principio libri primi de vitis Sophistarum: priscam sophistarum artem esse Rhetoricam philosophiæ deditam putandum est. Nam & de his,de quibus philosophi disputat. *Mox subijcit:* prima Sophistarum ars philosophica sibi subijciens, ea longius & prolixius prosecuta est.

Profitebantur autem ijdem Sophistæ extemporalem promptitudinem, extemporalem orationem, cuius initium aliqui retulerunt ad magnũ Periclem, alij ad Byzantiũ Pythonem, nonnulli ad Æschinem. Constantior sententia extemporalitatis agnoscit auctorem primum Gorgiam, qui cum in Athenienſium prodiſſet theatrum, proponite quodcumq. libuerit, dicere auſus eſt, teſte eodem Philoſtrato.

Hinc adeò factum, vt vbicunq. docebatur Rhetorica, siue Athenis, siue Rhodi, siue Romæ, extemporales declamationes locum haberent. Philostratus profectò dum enarrat vitas Sophistarum, extemporalitatem non omittit. loca transcribere nihil attinet, cum quisq. ea per seipsum inspicere possit. apud Petronium habes venisse quendam in porticum ab extemporali declamatione. *S Hyeronim. præfat. in librum Esther.* quæ dici poterant, & audiri sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate excogitarem. *D. Augustinus VI. Confess.* Cum medio die Alpidius cogitaret quod recitaturus erat sicut exerceri scholastici solent. *Iacobus Gaudensis lib. III. ærarij:* extemporales dicebantur oratores,qui responderent, ac si meditati essent. *de Augusto Suetonius cap. LXXXIV.* Mutinensi bello declamasse quotidie traditur. *subiungit;* non defecisse eum ad subita extempo-

poran facultate. *Nero profecerat sub Seneca, eloquentiamq. promptam hauserat. hinc apud Tacitum XIV. annal. ait ipse, dum respondet praeceptori:* quod meditatæ orationi tuæ statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum præuisa, sed subita expedire docuisti.

Valu[i]sse Iulianum Imperatorem tali facultate exploratum est, cum etiam vna nocte doctissimam, & prolixam orationem, quae extat composuerit. de Tito Imperatore sic loquitur Suetonius cap. III. latinæ græcæq. linguæ vel in orando vel in fingendis poematibus promptus, & facilis ad extemporalitatem vsq. *quam admirandus in eiusmodi calore fuit Statius. nec celeritate destitutus fuit Sidonius Apollinaris, vt nouit, qui eius epistolas non ignorat. Quintilianus lib X. cap. VII. docet quemadmodum extemporalis facultas paretur, & contineatur vbi audet pronunciare,* maximum studiorum fructum esse, & velut præmium amplius longi laboris, ex tempore dicendi facultas, quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia ciuilibus officijs renunciabit. *hodie tanta regnat inscitia, vt ne quidem sciant, Veteres extemporali valuisse facultate. Mos declamandi quotidianus prorsus est omissus. quod antiqui referebant ad magnam laudem si quis polleret extemporalitate, id obscurissimi quidam homunciones, quos quotidie videmus, culpant & vitio vertunt. si quem velint reprehendere, dicereq. eum non bene orare, non bene scribere, aiunt eum celeritate vti. quid igitur fiet tot celebribus scriptoribus, qui multa admodum nobis reliquerunt ingenij monumenta? Neq. enim tot libros*

eius-

euulgaßent si celeriter nos non composuissent. Respondeant, respondeant hebetes semihomines, qui aliorum promptitudinem sua tarditate metiuntur. Nam nec ætas nostra prorsus caruit eximijs ingenijs, hominibusq. qui extemporali facultate orandi scribendiq. valerent. Tales fuerunt in hoc nostro Gymnasio Mazonius, Dempsterus, & Balengerus. Tales sunt multi in Gallia, quæ regio nullo non seculo habuit viros facundos. sileant igitur deinceps calumniatores, tardigradi detrectores, nec in alijs culpent quæ ipsi otio, & vitijs dediti præstare nequeunt, desinant meis laboribus detrahere apud Principes, & Proceres. Nec enim nego mihi, & in Germania, in Insubria, Roma, atq. alibi, & hic præsertim vsurpatam extemporalitatem, contemptis insulsissimorum nebulonum, & ignarissimorum tenebrionum latratibus.

Oportet autem magnam rerum cognitionem sibi comparare, si quis velit ex tempore aut dicere, aut scribere: quid autem est multiplex rerum cognitio? Philosophia, vt tradit Strabo libro primo. hinc rursus Philostratus suos Rhetoras non auellit à philosophia. nam dicit: Dias Ephesios philosophiæ quidem suæ fundamentum iecerat ex Academia. *Mox de Carneade:* Carneades Atheniensis inter Sophistas scribitur. philosophia enim mente præditus fuit, & orationis vim ad summam euexit grauitatem. *de Philostrato quod philosophatus fuerit cum Regina Cleopatra, Sophistaq. appellatus. de Phauorino sic:* Phauorinum philosophum eloquentia inter Sophistas prædicauit. *Ergò meritò de Iulia Imperatrice dixit, quod habuerit philosophos in suo comitatu, & Rhetoricæ fuerit stu-*

studiosa. cui etiam acceptum debemus referre Commentarium Philostrati de vita Apollonij, quem non potuisset simplex Rhetor componere cum tam multa petat ex philosophia non ego excuso fabulositatem eius libri, quando auctor multa videtur cum suo Damide fingere de impostore Apollonio, vt suo loco latius exposui, negare tamen non possumus quin in eo multa vtilia contineantur ad Philosophiam facienda, si quis ea secernere sciat à fabulositate, quod sigillatim iam indicare non possum, cum sit res alterius argumenti. Cur verò qui Philosophiam profitentur talem librum non legunt? Noui causam. suum Aristotelem solum cognoscunt, & ab alijs auctoribus, per quos proficere possent, diligentissimè abstinent.

De Alexandro Aphrodisiensi. aliquid additur de Oppiano poëta.

Cap. CLVI.

A*Lexandrum Aphrodisiensem memorat Suidas, nec reticet Phorphyrius in vita Plotini. legebantur scilicet eius commentarij Romæ sub Plotino, tanquam optimi interpretis Aristotelis. floruit sub Septimio Seuero, & Bassiano Antonino Caracalla. nam octodecim annorum spatio regnarunt simul hi duo Imperatores. ad eos dedit Epistolam Alexander, quum eis offerret librum de Fató, vbi dicit:* cuius philosophiæ (*Aristotelicæ scilicet*) præfectus sum, vestro testimonio doctor illius pronunciatus. *Mox subijcit:* si autem per ocium operam dantibus vobis libro, oportere videbitur dictum fuisse aliquid clarius,

peto

peto ad me scribere de quæsitis. *hæc ille.*

Tanti porrò interpretis opiniones hac tempestate videntur à plerisq. postponi Auerroicis glossematis, nescio qua de causa, cum præsertim doctissimi sint viri, deq. philosophia Peripatetica non male meriti, malintq. Auerroistæ, quam Alexandrei appellari. sed quis non miretur mentem Aristotelis latuisse Alexandro adeo antiquo, & innotuisse tandem & tam serò Arabi Auerroi? Meum non est hic de huiusmodi vicissitudine Peripateticorum axiomatum disputare. hoc interim ausim pronunciare multa visa ab Auerroe excogitata, additaq. de quibus nihil cogitauerit Aristoteles, quod meum effatum ostendet suo tempore liber de Auerroica Peripateticæ dictæ extensione. mihi namq. placet Alexandrum longè Auerroi præferre. quod testor iam his versiculis:

Quisquis Alexandrum, quem florida secla tulerunt
Auerroi postponere
Haud dubitas, ferri à recta ratione videris.
Nam quis Pelasgo præferat
Mollem Arabem, aut Maurum, quem barbara natio iactat?
Quin dignus aure Cæsaris
Regnet Alexander, doctum det iura per orbem;
Sileatq. Arabs Auerroes.

Cum Seuero non occurrisset pater Oppiani poëtæ, eum in Insulam relegauit. filius composuit insigne poema de piscibus quod mortuo Seuero obtulit Caracallæ, à quo donatus est ingenti pecunia, vt de Patre reuocato ab exilio nihil dicam. dicta propterea sunt carmina illa aurea.

Quid

Quid hæc recensere attinet, inquies, quando de philosophia agitur? philosophus profectò fuit Oppianus, qui de piscibus tam doctè potuit disserere.

De Heliogabalo persequente eos, qui Alexandrum in disciplinis erudiebant.

Cap. CLVII.

F*Anaticus fuit homo pseudantoninus Heliogabalus, de quo ridenda, & prorsus indigna dictu narrant historici. Mammæa Alexandri mater, quem adoptauerat Heliogabalus, filium à fœditate omni vindicare satagebat. qua ratione? submittendo philosophos viros doctos. sic enim Herodianus:* submissis clam doctoribus omnium disciplinarum, græcisq. eum pariter, latinisq. literis instituens. *quid ad hæc Heliogabalus? Magnopere indignabatur, iamq. adoptionis, imperij participati pœnitebat, quapropter omnes illius doctores aula exegit, quosdamq. illustriores, partim morte, partim exilio affecit ridiculas allegans causas, quod filium ipsius corrumperent, neq. agitare eum choros, atq. ebacchari sinerent, sed ad modestiam componerent, & virilia officia edocerent. hinc in Heliogabalum insaniam, quæ valde imperium afflixit Romanum sic ludere placuit:*

Solisne mystagogus
Vocaris imperator,
Qui feruidus baccharis,
Ceu Mænas mentis impos?
Colisne solis orbem,

Ve-

Velut peculiare
Numen tibiq. gratum;
Procul interim Sophûm vim,
Qui splendent solis instar,
Procul iubes abire?
Ne quis graui furori,
Quo te videt perire,
Opem adferat, & medelam,
Ergò peri furendo,
Pœnasq; da furoris
Deiectus arce Regni,
Exutus ipsa vita,
Dum cœtibus sophorum
Infers furendo damna.

De Mammæa, quæ filium Alexandrum sapientiæ præceptis curauit imbui. Cap. CLVIII.

BEat nos philosophiæ Romanæ progressus. quandoquidem veridica narratione illuc nos deducit, vt sciamus Mammæam existimasse ope sapientiæ posse effici optimum Imperatorem filium Alexandrum, ijsq. instructum artibus, qua regna, & nationes sine sanguine in pacata tranquillitate regunt iuxta legum sanctissima iussa. Etsi verò alias quoq. fœminas habeat memorare philosophia, illisq. suam augere gloriam, nescio tamen an vlla mulier cum Mammæa comparanda promouerit sapientiam, tantumq. ipsius profecerit auspicijs. laudamus matrem Agricolæ, quod

filium Massiliam miserit ad capessendum ingenij cultum sub disciplina philosophorum. at ille Dux tantum extitit belli contra Britannos, non præfuit orbi Romano. Admouit philosophum erudiendo filio Agrippina, scelestis cæteroqui, & pessimis artibus infamis, pudenda prorsus philosophiæ. custodiuit libros patris filia Pythagoræ, sed egestate pressa non potuit amplius de sapientia bene mereri. Audierunt Plotinum mulieres, nominatim Gemina mater, & filia. Amphiclea, sed sibi vacauerunt, neq. magnopere fructum, qui ex philosophia percipitur vt arremus, ad alios porrigere potuerunt. Hypatia docuit Alexandriæ, discipulumq. præter alios magnum Synesium habuit, sed vmbratica tantum fuit magistra, lapidibus tandem misera à furente plebe obruta. Mammeam autem in lucem, inq. splendorem immensum produxit philosophia, quæ sic curauit imbui filium, vt euaserit Romanorum imperator omnibus numeris absolutus. Ergò gloriam Mammeæ comitentur versiculi quos obseruantia in tantam fœminam plenius effusi, calore extemporali, quorum tenuitati si recte non successerit faciet rem sua humanitate dignissimam. Neq. enim nobis licet esse tam felicibus, vt de rebus arduis sermones soluta oratione, mox mentem, calamumq. ad subitum [illegible] transferre carmen-

[illegible]

Mammæam Aoniæ victuro extollite Diuæ
Carmine, Mammæam Phœbus & ipse vehat.
Induperatricem, qua non præstantior vlla
Extitit, haud repens dicere debet epos.
Nam Natum genitrix primis instruxit ab annis,
Vt rectum haud segnis carpere vellet iter.

Quo

Quo vocat excelsas animas Tritonia virgo,
Quo sophiæ inuitat, sanctaq. iura trahunt,
Candida quò virtus signato tramite ducit,
Quò ciues latia lege Quirinus agit.
Artibus his fretus Cæsar se more probauit,
Quem rigidus Censor, vel probet ipse Cato;
Imperioq. regens populos tria lustra peregit,
Qualia Saturni secla fuisse ferunt.
Ergò Mammæam, generosam Heroida, Musæ
Dicite, Mammæam Phœbus & ipse canat.

De Alexandri Seueri philosophico studio. quod coluerit Apollonium Tyanæum, de quo plura proferuntur. Cap. CLIX.

ALexandro Seuero absq. dubio cari fuerunt philosophi. nam Lampridius ait eum cum conuiuaretur adhibuisse doctos homines. *legebat libros Platonis de legibus eodem teste, & Ciceronem de Officijs, & Republica. habuit etiam præceptorem in prima adolescentia, seu pueritia philosophum Stilionem, in Larario suo habebat* animas sanctiores (*inquit Lampridius*) inq. eis Apollonium; / *scilicet Tyanæum; quem profectò Gentiles, vt diuinum hominem, & plusquam hominem venerabantur. sic enim Eunapius in proœmio:* Apollonius Tyanæus non iam philosophus, sed mediæ inter Deos ac mortales naturæ particeps: quippe qui Pythagoreæ discipline Sectator, illius diuinitatis famam, dignitatemq. adauxit:

 de

de quo atnè perſcripſit Philoſtratus Lemnius, editis libris, quibus titulum fecit: vitam Apollonij, cum debuerit verius inſcribere, Acceſſum Dei ad homines. *Narrat Flauius Vopiſcus Aurelianum de euertenda Tyana cogitaſſe, ſed Apollonium Tyanæum, celeberrimæ famæ, auctoritatiſq; ſapientem, veterem philoſophum, amicum verum Deorum, ipſum etiam pro numine frequentandum recipienti ſe in tentorium ea forma, qua videtur ſubitò adſtitiſſe, atq; hæc latinè vt homo Pannonius intelligeret dixiſſe:* Aureliane ſi vis vincere, nihil eſt, quod de meorum ciuium nece cogites. Aureliane, ſi vis imperare, à cruore innocentium abſtine. Aureliane, clementer te age, ſi vis vincere. *Norat vultum philoſophi Aurelianus. Cur ita? quia eum in multis templis viderat. ergò Gentiles effigiem, Apollonij collocabant in templis perinde ac ſi Deus foret, aut Heros. Subijcit Vopiſcus Aurelianum mox mutaſſe propoſitum euertendæ Tyanæ, imò & imaginem, ſtatuas, templum pollicitum. quod ait ſe legiſſe in bibliotheca Vlpiæ libris. Mox exclamat:* quid illo viro ſanctius? venerabilius, antiquius? diuiniuſq; ? ille mortuis reddidit vitam. ille multa vltra homines, & fecit & dixit.

Sic ſcribere Vopiſcum non miramur. nam cum Gentiles viderent quotidie magis ac magis propagari Chriſtianam veritatem, & adorari Seruatorem noſtrum, Chriſtum Ieſum, ipſi in furorem acti, paſſim Magum, & impoſtorem illum Apollonium, vt diuinum, imò vt Deum commendabant. Sed fruſtrà fuiſſe, res ipſa docuit. hodie enim Apollonius prorſus negligitur, & inter magos recenſetur.

fetur: Christus autem vt verus Deus, & æterni Patris filius adoratur ab omnibus ferè Nationibus.

De Gordiani Imperatoris philosophia. de Sammonico Sereno, patre & filio, quorum hic fuit præceptor Gordiani. Cap. CLX.

Gordianum Seniorem deditum fuisse philosophiæ asserimus præeunte Iulio Capitolino, qui sic loquitur: Hic enim vita venerabilis cum Platone semper, cum Aristotele, cæterisq. veteribus agens, alium quam merebatur exitum passus est. *nam cum vidisset interfectum filium in prælio, seq. imparem Maximini viribus in Africa, laqueo vitam finiuit, vitamq. cum imperio amisit.*

Mirum autem non est dedisse operam seniorem Gordianum, vt nepos quoq. philosopharetur, nam ei dedit præceptorem Q. Serenum Sammonicum. qua de re iterum Iulius Capitolinus: In studijs grauissime opinionis fuit, memoriæ singularis. Sereno Sammonico, qui patri eius amicissimus fuit nimis acceptus, & charus vsq. adeò, vt omnes libros Sereni Sammonici patris sui qui censebantur ad LX. & duo millia Gordiano minori moriens ille relinqueret, quod eum ad cœlum tulit. siquidem tantæ Bibliotecæ copia, & splendore donatus, in famam hominum literatorum decore peruenit.

Vides duos fuisse Serenos Sammonicos, patrem, & filium, & filius quidem paternam bibliothecam reliquit Gordiano Iuniori. Qui vitam Q. Sereni Sammonici conscri-

Sartorius confudit patrem cum filio, nam dixit Q. Serenum Sammonicum fuisse Iunioris Gordiani praeceptorem, & eius meminisse Spartianum in Caracalla. nam Spartianus loquitur de patre non de filio. pater autem non fuit praeceptor Gordiani, sed filius. de patre sic Spartianus: occisi sunt, & in balneis plures, & in cœnis inter quos Sāmonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. *idem Spartianus in Geta:* Sereni Sāmonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit.

Inter eos libros erant, qui agebant de Reconditis, citantur enim à Macrobio, qui eius quoq. meminit lib. III. Satur. cap. XVI. ostenditq. Seniorem Sammonicum floruisse sub Seuero, adq. eum scripsisse. Audiamus Macrobium: temporibus Seueri principis, qui ostentabat duritiam morum Samonicus Serenus, vir, vt eo seculo doctus, cum ad Principē suum scriberet faceretq. de Acipensere sermonem verba Plinij præmisit, & ita subiecit: Plinius vt scitis adusq. Traiani Imperatoris venit ætatem, nec dubium est quod ait nullo honore hunc piscem temporibus suis fuisse, verum ab eo dici, apud antiquos autem in pretio fuisse, ego testimonijs palam faciam.

Hodie Sammonici nihil extat præter præcepta Medicinæ inter quæ reperitur amuletum aduersus hemitritæum ex Magorum petitum disciplina, vult enim chartæ inscribi Abracadabra quod putat vir eruditus fictū ex Abraxa qui erat Deus Basilidis, & Valentini. ipsi autem religionem eiusmodi nugis inquinārunt sub Adriano, & Antonino Imperatoribus. dubium autem non est, quin tale amuletum

quod

quod meglam sapit, debeat reijci. Sed discedat à Sammonico ca amus, exaratis tamen versiculis, tanti hominis famæ dicatis.

Sammonicum resonet Parnasus, namq; Serena
Luce micat, veluti Cynthia nocte micat.
Ast, varia chartas quas scripserat arte Serenus,
Inuida rugoso secla tulere situ.
Ergò nequicquam Sophiæ pallescimus vmbra,
Si nos Parca rapit, si pereuntq. libri.

De Plotino, quando se contulerit Romam, quandiu ibi vixerit?
Cap. CLXI

ROmanæ ciuitatis felicitas philosophica tunc potissimum visa est esse in meridie, imò in celsissimo fastigio, quando Romana iuuentus pependit admirationis plena ab ore docentis Plotini. is enim Gordianum proficiscentem ad bellum Persicum comitatus est, quo perempto Antiochiam se contulit, inde Romam imperium tenente Philippo, vt narrat Porphyrius in eius vita, atq. tunc quadragesimum ætatis annum agebat. perseuerauit autem in vrbe vbi sit bene, ad colloquium quidem admittens nonnullos, colloquijsq. inserens Ammonij præceptoris sententias. permittebat amicis interrogare, atq. inprimis Amelio, qui apud ipsum vixit viginti quatuor annis. venit etiam Romam Porphyrius cum Antonio Rhodio è Græcia, reperitq. Amelium. agebat tunc Plotinus quinquagesimum nonum annum, decimo anno Galieni imperantis, sed Phorphyrius impleuerat tricesi-

mum. Tuncq. idem Plotinus scripserat unum, & viginti libros, quorum compositionem aggressus fuerat primo anno Imperij Galieni. sic viginti & uno libris decem annorum spatium impendit.

Quod certè omitti non debuit quandoquidem sic augetur, & illustratur philosophia Romana. Cur enim philosophiam Plotini Romanam non vocem, si Roma composita est? incredibili profectò beneuolentia Romani viri, imò mulieres philosophiam profecutæ sunt. nam in domo Geminæ, quæ ab ipso discebat cum sua, habitabat.

Multi etiam tam mulieres quam viri cum morti propinquarent filios suos tam Mares quam fœminas vnà cum omni eorum substantia Plotino tanquam custodi tradebant, atq. commendabant. Quocirca Plotini domus plena erat puerorum virginumq. incoluit Romam sex & viginti integros annos, diremit plurimas multorum controuersias, nec tamen vllum habuit inter ciues inimicum. Ergò à summo antequam discedamus philosopho, recitetur Epigramma, eius dicatum honori:

Plotinum quicunq. legit, putat esse Platonem,
Aurea qui quondam dogmata composuit.
Vsq. adeò Plato Plotini versatur in ore,
Plotinum vt iures mente Platonis agi.
Ergò Plotini versa sublime volumen,
Qui cupis Actæi pandere dicta senis.

De Amelio Gentiliano, qui fuit familiaris Plotino. Cap. CLXII.

A*Melius sileri non debet. de eo sic Suidas:* Amelius Apamensis philosophus, discipulus Plotini, præceptor Porphyrij, æqualis Ammonij & Origenis. *Is etiam vocatus fuit Gentilianus, teste Porphyrio in vita Plotini, dum inquit:* inscribitur sane liber (*Longini*) de fine ad Plotinum, Gentilianumq; cognomēto Amelium. *vixisse Amelium Romæ satis constat, cum dicatur fuisse Plotini familiaris. sunt verba Longini apud Porphyrium:* præterea & qui etiā nunc Romę viuunt, Plotinus, & Gentilianus Amelius, Plotini familiaris. *Scripsit non paucę egregia, si fides eidem habenda. nam ait:* Plotinus, & Gentilianus Amelius propositionum copia referti sunt, scribendiq; munus serio elegerūt, proprio quodam more contemplationis vtentes. *Visus est Amelius vestigia Plotini sequi, sed ambitu prolixiore verborum abreptus, induit contrariam Plotino formam. contra eundem Amelium scripsit Longinus de Iustitia apud Platonem posita.*

De Longini vita, scriptis, & morte. Aureliani gloriam non parum obscuratam tanti viri cæde. Cap. CLXIII.

L*Onginum referimus in hoc opusculo de statu philosophorum apud Romanos, quia licet non videatur vnquam fuisse Romæ, tamen quia interfectus est ab Aureliano Impe-*

ratore Romanorum, cum omittendum non existimauimus, verba Flauij Vopisci in Aureliano hæc sunt: Graue inter eos, qui cæsi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa Magistro vsa esse ad Græcas litteras dicitur, *quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamuis Syro esset contexta sermone. Zosimus etiam in Aureliano eius eruditionem, scripta, & constantiam in subeundo supplicio laudat. An fuisse Christianus dicendus aut saltem semi Christianus? affirmet aliquis quandoquidem in libello de sublimi genere dicendi facit de scriptis Mosis iudicium, id tamen non satis est, nam & Themistius ex S. litteris in orationibus profert testimonium, nec tamen Christianus fuit. Claudianus etiam poëta composuit Epigramma de Miraculis Christi, Gentilis tamen fuit.*

Suidas porrò sic de ipso loquitur: Longinus Cassius philosophus Porphyrij Magister, vir magna doctrina, *& acri iudicio. fuit sub Aureliano Imperatore, ab eoq. occisus est per causam conspirationis cum Zenobia Odenati vxore. Recenset quædam eius opera ibidem. ex vita autem Plotini scripta à Porphyrio constat nonnulla contra Porphyrium ab ipso composita fuisse. sic enim ipse apud Porphyrium:* Tyrius Basilius (*hic est Porphyrius*) non pauca Plotinum imitando tractauit, atq. Plotinum ipsum magis, quam viam regulamq. nostram probans libri cuiusdam compositione conatus est opinionem de Ideis Platonicam veriorem esse quam nostram. hunc, inquam rescriptione quadam opposita, mediocriter arguisse videmur, vt qui non rectè

scili-

scilicet recantauerat. *haec ibi Longinus.*

Longini ea singularis laus, quod eruditissimus simulq. doctissimus fuerit, & philologiam cum philosophia coniunxerit, quod suo loco etiam de Annaeo Cornuto protulimus. Eapropter praeterire non possumus verba Eunapij in vita Porphyrij: Longinus, *inquit,* cæteris omnibus suæ ætatis antecelluit: & librorum eius ingens circumfertur copia, illiq. ipsi admirationem obtinent, quod si quis vetustum auctorem aliqua in parte reprehendisset, non prius rata atq. firma habebatur opinio, quam Longini illud confirmâsset iudicium. *& paulo antea:* Ea tempestate erat Longinus spirans quædam bibliotheca, ac viuum Musæum, cui de veteribus iudicandi potestas permissa erat, quo munere ante illum Dionysius è Caria perfunctus fuerat.

Tu tamen, Aureliane Imperator, talem tantumq. virum è medio tollere non dubitasti, quo facto nemo dubitat tuum de Zenobia triumphum obscuratum fuisse. Quæ namq. gloria non tenebris inuoluatur, si adiunctam habeat sapientissimi hominis mortem omnium præclarorum virorum lacrymis deflendam? Longini gloriæ velificetur hoc Epigramma.

Longino æthercam præbet sapientia dextram,
Et generosam animam collocat in gremio,
Atq. sinu mentem fouet, vt caliginis vmbra
Heroem haud tangat, quin nigra regna petat.
Nempe viros, vitam qui transmittere per artes
Palladio in solio gloria, luxq. manet.

Romæ fuisse Porphyrium non semel, profecisse sub Plotino, vixisse vsq. ad Probum. Cap. CLXIV.

B*Is Romam se contulisse Porphyrium ambigere nos nequaquam par est. primum illuc est profectus, vt ab ore Plotini docentis penderet, quod ipse testatur in vita eiusdem Plotini, nosq. cum de eodem ageremus non reticuimus. de secunda profectione proferre licet testimonium Eunapij in vita Porphyrij. nam postquam aliquot annos transegit in contubernio tanti præceptoris, transmisit in Siciliam. inde Lilybæum contendit, vbi iacuit in suspirijs vitam trahens, inedia se macerans, nihil cibi admittens, et in tanto periculo vitæ constituto superuenit Plotinus, ac locupleti verborum copia euolaturum iamiam corpore animum à mortis limine reuocauit, ipsumq. adeò corpus animauit, vegetumq. reddidit.* Romam igitur reuersus interruptum studiorum cursum, dicendiq. facultatem prosecutus fuit, sæpe in publicum prodiens, vt doctrinæ specimen daret.

Videtur autem ipsum præceptorem superâsse, quandoquidem Plotinus inuoluta scribebat ratione: sed Porphyrius tanquam Mercurialis quædam catena ad mortales dimissa, omnigenæ eruditionis beneficio, cuncta apertè, dilucidè clareq. explicabat.

Cur discesserit Roma, reliqueritq. Plotinum, id causa fuit, quod atra laboraret bile, cuius causa iussus est ab vrbe discedere, vt ipse testatur, subijciens hæc verba: quo

qui-

quidem factum est, vt ab hoc animi proposito desisterem, sed interea impedirer, quò minus Plotino vsq. ad obitum eius adessem. *mortuus est Plotinus triennio post Porphyrij discessum ab vrbe.*

Quod profectò conciliari non potest cum narratione Eunapij, qui testatur Plotinũ Porphyrio mori volenti circa Lilybaeum superuenisse, hominemq. reuocasse Romam.

Ita potest esse controuersia bisne aut ter, aut tantum semel se Romam contulerit Porphyrius.

Vbi autem obijt? Respondet Eunapius, videri extremam senectutem attigisse, diciq. Romæ vitam cum morte commutâsse, *tradente itidem Eunapio. sic vita eius amplexa est imperium Galieni, Taciti, Aureliani, & Probi Imperatorum, vt discimus ex eodem Eunapio. quamuis non defuerit, qui scripserit pertigisse vsq. ad tempora Constantini, & ab ipso reuocatum ab exilio, religionem Christianam suscepisse. quæ sententia iampridem explosa vt futilis alia non indiget confutatione. detestati autem prius odium Phorphyrij in religionem Christianã, eius in reliquis doctrinæ sic applaudimus:*

Purpura Porphyrium circundet, purpura Reges
Si facit, hic Rex est, qui sapit vsq. sophus.
Qui sapit atq. animum magnis virtutibus explet,
Sceptrigerum est dignus Regis habere decus.
Sed qui mentis inops, vitijs obnoxius annos
Transigit, est seruus mancipiumq. merum.
Salue ergò Sapiens, regione exorte Syrorum,
Regaleisq. nitens nomen honoris habe.

Exa-

Examinatur, & confutatur paradoxum Porphyrij docentis hominem esu carnium pollui. agitur etiam de heresi Encratitarum. Cap. CLXV.

SI disputare liberet de iis, quæ in suis operibus tradit
Porphyrius, eaq. ad veritatis expendere lancem, vo-
lumen aliud scribendum esset. At hic historiam successio-
nis philosophicæ congerimus. liceat tamen aliquod effatum
ex Porphyrianis examinare, qui in libro de abstinentia ab ani-
lib. 4. *malis consequenter fere contentionis studio abripi, ut pro-*
nunciet carnium esu nos fœdari, pollui, & immundos red-
di his verbis: quare corruptio etiam, & inquinatio
contrarij mixtio est, hoc est mortuorum in animalia,
& eorum quæ sensu vixerunt, in viuentia, & carni-
um mortuarum in viuentes iniectio merito nostræ
naturæ pollutionem, & inquinationem inducit. *quod*
profecto abhorret à cõmuni ipsorum Gentilium sensu, quan-
doquidem perquam frequentia erant conuiuia, quæ ab ipsis
instituebantur ex hostiis mactatis. hinc scribunt viri eru-
diti olim Athenis, quando ad celebrandã aliquam publicam
solemnitatem conueniebant, magnã inter tribus fuisse de præ-
stantia victimarum contentionem. Itaq. naturali victima-
rum altilium habitudine non contenti, artem adhibebãt, quæ
pinguiores, & opimiores videbantur, incisa bobus cute, spiri-
tũ arundine in viscera immittebant, pinguescere eos hac ratio-
ne autumantes, ut narrat philosophus hist. de an. lib. 8 cap. 7.
scimus etiam consueuisse olim amicos inuitari ad sacrificiorũ
epu-

epulabimur. Euripidis versus apud Athenaeum dictum: victimas cura coquendas: vt ex visceribus vnà simus, & epulemur. *Visceratio profectò apud Suetonium de victimae parte accipitur, quae non adolebatur, sed communis apponebatur. de Vitellio:* Ne in sacrificio quidem aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem statim viscera & farra pene rapta è foco manderet. *Sic de Latinis Ferijs qui scribunt, ex Dionysio Halicarnasseo lib. IV. narrant Tarquinium Superbum designasse templum Romanis, & Latinis commune, vt conuenientes quoq. anno in locum designatum nundinarent, vnaq. vescerentur, ac de communibus extis partem quisq. eorum caperent. nam non recitat Dionysius vrbes quae participes erant eiusmodi solennitatis, & sacrificij fuisse quinquaginta. plura in eiusmodi rem quid attinet congerere? sacrificijs homines expiantur, non polluuntur. An peracto sacrificio statim seipsos polluere voluissent comedendo carnes, si carnium esu homo polluitur? Cur etiam Marcus Imperator qui fuit philosophus, cuiusq. authoritatem contemnere non potest Porphyrius, tot hecatombis sibi reddere satagebat Deos propitios, quae quidem hecatombae & sacerdotibus & populo praebebant epulas, si carnes comestae immundos reddunt homines? Iulianus & ipse philosophus imitatus est Marcum. sic enim Marcellinus libro XXV.* innumeras pecudes mactabat, vt aestimaretur de Parthis si reuerteretur iam boues defuturos: Marci illius similis Caesaris, in quem id accepimus dictum: Candidi boues Marco Caesari: si tu viceris nos perimus.

Vides ipsos philosophos Gentiles inter se dissensisse de re-

bus

bus grauissimis, vt propter eiusmodi dissidium facilius Christiana veritas potuerit de superstitione triumphare. nam Porphyrius magnus philosophus docebat non esse fas mactare pecudes, aliaq. animalia, putabat etiam pollui eos, qui mactatarum victimarum carnibus vescerentur. In alia omnia abibant Marcus, & Iulianus Imperatores, & philosophi.

Christus Seruator noster dixit: Nihil quod ingreditur per os, coinquinat hominem. Comedit ipse in suprema cœna agnum Paschalem. omnes patres familias quotannis eum mactabant, & ex eo vescebantur cum familia.

Sed obijci possunt quædam pro paradoxo Porphyriano, quorum solutio veritatem magis ac magis illustrabit.

Gen. VII fit mentio animalium immundorum etiam sub lege naturæ. Ergò saltem quædam animalia, si eorum carnibus quis vescatur, polluunt. nam Deus dixit Noe: ex omnibus animantibus mundis tolle septena. Ergò quædam erant immunda.

Contactu, imò præsentia cadauerum polluebantur sacerdotes non tantum apud Gentiles, sed etiam Iudæos. ergò multomagis esus carnium fœdat, & reddit immundos.

S. Ecclesia vetat ne quibusdam temporibus vescamur carnibus. videntur igitur nos polluere.

Tatianus S. Iustini Martyris discipulus, & Tatiani secuti Encratitæ perquam diligenter abstinebant ab animatis, ne sibi damnationem attraherent. videntur igitur sensisse esu animatorum omnium, etiam piscium hominem pollui.

Eleazarus voluit potius mori, quam vesci carne suilla.

S. Apostoli Act. XV. edixerunt vt omnes abstineant à san-

sanguine & suffocato. Christiani Veteres auersabantur botulos, & quælibet potius tormenta ferebant, quam vt eos comederent.

Hæc, & eiusmodi facile dissipantur, nec tuentur Porphyrianum paradoxum. nam quædam animalia erant immunda in Veteri Testamento non natura sua, sed propter diuinam interdictionem. Nunc autem in nouo testamento eiusmodi differentia sublata est, abolita lege Mosis.

Contactu cadaueris humani polluebatur olim Pontifex & sacerdos. quod non recte transfertur ad cadauera animalium brutorum, quæ mactantur. Etenim olim sacerdotes semper versabantur circa victimas non hominum, sed brutorum animalium. hodie nec contactu siue præsentia cadaueris humani sub Noua lege fœdantur sacerdotes.

Ecclesia nos vetat vesci carnibus quibusdam temporibus propter sobrietatem, non quod putet absolute nos pollui esu carnium, alteroqui non permitteret vt vnquam vesceremur carnibus.

Tatianus cum suis Encratitis damnatus est ab Ecclesia, & inter hæreticos repositus. & S. Doctores dicunt S. Paulum Doctorem gentium de eiusmodi hæresi vaticinatum, quando dixit I. Tim. IV. in nouissimis temporibus discedent quidam à fide loquendo mendacia abstinere à cibis, quos Deus creauit. *eiusmodi errorem videntur Encratitæ hausisse à secta Pythagoræorum, quorum dogma conatus est prolixè defendere Porphyrius. Ergò dum S. Paulus ait fore, vt aliqui mendacia loquantur, dum volunt persuadere, vt abstineamus à cibis, quasi nos polluant, visus etiam est vaticinari de Phorphyrio contendente homi-*

num pilini esu Carnium.

Sectarij nostri temporis valde male transferunt verba S. Pauli ad oppugnandam Ecclesiam Romanam, quæ non dicit nos pollui esu carnium, nec absolutè vetat nos vesci animatis nam vescimur in quadragesima piscibus, igitur S. Paulus intelligendus est de Encratitis. Audiamus de ipsis S. Patres. S. Augustinus Her. XXV. ad quod vult: Taciani non vescuntur carnibus, easq. omnes abominantur. *nos Catholici etiamsi ieiunij tempore abstineamus à carnibus non propterea eas abominamur. nam extra ieiunij tempora præscripta à S. Ecclesia ijs vescimur, putamusq. errasse Porphyrium, dum dixit, pollui hominem esu carnium.*

De ijsdem Tacianis sunt hæc verba S. Epiphanij hæresi XLVII. Encratitæ animatis vesci prohibent; non temperantiæ studio neq. peculiari ex instituto vitæ, sed falso quodam & affectato metu, ne ob animatorum esum sibi damnationem attrahant. *hæc ille, quæ valde notanda sunt. vnde etiam intelligimus rectè pronunciasse Tertullianum plerasq. hæreses à sectis philosophorum ad Christianos manasse hoc est multos cum Catholici essent defecisse à Catholica veritate, dum incautè philosophos Gentiles sectantur. Encratitæ namq. videntur hausisse suum errorem à Pythagoræis.*

Eleazarus renuit comedere carnem suillam, quia tunc vrgebat lex Mosis.

S. Apostoli sanciuerunt ne quis vesceretur sanguine & suffocato, & id aliquandiu obseruarunt Christiani ad honorandam legem Mosis, quæ tandem prorsus abolita est.

Imponam finem dissertationi, si reuersus ad Porphyrium,

dicam

dicam eum à propria confutari superstitione, quæ obseruabatur in cultu Matris Deûm, qua tamen nihil sanctius apud miseros Gentiles censebatur esse. Nonne enim qui talia peragebant mysteria carnibus vescebantur? an dicit Porphyrius eos pollutos, qui talem cultum Cybeles peragebant? si audeat affirmare non ferent eum sacerdotes, non Roma, non Athenæ vbi Mater Deûm accuratissimè colebatur. sed prodeant verba Iuliani Imperatoris orat. V. Carnibus vesci (*in cultu Matris Deûm*) sic lex sacra concessit, vt leguminibus interdixerit *quam legem ibidem aduersus quorundam obiectiones defendit Imperator, & forte sub nomine hominum non vulgarium, aduersus quos disputat, intelligit Porphyrium, qui si velit censorem agere eorum, quæ peraguntur in sacris suæ religionis non audietur à quoquam, sed tanquam homo nimium tribuens suo iudicio explodetur.*

Putasse Porphyrium, consentire inter se Platonem, & Aristotelem. aduersus eiusmodi opinionem inseritur huic libro exercitatio. Cap. CLXVI.

DOlendum inter alia opera Porphyrij, perijsse etiam septem libros de Platonis & Aristotelis consensione. Cum enim ipse peritissimus fuerit non minus Aristotelicarum, quam Platonicarum opinionum, & in scribendo dederit operam, vt nodos Platonicos solueret admi-

nico, & Aristotele scriptum interpretationum, ut testantur Veteres. si superesset eiusmodi opus, multum lucis nobis suppeditaretur ad intelligendum utrunq; philosophum. An vero vere inter se conueniant Plato, & Aristoteles, ut quidem dixit Porphyrius, de eo vehementer cogimur ambigere, cum aliter alij doctissimi philosophi senserint, sententiamq; quadrem, cum iam pridem exarauerim exercitationem, lubet eam hic insertam cum studiosis communicare, & in certa membra distinguere.

Quinam antiquis temporibus discordes, aut concordes fuisse Aristotelem, & Platonem putarint, quinam nostra tempestate? non utilitate carere hanc disputationem. laudatur Sebastianus Foxius. Num. I.

DE consensione, aut dissidio quando agitur Platonis, & Aristotelis, dissidere inter se, & certare videmus doctissimos viros non minus antiquos quam recentiores. nam magni Ammonij, qui praeceptor fuit Plotini, temporibus, nonnullos consueuisse inter se crebrò rixari Platonicos, & Aristotelicos, qui propterea fieri non posse putabant, ut in amicitiam, & fœdus coire possent duorum Philosophorum dogmata. at aliud visum Ammonio, atq; Porphyrio, ipsiq; etiam Boetio. interpretes quoq; Aristotelis Themistius, Simplicius, Philoponus in suis commentarijs dederunt sedulo operam, ut idem videretur dixisse discipulus cum praeceptore. Non eadem fuit antiquorum Patrum Ecclesiae sen-

sententia. nam in suis voluminibus, quibus Gentiles oppugnarunt, subinde dissidij Platonici, & Aristotelici fecere mentionem. Auerroes porrò, ut subsecuta memoremus secula, cum unum suspiceret Aristotelem, unumq. putaret nusquam errasse, nusquam à veritatis tramite demum incessisse, millies cum suo Magistro in suis commentarijs vellicauit Platonis decreta, & opiniones. Sanctus autem Thomas, Theologiq. Scholastici, quia in non paucis conati sunt ad Religionem Christianam dicta, et scripta Aristotelea trahere, dederunt quoq. operam, ut intelligeremus non adeò male conuenire Platonem cum Aristotele. Aquinatis vestigijs hi itaq. sequuntur illi, qui non sigillatim, & perpetua serie Aristotelem interpretantur, sed quæstionum fluctibus ingenia adolescentum alias imbecillia turbant. qui autem aliam ineunt in tradendo dogmate Aristotelico rationem, & non interrupto filo libros Philosophi exponunt, planè addictis Aristoteli frequenter significant, in quibus altercetur discipulus cum Magistro. sic se gesserunt, qui superiori quoq; ætate floruerunt Peripatetici Patauij, Ticini, Bononiæ, Pisis, atq; etiam Parisijs. pars enim pauci sunt peripatetici, Platonicam doctrinam, atq; scholam insuper habentes, non tam odio atq. contemptu Platonis, quam studio obeundi muneris, obeundaq; prouinciæ, sibi à moderatoribus Gymnasiorum impositæ. Non defuere tamen, qui suspicientes Aristotelem conterere non dubitauerunt nomen Platonis, itaq. ipsum magna conuitia fecerunt, simulq. dissidium tantorum hominum magis ac magis ob oculos ponere studiosis sunt conati. Talis fuit Trapezuntius. E contrà Donatus Veronensis, Gemistus Plethon exploserunt Aristotelem, ut su-

spi-

spicerent Platonem, sicq. dogmata Aristotelis descripserunt vt præ Platonicis sorderent. Franciscus quoq. Patritius cum profiteretur Ferrariæ Platonicam Philosophiam omnem lapidem mouit, vt opprimeret Aristotelem, eucheret Platonem. ipse igitur in eorum ponendus est numero, qui stant à discordia Platonis, & Stagiritæ. sunt alij, qui æquè admirantes Platonem & Aristotelem, laborem exantlant ingentem, vt concordes fuisse in Philosophico curriculo palam faciant. Talem se præbet Iac. Mazzonius in libro de vita actiua, & contemplatiua, & in præludijs ad Platonicam Philosophiam. Eadem mens fuit Sebastiano Foxio Hispano, viro profectò sapienti, in libro de natura philosophiæ, in quo totus est in exibenda consensione duorum summorum virorum. Etsi autem Bessarion Cardinalis putet dissidere inter se Platonem & discipulum, ipseq. magis adhæreat Platoni, non tamen inuehitur in Aristotelem, dum insaniam castigat Trapezuntij. Nec silendus est Buratellus, qui pro concordia composuit, euulgauitq. disputationes, nequaquam cum opere Foxij conferendas; siue namq. stylum, siue doctrinam respicias, non est quod quis sollicitè chartas illas euoluat. expertes enim sunt eruditionis, non Platonicas, non Aristotelicas opiniones rectè sciunt.

His sic expositis, videndum deinceps, quæ momenta pro concordia depromi queant, quæ vicissim rationes pro discordia deduci possint, dispiciendum. Cum enim viri docti pro vtraq. sententia militarint, atq. inter se luctati fuerint, ambigendum non est non deesse modum, quo quis dissidium duorum philosophorum, aut etiam consensionem tueri sit potis. Dicemus tandem, quid nobis videatur, vt eliquata

veritate norint deinceps studiosi, dissideantne an concinant inter se tanti viri, philosophiæ Principes.

Sed quæres, cui bono velificetur hæc dissertatio? Nihil enim videtur profutura, cum consensio ipsa aut dissensio nihil nos doceat. dicendum potius foret à cuius partibus stet veritas, quemq. potius sequi nos deceat. vtilitate tamen non carituram hã. disceptationem ex eo intelligere licet, quia facem præferet tam Aristoteli, quam Platoni. Quis enim ignorat multa obscurè dicta fuisse à summis viris? Qui autem dogmata ipsorum inter se componit, magis ac magis, quid senserint, intelligit. Nonne Bessarion, nonne Foxius (vt alios omittam) dum Platonem, cum Aristotele componunt magna fruge bonarum rerum, magna copia philosophicæ messis nos ditarunt, multaq. feliciter depulsis tenebris illustrarunt? Ne igitur quisquam hanc exercitationem, antequam eam legerit, vt inutilem reijciat atq. contemnat.

Quæ Concordiam Platonis et Aristotelis tueri videantur. Num. II.

Expenditur auctoritas Ammonij, & Porphyrij pro concordia facere Themistium, Simplicium, Philoponum. non facilè posse solui, quæ pro Concordia proferuntur a Foxio. concordiam esse vrgendam, ne Aristoteles videatur fuisse impius, & ingratus.

PRo *Concordia Platonis, & Aristotelis quæ militant prodeant, felicibus auspicijs in aciem. Quis enim paci, consensioniq. non faueat? facit ipsa ad dignitatem philosophiæ, cuius antesignani fuerunt Plato, & Aristoteles. nam si semel intellexerimus eadem tantis viris placuisse,*

quis

quis in ipsorum sententia non conquiescet suauiter, remota, proculq. sublata re omni ambiguitate? si verò audiuerimus non idem visum fuisse tantis Magistris, si persuasum nobis fuerit dissidijs omnia esse plena dogmata Platonica, & Aristotelica, à nobis exulabit quies, concutietur mens, ad scopulos perplexarum cogitationum allidetur cymba nostra, de veritate inuenienda desperabimus. Cum namq; plus vno verum esse nequeat, & vtriusq. Sophi summa sit auctoritas, quis ausit de rerum natura aliquid certi, ex animi sententia pronunciare? Necesse profectò est si dissident, alterutrum errasse; errauit aut Plato, aut Aristoteles vterq. apex, vterq. summus. quisquamne erit, qui iudex sedeat, vnúq. probatum ferat, alterum damnet? Nonne temeritatis notam apud omnes eos, qui iudicio, prudentiaq. non destituuntur subibit? Non vlterius progrediar declamando, cum vnusquisq. facile videat, quæ nobis mala imminerent, si dicamus dissidere inter se Platonem, & Aristotelem. pro consensione igitur ipsorum, tanquam pro aris, & focis pugnandum est.

Quis etiam sapere velit supra Ammonium Plotini præceptorem, supra Porphyrium, cæteros summatæ doctrinæ philosophos, quos nihil latebat arcanorum Platonis, & Aristotelis? vtriusq. enim volumina tam nota habebant, quam proprias ædes, ipsi cum peruasissent cuncta, in omnem partem se vertissent, dixere consentire Platonem, & Aristotelem, cur dissentire afferemus nos, & tamquam sues docebimus Mineruam? [illegible] Ammonium introduxisse modum conciliandi præceptorem cum discipulo testatur Hierocles, qui et ipse valde reprehendit eos, qui dissidere aiebant Platonicam, & Aristotelicam.

Cum

Cum Ammonio, & Porphyrio idem sensisse apparet Themistium, Simplicium, Philoponum, quos cum in explicando Aristotele veluti fidissimos sequamur duces, non diffidamus ab ipsis, quando sæpe Platonis opinionem ad illustrandum Aristotelem adesse iubent. Nonne turbabitur omnis nostra tranquillitas in explicando summo philosopho, si contemnamus tantorum interpretum testimonium? ibimus per auia, si hanc deseramus viam. Paucis dicam, si sentias dissidere inter se Platonem, & Aristotelem, cogeris in quamplurimis deserere Themistium, Simplicium, Philoponum. hos si linquis, hos si vitas, quos sequeris? num nouitatem Arabicam Auerrois, græcæ Antiquitati illorum præferes? vide quid agas, ne dicam ipsum Auerroem sæpe per vestigia tantorum hominum incedere. Boetius in lib. II. de interpr. est pollicitus se demonstraturum consentire Platonem, & Aristotelem, & non dissentire, vt plerique tunc putabant.

Consensionem Aristotelis, & Platonis cur reuocas in controuersiam, si iam doctissimi viri prolatis vtriusq. testimonijs bellè inter se concinere ostenderunt? sume in manus, ne alia memorem, Foxij quoq libros, quos eleganter, accuratosq. de Natura philosophiæ exarauit, maximo cum profectò experieris difficultatem, si dirigas opinionem tuam contra disertissimam egregij doctoris expositionem. soluenda tamen sunt illa omnia, quæ valdè multa ibi reperiuntur, si obstinatus obduras, affirmasq. Platonem cum Aristotele dissentire.

Nisi consensionem vrgeas Aristotelis cum Platone, Alexandri præceptorem vt impium, vt Epicureum, vt Religionis rerumq. diuinarum contemptorem cogeris abijcere; con-

terere, damnare, Scholis excludere. An enim Christianæ iuuentuti commendabimus vt præceptorem, qui asserat mundum factum non esse à Deo, nullos esse dæmones, genios nullos, animam humanam esse mortalem, cumq. corporibus extingui, mundum planè incorruptibilem esse, neq; destrui posse, nulla esse post hanc vitam præmia aut pœnas, ignorare Deum, quæ singillatim apud nos geruntur, neq. eius prouidentiam vltra lunæ orbem descendere, Deum esse affixum Sphæræ stellatæ versandæ in orbem, nihilq. aliud agere. Eiusmodi, inquam, effata cogeris palam tribuere Aristoteli non absq; euersione Christianorum dogmatum, si non satagas eum cum Magistro conciliare.

Vt ingratum quoq. Aristotelem volens traduces, pessum dabis, qui ausus fuerit erigere molem dogmatum contrarie planè fronte cum decretis Magistri pugnantium. Damnabis vt audacem, qui voluerit nouitatem architectari aduersus Academiæ leges, & eius fundamenta euertere. quam enim ingens est Platonici dies gloria, quam diffusus splendor. si putas dissidere Aristotelem à Magistro te in hos laqueos induis, vt dicas voluisse sapere supra diuinum præceptorem iuuenem Stagiritam. Quid verò turpius potest de quoquam dici, quam si affirmes, oppugnatum ab ipso eum, per quem profecerat, per quem doctus euaserat? Ingratos profectò homines omnium seculorum consensus summopere detestatur. ad ingratitudinem autem Aristotelis, si verè bellum gessit aduersus Platonem, nulla accessio fieri potest.

Intelligi si debent dicta Platonis, vt à doctissimis Platonicis exponuntur; non vt videtur in pessimam partem aliis

contentionis ab Aristotele trahi. Conqueruntur enim frequenter Scholæ Platonicæ proceres à peripateticis non rectè exponi sententias Platonis, vt absurda videantur. Si porrò explicentur secundum id, quod dicere voluit Academiæ fundator, omnia benè habent, & non solum concinunt vero, verum & Aristotelis approbant enunciata. Cur enim Aristoteles sibi finxit inepta dogmata, eaq; impegit Platoni alijsq; veteribus, vt ipsis destructis gloriam nominis sibi pararet? Philosophum decet candor, decet probitas, dedecet calliditas, vagaq. agendi ratio. Hanc querelam aduersus Aristotelem legere est apud multos grauissimos scriptores, vt reipsa nisi non possis dubitare. Verba scriptorum cum passim prostent, & oculis omnium obuia sint, non exscribo.

Hæc dicta sunt in gratiam eorum, quibus cordi est Platonis cum Aristotele consensio. deinceps quid dissensionem defendat, recensere non dubitabo.

Quæ discordiam Platonis, & Aristotelis manifestam reddant? Num. III.

Extollitur Alexander Aphrodisiensis, qui solus videtur olim rectè exposuisse Aristotelem. Aristotelem palam fateri se dissidere à Platone. exemplis asseritur discordia Aristotelea à Platone. plurimos stare à discordia, valde paucos à concordia. de duabus scholis vna Platonis, altera Aristotelis. Platonem hodie iacere, Aristotelem placere.

NOn minoris ponderis censenda sunt esse, quæ pro discordia afferuntur. Nam præsto statim est Alexander Aphrodisiensis, qui vixit temporibus Seueri, &

Antonini Imperatorum. is ob antiquitatem, obq. summam doctrinam visus est semper principem sedem inter professores peripateticæ philosophiæ obtinere. Certè si quis vllum ei prætulerit, satis superq; ostendet se nescire, quid distent æra lupinis, ignorare, quid sit Aristotelem probè interpretari. Scio subinde eius dicta vellicari à Simplicio, Philopono, sed nequaquam nouitij homines, qui sub Mauritio Imperatore vixerunt cum Alexandro comparandi sunt. quæsiuerunt illi quidem gloriam ex ipsius oppugnatione, sed nihil promeruerunt. Nam maximi Peripatetici, qui superiori ætate atq. etiam nostra longè melius exposuere dicta Aristotelea, quam Simplicius, & Philoponus longè reliquis prætulerunt Alexandream præstantiam, Alexandreum acumen. In illustri loco collocata sunt opera Zabarellæ, aliorumq. qui verum me dicere abundè demonstrant. Mirum verò non est non incessisse per vestigia Alexandri Simplicium, & Philoponum, cum habuerint præceptorem Ammonium Hermiæ filium non tam Aristotelicum quam Platonicum. Alexander verò purus, merus germanusq. fuit peripateticus, neq; Platonica cum Stagiritis importunè, affectata diligentia commiscuit. Eum quisquis sequitur, vt certè doctissimus quisq. peripateticus sequitur in eruendis sententijs Stagiritæ facilè intelligit nequaquam eadem esse Platonis, & Aristotelis placita. Id adeò exploratum esse videtur, vt quisquis coniungere, conciliareq. Platonica cum Stagiriticis satagit, iam dici debeat à Peripato, à Lyceo ad Academiam transfugere. Explorare ergò quisquis non ambigit cum Alexandro decreta Aristotelis, protinus diffidere discipulum à Magistro edicere non differt. si quis verò volit præeuntem sequi Aphrodisium

disium ducem, protinus à via, quæ ducit ad templum peripateticum aberrabit devius, decedet nescius, & ignarus recti tramitis. Si consentiunt Aristoteles, & Plato, cur Iulianus Imperator, & Isidorus philosophus longè maioris fecerunt Platonem Aristotele, & acquieuerunt magis in sententijs Platonicis quam Aristotelicis? Cur etiam idem Iulianus putauit Aristotelem referendum esse ad Platonem non viceuersa Platonem ad Aristotelem?

Toties Aristoteles disertis verbis fatetur se dissentire à Socrate, à Platone, & nos contra consilium ipsius luctamur, herculeumq. laborem nequicquam exantlamus, vt dicatur idem cum Platone dixisse. ò malesuadam diligentiam, ò infelicem conatum. certe dum inire gratiam apud Stagiritam volumus, hominem magnopere offendimus, irritamus. Hanc enim putat suam gloriam oppugnare tamquam falsa, veritatisq; expertia dicta Platonis, meliorаq, discere cupientibus ostendere. Nonne exclamat palam: Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas? *si idem sentit cum ipsis, dissentit à veritate, nam ait sibi acceptiorem ipsam esse. Ergo à veritate putat abire Socratem, abire Platonem, sibiq. beneuolentiam parat, depellitq. superbiæ notam. dum enim insurgit disputando aduersus tantos viros, possit quis fastum, arrogantiam, petulantem audaciam interpretari. ipse contra ait à se quidem magnifieri excelsum fastigium Socratis, Platonis, sed præferri merito quibuscumq. etsi maximi sunt, veritatem; ne dubitemus de discordia Platonica, atq. Aristotelica. sanè si hodie volumina Platonis & Aristotelis in omnium manibus non versarentur, posset forte quis credulus cupidisq. obtrudere*

de-

decantatam, multisq. optatissimam consensionem. Nunc cum nos clam esse nequeant ea monumenta, cur consentire dicimus, qui apertissimè dissentiunt? cur amamus caecutire in meridie? cur tali nescio qua religione, potius dicerem superstitione delicias nobis facimus ficta concordia, quae nusquam in dictis Platonicis, & Aristotelicis se conspiciendam praebet?

Transmigrare animas, ab aeterno factas purgari apud inferos, redire superas ad auras, subire caelum, rursus descendere, exploratissimum est apud Platonem dogma. apud Aristotelem eiusmodi de rebus altissimum silentium. si semper, vt credit Plato, fuere animae, scientia semper atque praedita fuisse dicentur apud eundem, vt tunc discere existimentur, cum reminiscimur. in aduersam opinionem dirigit brachia Aristoteles, animamq; tabulam rasam, in qua nihil plane exaratum sit, appellat. haec quis pacificus ciuis conciliare possit aut velit? Gradus Diuinitatis, summum Deum, Mentem genitam, genitam a Mente mundi Animam, mediam naturam inter materiam, & animam mundi, animaeq; mundi inseruientem in Academia, in Schola Platonis quis non audiuit? cuncta haec ignorantur in Lyceo, potissimum dante quam grauiter operam, ne multitudo Entium supernacanea in vniuersitatem rerum inuehatur.

Caelestium corporum, atq; etiam elementorum motum nonne cum Platone imputamus Animae mundi vbiq; diffusae, cuncta cienti, cuncta animanti? apud Aristotelem primus motor haeret non in centro, sed circumferentia stellifera Sphaera, eam sic agit in orbem, vt vlterius vim non porrigat, cum vertendis aliis orbibus, imò singulis ipsorum la-

tionibus

omnibus præsit intelligentia. Exempli tantum causa hæc delibaui, ne dubitemus de discordia Platonica Aristotelica, statuamusq. infeliciter sudare, fatigari eos, qui ad concordem sententiam reuocare satagunt discordes animas, nunquam in amicitiam, & fœdus ituras.

Ex ijsdem numero stant à concordia, Ammonius, Porphyrius, Boetius, Mazonius, Foxius, & vnus atq; alter alius. Plerique omnes tam veteres, quam recentiores dissensionem Platonis, & Aristotelis non dissimulant. Taurus Berytius, teste Suida, composuerat librum de differentia dogmatum Aristotelis, & Platonis. Eusebius sæpe citat librum Attici Platonici contra Aristotelem à Platone dissidentem. Nam Themistium, & Simplicium, cum Philopono non omninò asseruerim recensendos inter concordiæ auctores. In castris igitur dissidij sunt Platonici Aristoteles omnes, qui florebant cum floreret Ammonius Plotini præceptor, & qui docebant tempore Boetij, vt iam superius docuimus ex eius verbis. Instar omnium non abest Alexander Aphrodisius, sequitur Plotinus, quo quis peritior fuit Platonicarum opinionum? accurrunt omnes Auerroistæ, qui conficiunt magnum agmen omnium propè Arabum. Achillinus, Pomponatius, Cremoninus, Buccaferreus, Mercenarius, Girua, Zabarella, Vicomercatus, & vt breuiter eloquar quotquot post barbariem depulsam Peripatum restaurarunt. Qui enim verum germanumq. dogma rimati sunt Aristotelis, sua sponte discessere à Platone. Adiungendi sunt peripateticis Platonici Marsilius Ficinus, Diacetius, Bessarion, alijq; qui dum Platonem præferunt discipulo, maluerunt Platonici dici, Platonem sectari, atq; adeò fateri non esse quod quis

putet

putet inter se tumultuantes, & iactantes Platonem & Aristotelem ad consensionem conclamandos.

Nec dissimulandum est perpetuum duarum familiarum inter philosophos discrimen. nam si idem fuit duorum animus, cur abiuerunt in geminam sectam discipuli, vt pars diceretur esse Platonica, Aristotelea pars? Nemo profectò peritus historiæ quiq; sanæ sit mentis peripateticos confuderit cum Platonicis. Quæ vero in re differunt, si dogmatibus, quæ à Principibus hauserunt, non dissident?

Subiunxerim, inq. cumulum tulerim ire, nostri seculi doctores plerosq. omnes hospites planè esse in scriptis Platonis, eumq; insuper habere, & negligere, Aristotelis verò nomen semper in ore habere, eius dogmata apud iuuenes in scholis profiteri, atq. exponere. Concordes si essent duo Duces, vni qui militat, in alterius quoq; castris mereret stipendia. Nunc verò tantum abest, vt Platonis latus stipent, vt potius palam à Platone se abhorrere asserant, atq. affirment. Quæ omnia, quibus plura non allego, discordiam Platonis & Aristotelis comprobant, euehunt, concordiam desiciunt, humi affligunt.



Dis-

Dissoluuntur ea, quæ pro Concordia Platonis, & Aristotelis facere videbantur.

Num. IV.

Philosophorum proprium esse diffidere. dubitare eos, qui scire volunt. Ammonium voluisse conciliare Aristotelem, & Platonem gentilis superstitionis causa. Foxium non probare consensum Platonis & Aristotelis, respondetur nonnullis, quæ ipse profert. non esse iudi[illegible] etiamsi Aristoteles ab ipsa dissideat. Aristotelem liberè Philosophando non fuisse ingratum in præceptorem.

INficias non eo, me sentire cum iis, qui putant conciliari cum Platone nequaquam posse Aristotelem. ne ergò mutila mancaq; exeat dissertatio de discordia summorum hominum, cogor vltimam laboris partem subire, disiicereq. nubem earum argumentationum, quæ pro concordia stabant in acie. Neq; verò est quod quisquam putet magnam nobis in eiusmodi opera exantlandam esse difficultatem. tales etenim sunt, vt non sit defectura ratio, quæ ipsas ratione carere ostendat. age ergò rem aggrediamur veritate, vt puto, annuente, fauente.

Cur soliciti simus de Pace, concordiaq. philosophorum? Sancti Patres Ecclesiæ frequentes in eo sunt, vt dissidia philosophorum memorent, euertantque auctoritatem eorum qui sic inter se belligerantur. Bellum gerant inter se Plato, & Aristoteles; an ideò periclitabitur veritas? Nobis nulla est veritas planè explorata, præter illum, qui dixit: Ego sum veritas. *Ex eo nata est philosophia, quia homines cœperunt dubitare. tolle libertatem ambigendi, vni-*

uersam philosophorum rationem euerteris. Quod si vt philosophemur, ambigendum est, cur velis in amicitiam, consensionemq; ire philosophis? ambigere sibi putauit licere Aristoteles de effatis Magistri, quia viderat praeceptorem, vt Philosophus esset, ad ambiguitatem animum appulisse.

Ammonius, Porphyrius cum dolerent male audire apud Christianos Platonem, & Aristotelem dissensionis causa, ideò dederunt operam, vt eos conciliarent, sicque inseruirent Gentilis, caecaeq; superstitionis incolumitati. Ausim tamen spondere non ex tota animi sententia id praestitisse Ammonium, Porphyrium, qui sicut acuti erant, facilè animaduerterunt facilius iungendos gryphes equis, quam vt veri Peripatetici cum Platonicis concinerent.

Sumantur quaeso in manū libri eorum, qui velificati sunt argumento tractato ab Ammonio, nihil eos promouere cogeris intra exiguum temporis spatium fateri. legi nuper libros Foxij optimos omnium, qui in hanc rem prodierunt, vis dicam, quod sentio? vacillant. Erit forte tempus cum nactus otium id singillatim ostendam, deducam. interim ne planè ieiunus à mea discedas pollicitatione, accipe tractationis suscipiendae exiguum specimen.

Collocat Plato naturam inter Animam mundi, & materiam, aut docet naturam esse ipsam mundi animam. nihil eiusmodi reperies apud Aristotelem. vide de significatus naturae V. Metaph. cap. IV. & II. physic. vbi reperies formam maximè dici Naturam, formam, inquam, principium internum, quod vnicuiq; rei largitur esse. ait tamen Foxius primum Motorem ab Aristotele appellari primam naturam. Nego hoc apud Aristotelem inueniri. An enim dices primum Mo-

Motorem esse formam cæli nequaquam. nam perfectus actus est, perfectaq; substantia, nec potest cum cæli corpore coalescere. Adde naturam secundum Platonem esse seminariam vim vbiq; diffusam, vbiq; animantem, aut saltem Animæ mundanæ inseruientem. Primus autem Motor Aristoteleus est tantum in oriente, aut saltem in circumferentia Stellifera Sphæra.

Idem Foxius lib. II. cap. III. docet Platonem afferere cælum esse quintam essentiam, vt videatur cum Aristotele concinere. Mox fatetur illum tradidisse esse igneum cælum. Non ergò est quinta substantia, quam Aristoteles prorsus it inficias esse igneam. frustráq. ad auctoritatem Plutarchi confugit quasi Aristoteles cælum ex igne esse factum tradiderit. nam id forte tradiderat Aristoteles in aliquo opere exoterico ex quo tamen non debent peti germana dogmata Peripateticæ vtinam vero qui Peripatetici volunt videri, non vterentur testimonio exotericorum.

Ait Foxius apud vtrumq. cælum esse æternum. ita est, sed magno discrimine. nam Platoni sic cælum est æternum, vt sit factum, Aristoteli non est factum. sic toto cælo dissident, in re grauissima, qua quæritur cælumne sit factum an non?

Sed inquit Foxius, lib. II. cap. I. videri eiusdem ferè, cum Platone esse sententiæ Aristotelem, nisi quod planè mundum esse æternum affirmat, nulla dei opificis. aut illius ab hoc dependentiæ, vt sic dicam, habita ratione. *dixerat supra de Platone, ipsum concludere mundum* esse factum, quatenus à Deo pendeat. *imò ideò pendet à Deo, quia factus est, nam si factus non esset, an penderet*

deret

deret à Deo? quod profectò à se est, à nemine pendet. quapropter ex sententia Platonis mox melius subiungit, mundum esse æternum, quatenus ad illius exemplar æternum fictus sit æternus. *Vides secundum Platonem mundum esse factum, atq. ideò pendere à Deo.*

Iuxta verò Aristotelem, non factus est mundus, atq. ideò non pendet à Deo. imo idcò æternus est, quia factus non est. nam si factus esset, æternus esse non posset sic quidem, vt puto, existimante Aristotele, nullum quod factum est, æternum esse posse, cum Plato non hæc putet inter se pugnare, æternum esse, & factum esse. disertè namq. docuit Mundum factum esse, æternumq; esse.

Talia plura possem ad Fixium, quem cæteroqui suspicio, exarare. Sed iam lubet paucis reliqua enodare, quæ nexueram pro Concordia Aristotelea, & Platonica.

Aristotelem docuisse animam esse mortalem aliqui scriptores Ecclesiastici tradiderunt, atq. alia multa in ipso deprehendimus, quæ prorsus pugnant cum Religionis Christianæ decretis. non est, quod nos hoc turbet. nam dum Iuuentuti eius opera prælegimus, simul monemus, in quibus vir tantus errauerit lumine Euangelicæ veritatis destitutus. Etsi verò concineret Platoni, tamen dimius abiret in grauissimis dogmatibus à tramite Catholico. qualia enim, quæ occurrunt in Platone de æternitate mundi, de Pythagoræa æternitate, circuitu omnium animarum. Talia abijcienda penitus sunt nobis, dum Catholica profitemur dogmata, vt eadem difficultate laborare pronuntiemus Concordiam Platonis cum Aristotele, cui obnoxia est discordia.

Ingratitudinis notam à ceruice Aristotelea depelles, si cogites,

gites, nihil esse magis consentaneum Philosophiæ, quam si cum libertate dubitandi, oppugnandi coniungatur. Quod si exigas fidem, neq. patiaris doctos homines à te dissentire, non tam scientiam præfers atq. profiteris, non Philosophi personam sustines, sed imperium exerces, vt Principes, & Magistratus, in cuius leges conceptis verbis iurant subiecti populi. Nec spreuit Aristoteles Platonem, cum ei statuam tamquam optimè de se merito posuerit, sic enim conatus est apud posteritatem testari gratum animum erga summum diuinumq. virum.

Quod si quandoq. videatur torsisse verba Magistri Aristoteles, non desunt tamen plurima, vt exponuntur ab ipsis Platonicis, quæ planè luctantur cum pronunciatis Aristotelis; desinant igitur deinceps docti homines nequicquam inani se lassare opera, nec sperent se posse impetrare, quod cum reipsa palam pugnare deprehenditur.

Appendix.

DIxi in superioribus num. Simpliciũ non esse prorsus addictum concordiæ Aristotelis cum Platone. contra quod obiicies, in principio Commentarij in prædicamenta monere ipsum, vt qui philosophiam interpretatur satagat Aristotelem, & Platonem ad consensionem reuocare. Addes Simplicium passim in libros de Cælo, & physico auditu sic se gerere, vt ostendat Platonis bene cum Aristotele conuenire. Respondendum puto, dedisse quidem operam Simplicium, vt videatur cum Platone dissentire Aristoteles, non vno tamen in loco tueri Platonem aduersus Aristotelem fate-

fateriq. Aristotelem non pauca protulisse contra Platonem vt ea, quæ videntur esse contraria suæ scholæ oppugnaret. non obscurè autem indicat Aristotelem vndiq. arripuisse occasionem inuadendi Præceptorem, potuissēq. in multis abstinere ab oppugnatione.

Vbi Aristoteles impugnat Platonem, quod materiam dixerit esse locum formarum, ait Platonem non propriè locutum, quemadmodum non propriè locutus est ipse Aristoteles, quando vocauit ante lectum locum formarum.

Commentario in VIII. physic. prolixè disputat Simplicius, an Deus secundum Aristotelem sit non tantum causa finalis, sed etiam efficiens mundi, quemadmodum etiam docuit Plato? respondet affirmando, adducendoq. auctoritatem Alexandream, quæ asserit, Deum esse causam efficientem motus cœlestis.

At longè aliud est, esse causam efficientem motus cœlestis, aliud mundum condidisse. nusquam Aristoteles dixit Deum esse causam efficientem mundi.

Quod si contendas existimasse Simplicium concinerè Aristotelem, & Platonem, & id ostendisse in suis commentarijs, respondebo multa desiderari videri in eiusmodi concordia, quam frequenter videtur molitus Simplicius.

De Memoria Philosophorum celebrari solita quotannis. Cap. CLXVII.

CElebrium philosophorum natales puto celebratos fuisse Romæ conuiuijs, hilaribusq. conuentibus. nam satis constat celebratum natalem Virgilij, Lucani, vt & Cæsij

& Bruti. Cur non idem transferamus ad philosophorum illustrium natales? Athenæus profectò lib. V in principio sic scribit: sunt autem multi philosophorum conuentus Athenis Diogenistarum, Antipatristarum, Panætiastarum, legauit ad hæc conuenticula pecuniam Theophrastus. *Non deest, qui verba Athenæi accipiat de stato die anni; sed quid vetat transferri ad Natales, in quibus memoria tantorum hominum hilariter renouabatur? dices hæc nihil facere ad statum philosophiæ apud Romanos, nam tales conuentus, teste Athenæo, instituebantur Athenis, non Romæ. Respondeo, & dico Romanos quandoquidem sese Athenas philosophiæ causa conferebant, absq; dubio interuenisse talibus conuentibus. Probabile etiam est eos, qui studiorum causa illic versati fuerant, domum reuersos sic sese quotannis gessisse, vt coleretur memoria insignium professorum. Plotinus certè Romæ degens & docens Platonis natalem celebrabat, vt scriptum reliquit in eius vita Porphyrius, qui narrat à se tunc recensitum de connubio sacro Poëma, quo audito Plotinus ait cunctis audientibus:* demonstrasti simul poëtam, philosophum, Sacerdotem.

De bibliothecis in vrbe Roma. quot fuerint, qua ratione sublatæ? Cap. CLXVIII.

ETsi bibliothecæ complectantur omne genus librorum, quia tamen inter eos philosophorum scripta videntur principem locum sibi iure merito vindicare, non hanc negligentiæ culpam mihi patiar impingi, vt dicar, quando de phi-

philosophia Romanorum ago; præteriisse bibliothecas, quas instituerunt Imperatores.

Quis dubitet à Lucullo, qui summus erat philosophus, valde multos libros philosophorum comportatos ex Græcia, collocatosq. in bibliotheca, quæ licet non omninò publica esset, ad eam tamen non difficulter admittebantur Græci, quorum colloquiis lubentissimè se inserebat Lucullus.

Sed prorsus publicam voluit esse Asinius Pollio teste Plinio lib XXXIV. cap. XI. qui memorat liberalitatē Augusti, cuius causa ait superesse memoriam Octauiæ, Palatinæq. bibliotheca.

Nouimus quoq. Tiberianam bibliothecam Pacis, ad quam conueniebant viri docti confabulandi causa, præ qua tamen celebris valde fuit bibliotheca Vlpia, à Traiano dicta, de qua non pauca iam alij prompserunt.

Domitianus tamen ante Traianum magnam curam in reparandis bibliothecis posuit, misitq. Alexandriam, qui exemplaria describerent, emendarent. Ita discimus tempore Domitiani non caruisse bibliotheca Alexandriam; nam semper vrbs illa plurimos professores aluit.

Sic aut non prorsus omnes libri exusti sunt, cum exureretur bibliotheca à militibus Cæsaris, aut prouida liberalitate Augusti, vel alterius instaurata est immortalium monumentorum sedes.

Quis verò non miretur à Domitiano in exilium actos philosophos, cum tamen eorum libros vndiq. magna diligentia conquireret?

Nec putemus vnam atq. alteram fuisse Romæ bibliothecam. nam P. Victor recenset vndetriginta.

Tan-

Tantus thesaurus qua ratione perijt? Gothis diripientibus desolantibus æternam vrbem. sed & ingens affectus Pontificum erga religionem Christianam sustulit libros, qui de Gentili agebant doctrina. Satisberiensis lib. II. de Nug. Curial. narrat, sanctissimum Gregorium non modo Mathesin ab Aula, sed vt traditur à maioribus, incendio dedisse probatæ lectionis

Scripta, Palatinus quæcumq; recepit Apollo in quibus erant præcipua, quæ cœlestium mentem, & superiorum oracula hominibus videbantur reuelare.

Concussam philosophiam Romæ postquam Constantinus migrauit Byzantium. aliqua de Themistio proferuntur. Cap. CLXIX.

Vlnus non exiguum quis dubitet inflictum fuisse philosophiæ tunc quando Roma migrauit Byzantium Constantinus. Nam quamuis philosophi profiterentur se spernere honores, & diuitias, videmus nihilominus plerosq; omnes lubenter sectatos fuisse magnos Principes. Sic ergò postquam Romæ desierunt esse Imperatores, & ferè Constantinopoli vixerunt, etiam desijt florere Romæ philosophia paucissimos profectò numerare est, qui Romæ philosophati sint post migrationem Constantini. Scio Themistium ibi docuisse, sed tandem sedem fortunarum suarum Byzantium trãstulit, neq; amplius ab vrbe regia potuit se auelli. Carus autem fuit Constantio, Iuliano, Valenti, Theodosio, Valentiniano, Arcadio, licet ipse Gentilis esset ipsi autem

tem omnes Christiani. quid quod Theodosius institutionem Arcadij ei commendauit, quod mirum profectò est. donauerunt bruntnem statua, senatorem renunciarunt, ut virtutem eximiam honorarent, Principes Christianissimi, quod omnino à me in moran lum fuit, ut sciremus, non prorsus à Cæsaribus Catholicis contemptos, & explosos professores philosophiæ. ipsi profectò Antistites, inter quos Gregorius Theologus, Themistium sua amicitia non indignum iudicauerunt.

Sed, ut de beneuolentia Iuliani Imperatoris erga Themistium adeò celebrem illis temporibus philosophum nihil diximus? imò scimus ipsum scripsisse ad Iulianum, & ab eodem responsum accepisse affectus plenissimum, quod reperitur inter Epistolas Iuliani Imperatoris, quæ tamen Epistola mihi non fuerat visa, cum ederem libellum de illius Principis philosophia.

Appendix de Themistio.

Diu multumq. peregrinatus est Themistius, more philosophorum, de quo more iam quædam in hoc libro prolata sunt. Professus est Antiochiæ, Nicomediæ, Galatiæ, imò Romæ. Romæ quidem tanto hominum applausu, tamq. erga eum inflammati studio, ut cum honestissimis conditionibus eum apud se retinere frustrà essent conati, Imperatorem ipsum interpellandum putauerint. sed cum nihil ne sic quidem promouerent, reuersus Constantinopolim vbi viginti iam annos antea manserat, se ad vsitatum munus docendi contulit, vxorem duxit, filios procreauit. Valentis

in Orthodoxos rabiem aliquoties oratione, authoritateq. compescuit. Patrem habuit Eugenium egregium itidem philosophum filij educatorem, & praeceptorem in philosophia. S. Gregorius Nazianzenus Epist. CXXXIX. et Eudoxium iuuenem erudiendum in philosophia commendauit. in ea Epistola Themistium μέγαν *magnum appellat. Epist. CXL. ait:* σὺ βασιλεὺς τῶν λόγων, tu es Rex sermonum. *subijcit Themistium pollere & philosophia, & potentia, rogatq. vt confirmet dictum Platonis asserentis felices futuras Respublicas, si philosophia cum potentia coniuncta sit. S. Augustinus quoq. eius meminit cap. III de Categorijs. Sozomenus lib. VI. ait oratione Themistij ad humanitatem perductum Valentem, nam ostendit orando longè magis inter se dissentire Gentiles, quam tunc dissensionum esset inter Catholicos, & Arianos. occurrit Themistius Iouiano Imperatori, cum Senatu recitata oratione. Photius testatur eum relatum inter Senatores à Constantio. lib. VI. Cod. Theod. tit. IV. ea de re leguntur haec verba:* Themistius philosophus cuius scientia auget dignitatem. *Photius non omittit in Platonem quoq. ab eodem Themistio editas expositiones quae tamen perierunt magno cum detrimento studiosorum. disce inde insignes illorum temporum philosophos etsi explicarent Aristotelem, consueuisse Platonem quoq. excolere, & passim exponere etiam tunc quando versabantur in Lyceo. quod quam verè à me dicatur norunt omnes qui aliquem vsum habent in operibus Simplicij, qui vel solus intelligendis opinionibus Platonis sufficeret, & tamen explanat Aristotelem:*

Expenditur ex Epistola Iuliani Imperatoris sententia Themistij præferentis Actuosam philosophiam Contemplatiuæ. & Num Iurisprudentia possit vocari philosophia? Cap. CLXX.

DE Themistio quandoquidem præcedenti locuti sumus capite, cogor quædam repetere, ex quadam Epistola Iuliani Imperatoris ad ipsum exarata, in qua Imperator præfert quidem Contemplationem Actuosæ, & politicæ vitæ, narrat tamen ipsum Themistium aliter sensisse, quandoquidem volebat persuadere Iuliano, vt Imperium susciperet, & Rempublicam capesseret. Repetam autem quædam vt intelligant aliqui philosophi an meritò nomen philosophi auferant Iurisconsulto, negentq. absolutè Iurisprudentiam esse philosophiam, quamuis Vlpianus dixerit Iurisconsultos veram, & non simulatam affectare philosophiam.

Asserit Themistius Herculem, & Bacchum vnà philosophatos, & regnasse, terramq. vniuersam ab improbitate quæ tunc regnabat, repurgasse. At constat Bacchum dedisse leges Indis, eosq. ad ciuilitatem vocasse. Nonne & Iurisprudentia hoc agit vt bonos tueatur, & improbos coerceat, reprimat? Non desunt autem nostra tempestate Politici, qui exemplo Herculis moti aiunt esse fas Regibus bellum inferre alijs Regibus siquidem crudeliter, & more Tyrannico sese gerant aduersus populos subiectos, de qua sententia non hic est disputandi locus.

Solon, Pittacus, & alij legislatores nonne philosophi fue-

fuerunt? Negari non potest. Cur Iurisprudentiam à censu philosophiæ excludemus, cum leges latas antiquitus illustres afferat, interpretetur? ad idem profectò genus videtur referendus is qui condit leges, quiq. eas interpretatur, ijs vtitur ad publicam salutem, dignitatemq. Iure meritò reprehenditur Epicurus, qui volebat philosophos latendo viuere. quod si philosophum decet actuosam amplecti vitam, erit politicus, & prudens, quo munere non poterit rectè fungi absq. legum exacta cognitione.

Nec est, quod quis obijciat multos, qui accesserunt ad Rempublicam, cupiditatibus cessisse, & superbos, insolentesq. euasisse. nam multi temperanter, & modestè se gesserunt, quorum vitam si sibi ante oculos philosophi Iurisprudentes posuerint, rationem semper sequentur ducem.

Philosophia dat operam, vt hominem diuinum efficiat, eumq. doceat Deum imitari. Quis verò magis imitatur Deum, quam ille, qui sapienter regit populos? Deus enim curam gerit nostri, Geniosq. bonos præficit prouincijs, quibus similes euadunt boni Principes, sapientes Respublicæ moderatores.

At obijcit Aristoteles lib. X. cap. VIII. Moral. Nicomach. à dijs prorsus remouendam esse actuosam vitam, cum tamen viuant, & non dormiant, vita autem ipsorum nihil aliud sit, quam contemplatio. quo referendum, quod XII. Metaph. tradit Deum nihil præter seipsum contemplari, ac proinde nihil aliud nosse. quæ profectò Epicuri dementiam videntur sapere. fatemur quidem Diuinitatem non facere commercia, non reddere deposita, non exercere se circa temperantiam, & alia, quæ propria hominum sunt. sed cum actuo-

sam

sam vitam Numini propterea detrahemus, quia non exercet ea, quæ sunt hominum? curam gerit vniuersi more suo hoc est diuino. non enim propterea molestiam experitur, & laborem, non defatigatur, non inquietatur qua de re videnda quæ pulcherrimè traduntur ab auctore libri de Mundo ad Alexandrum.

Quod verò actuosa Vita, quæ bonum Reipublicæ procurat sit præferenda contemplationi, quæ vnius hominis bono velificatur, probare est verbis ipsius Aristotelis lib. I. Ethic. ad Nicomac. cap. II. bonum ciuitatis, & acquirere, & conseruare maius quid ac diuinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam vnusquisq. potest si vni soli: pulchrius tamen ac diuinius, si genti ac ciuitatibus efficiatur.

Contemplatrix philosophia secundum Aristotelem subest Actiuæ, siue Politicæ, quæ quidem politice Architectonica est. audiamus Aristotelem ibidem sic loquentem: Ciuilis maximè principalis, maximèq. architectonica est quippe cum ea sit, quæ qualnam esse in ciuitatibus scientias oporteat: tum quales quemq. discere, & quousq. constituat. *hæc Aristoteles.*

Idem in III. polit. cap. XV. asserit diuinam prope virtutem requiri, vt quis regno rectè præsit. At philosophia conatur hominem diuinum, quatenus fieri potest efficere. Maximè igitur philosophi erunt, qui rectè imperabunt.

Quæ omnia confirmantur puncto ipsius Themistij, vt testatur Iulianus, cuius hæc sunt verba in eadem ad Themistium Epistola: Cum vitæ genus illud, quod in actione versatur, philosophico te anteferre dixisses, eius

sen-

sententiæ testem Aristotelem citâsti, qui felicitatem in eo, quod rectè agatur, sitam putauit. *At quia aliàs Aristoteles contemplationem videtur præferre, putat Themistius Aristotelem, non prorsus disertè exposuisse quid de ea re sentiret, quasi super tanta controuersia ambiguus, & incertus foret.*

Eadem Epistola Iulianus Legumlatores, & politicos appellat philosophos. Cur ergò non appellabimus ita Iuris, & legum consultos?

Vt verò finem scribendi faciam, quæro ex philosophis, qui vni contemplationi incumbunt, annon putent sibi etiamsi multi forent præferendum Vlpianum Iurisconsultum, cuius consilio vsus Alexander Imperator tam sapienter rexit tot annorum spatio Imperium Romanum, & innumerorum hominum salutem, & felicitatem procurauit, & perquam feliciter obtinuit?

Hinc ipse Vlpianus putauit sibi fas esse Actuosam philosophiam, veram minimeq. simulatam appellare, cum illa, quæ altercatur de rebus obscurissimis, & nunquam aliquid exploratum depromit forte simulata dici queat.

Sed de tota controuersia, quam hactenus exposui, sentiat sanè quisq. pro lubitu, exq. animi sui sententia.

De Sopatro, qui præfuit scholæ Plotinianæ, & occisus fuit à Constantino. Cap. CLXXI.

S*I locuti sumus de Plotino, qui philosophiā quidam sol suit Romæ, non tacebimus de Sopatro, de quo refert Sozomenus lib. I. Hist. Eccl. cap. V. quod*, Plotinianæ Scholæ præfuerit. *quæquidem Schola duabus in vrbibus dicitur fuisse Alexandria scilicet, & Romæ.*

Sed quem habuit præceptorem Sopater? Iamblichum; clarissimum prorsus in Platonica philosophia. Eunapius in Ædesio postquam dixit de Iamblichi philosophia, deq. Iamblichi discipulis ait: At Sopater cæteris eloquentior, natura sublimium bonorum appetens. *Suidas:* Sopater Apamensis, sophista & philosophus, Iamblichi discipulus. *vides fuisse eloquentem, quia Sophista, quod confirmat testimonium Eunapij, qui magnā eloquentiam tribuit Sopatro. refert deinceps Eunapius quod se ad Constantini aulam contulerit, quodq. tam acceptum eum habuerit, vt* assessorem publice ad dextram habuerit. *Suidas asserit, & ipse, quod Sopater Constantino* familiaris fuerit. *Contendit tamen Sozomenus verisimile non esse in colloquium Constantini venisse Sopatrum, quod Imperator tunc esset ad Oceanum, & Rhenum, refellit idem quandam narrationem Gentilium de Constantino interrogante Sopatrum: an expiari posset cædes commissa contra cognatos, & respondisse Sopatrum: non posse. vide lector totam narrationem Sozomeni.*

Scri-

Scripsit quædam Sopater teste Suida: scilicet de prouidentia, & ijs qui propter meritum felices, aut infelices sunt quæ materia semper visa est plurimum difficultatis habere, deq. ea multa non solum Platonici, & Stoici tradiderunt propter Epicurū, qui ex eo colligebat non esse prouidentiam, quia malis bene est. Stoicos tuetur contra Epicureos Tacitus in sexto Annal. cuius verba expendimus suo loco aduersus Famianum Stradam, qui Tacito impingit Epicureismum, cum tamen historicus pugnet pro prouidentia contra Epicurum.

Magnifieri porrò par est Sopatrum in philosophia, quia prodijt ex schola Iamblichi, quem admirata est illa ætas, & si germanæ Platonicæ philosophiæ dogmata respicias prætulit, vt videtur Porphyrio, cuius sententiæ quandoq. ad paradoxa accedunt, quod quisq. perspicere potest, qui legit responsionem Iamblichi ad Epistolam à Porphyrio exaratam ad Anebonem, & ex libro de abstinentia ab Animalibus, qui quidem non pauca continet paradoxa. tam vehementer enim oppugnat Porphyrius eos, qui occidi posse animalia asserunt, vt putet sacrificia, quæ peraguntur victimis mactatis, à malis dæmonibus esse excogitata, & præter ius fasq. ad decipiendos miseros cæcosq. mortales in orbem terrarum esse inuecta, sic namq. Porphyrius damnat suam ipsius religionem. Nos autem concedimus à malis dæmonibus inuectam fuisse superstitionem Gentilium, sed nequaquam et in genere concedimus victimarū cædendarum omnem morem inuectum fuisse à malis Genijs; nam in Veteri testamento iussu veri Dei cædebantur victimæ, & ita sacrificarunt Patriarchæ viri Sancti, sic edocti à Deo. sed quia dicit Por-

Non phy-

phyrius de Heroicis temporibus? Nonne enim Heroes apud Homerum victimas mactarunt? cogitur damnare suos Heroes, & antiquissimum scriptorem Homerum, quem tamen ipse vt philosophum suspexit.

Reprehendit etiam Iamblichus in eo (vt multa alia omittam) magistrum, qui dicebat Genium vniuscuiusq. deprehendi à puncto genituræ, atq. adeò approbabat nugas Chaldæorum, qui ex sideribus deducunt euentus hominum. Chaldaicam autem disciplinam non apparet approbatam fuisse à Platone, aut reliquis Platonicis. hinc etiam fit, vt vix fidem habeam quibusdam asserentibus Iulianum Imperatorem à Maximo didicisse disciplinam, quæ euentus hominum scrutatur ex sideribus, cum præsertim appareat longè alia ratione Imperatorem illum conatum fuisse indagare res futuras, quam ex inspectione siderum.

De talibus grauibus quæstionibus cuperem nobis disserere eos quibus sic noti sunt Plato, Plotinus Iamblichus, Porphyrius, Proclus, vt censeantur penetrasse ad omnia huiusmodi mysteria. ergo præter emendationes, & annotationes historicas, etiam certem [illegible] licet expectare.

Sed reuertamur ad Sopatrum quem interemit Constantinus. Cur ita? Suidas ait: vt confirmaret se non amplius esse Religioni Gentilium deditum. *Ergò antequam fieret Christianus Constantinus habuit familiarem Sopatrum, quod tamen aliquis visus est velle negare.*

Eunapius prolixè describit insidias, quæ paratæ fuerint ab aulicis, atq. inprimis Ablauio Præfecto Prætorij, quodq. persuaserint Imperatori arte Magica vinctos fuisse ventos à Sopatro, hinq. fieri vt naues appellere nequirent Byzantium:

sium: quo audito credulus Constantinus secum *Sopatrum* percuti mandat. *quæ narratio debet esse suspecta cum proficiscatur ab Eunapio Gentili, qui omnia conquisiuit, quæ poterant facere ad obscurandam claritatem famæ Constantinianæ, cum ægerrimè ferrent Gentiles Constantinum spreto veteri Deorum cultu suscepisse sanctitatem religionis Christianæ.*

Apparet autem florente ætate occisum fuisse Sopatrum, nam discipulus fuit Iamblichi, & tamen Iamblichus vixit vsq. ad Imperium Iuliani, & à Iuliano fuit maximi factus, quod testantur Epistolæ ab Imperatore ad clarissimum philosophum datæ.

De honore, quo summum philosophum Proæresium affecerunt Romani tempore Constantis Imperatoris.

Cap. CLXXII.

TAm multa de Proæresio Eunapius nobis narrat, vt non liceat singula transcribere, cum præsertim pleraq. ad Romanam non pertineant philosophiam, sed Græcam potius. aliquid tamen inserit vitæ tanti hominis, quod si omitteretur, videremur maligne id transiliisse, nec satis fecisse meritis Romanorum erga sapientiæ professores.

Ergò cum Constans filius Constantini in Galliam vocasset Proæresium, summo eum afficiens honore, cum animaduerteret nescire illius cæli mortales satis pro dignitate admirari Proæresium, constituit excelsum philosophiæ Heroa Romam ablegare vt ibi magis agnosceretur. Magna enim Roma sub Cæsarum postquam iure potestate maximos sem-

per aeui philosophos, optimeq. cuiusq. meritum sciuit metiri. Gallia non ita felix fuit, quod non haberet proprios Reges, propriosq. Principes.

Qua autem ratione exceperint Romani Proaeresium scire si cupias, dicet Eunapius nihil habuisse quod singulariter in ipso admirarentur, adeo vir ille totus quantus quantus erat miraculum erat. Tandem cum varias ob dotes virum honorare decreuissent, statuam illi erexerunt ex aere pari prorsus magnitudine (erat enim magnae staturae Proaeresius) cum hac inscriptione: Regina rerum Roma Regi eloquentiae. O decus aeternum philosophiae, quae dedit Regem Eloquentiae Proaeresium, iudicibus ipsismet Romanis, quorum iudicium omnium praeclarorum, quae à cunctis populis proficisci possunt, instar est. Macte hoc apice, hoc lumine, hoc triumpho o dux vitae humanae, Magistra morum, veritatis propugnatrix, errorum auerruncatrix philosophia. Tu nos asseris in libertatem, non pateris cum seruili vulgo humi haerere, tu nos fluctibus humanarum perturbationum subtrahis, tu cymbam nostrarum cogitationum in portum deducis, tu nos vitare scopulos vitiorum doces, ventos affectuum compescis, omnia denique agis, vt beati felicesq. simus. Te ego pronus veneror, tibi milito, omnem operam defero, adhaesurus sanctè, quandiu regentur artus à spiritu: quin & cum anima à corpore discesserit, non desinam tuam extollere dignitatem, tuumq. me profiteri alumnum.

De

De segete philosophica, quæ reperitur in commentarijs Seruij Mauri Honorati. Cap. CLXXIII.

QVando vixerit Seruius interpres Virgilij dicere iam non habeo. hoc scio floruisse post Domitianum, tam profert testimonia ex Statio, velut ex scriptore classico. etsi autem Grammatici munere functus fuerit in explicando Virgilio, ambigere tamen non possumus eum Romanis discipulis (credibile namq. est docuisse Romæ) propinasse non parum ex multiiuga philosophia, adeò vt si quis vellet fungi hoc labore, posset librum integrum conficere ex annotationibus Seruianis, qui complecteretur veterum philosophorum varias sententias, & opiniones. ego hoc capite paucula degustabo plura deinceps propositurus. in V Aeneid. ad illa verba: salvete recepti Nequicquam cineres *scribit:* secundum Epicureos, qui dicunt omnia perire cum corpore. *ad illa verba, quæ mox sequuntur:*

animæq. vmbræq. paternæ *ita disserit: Plato, & Aristoteles, & omnes periti dicunt in homine quatuor esse animas, vnam vitalem, vt in vermibus, qui tantum mouentur, aliam sensualem, vt in brutis animalibus, in quibus est sensus & timoris, & gaudij: tertiam intellectualem, vt in hominibus, qui et cogitare, & iudicare possunt: est etiam quarta infra omnes, quæ physica dicitur, vt in herbis, & arboribus: quæ etiam motu carentes, vitam tamen habent, nam & nascuntur, & crescunt, & pereunt. hæc ibi, quæ an vero sint consentanea non est animus hic disquirere.*

Ob-

Obseruat paulò post, secundum Pythagoram, de medulla hominis quæ est in spina, anguem creari.

Cur par numerus sit sequitur impari, sic exponit: par namq. numerus diuisibilis, per quem mortalitas significatur, impar diuidi non potest, per quem immortalitas significatur. *Nunc in Seruium sic poëtice ludamus:*

Seruius ingenti Sophiæ inflammatus amore
Sic repetit magni carmina Virgilij,
Vt sæpe expediat diuini dicta Platonis
Dogmataq; enarret, quæ tibi Zeno placent.
Ergò sic Serui veniunt monumenta legenda,
Sic voluenda tibi est pagina Grammatici,
Vt saties animum iucunda fruge Cleanthis,
Eq. Academía mellea dona petas.

De magno anno Platonis expositio Seruij. reijcitur quorundam opinio de regno Christi per mille annos duraturo in terris.
Cap. CLXXIV.

Videndus ipse Plato in Timæo, & ibi Foxius.

QVid vetat adhuc inhærere Seruio, & aliquid ad philosophiam faciens ex ipso depromere? in Ecloga IV. magnum annum Platonis, de quo cum Plutarchum memoraremus aliqua protulimus, exponit his verbis: dicunt philosophi completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu, quod si est idem syderum motus, necesse est omnia, quæ fuerunt habeant iterationem. vniuersa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. *Sed num redire*

dire possunt eadem in indiuiduo actiones, ijdem prorsus singulares motus? id si asserant philosophi, ne igitur putent esse absurdam mortuorum resurrectionem, quam asserit religio Christiana; si Redeunt etiam secundum philosophos Platonicos eadem indiuidua corpora, quæ quondam extiterant in hoc mundo, quæ etiam easdem numero actiones obibunt.

Antiquiores autem philosophi, qui floruerunt ante Platonem, non locuti sunt de syderibus primum cursum repetentibus, sed Heraclitus quidem dixit mundum conflatum ex igne per decursum Seculorum totum ignescere, & redire in ignem, rursusq. ex eodem igne prodire mundum; hocq. futurum infinities per innumera secula labentia. Sic fere etiam Democritus locutus est de Mundo conflato ex atomis. Ne de alijs philosophis loquar, secundum quos non licet talem ponere iterationem eorum, quæ euenerant, qualem voluit ponere Plato, secundum quem scripsit Virgilius:

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella:
Atq iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Quem locum dum aliqui exponunt, dicuntq. specialia pro generalibus poni, non recte videntur verba interpretari, si forte sic cecinit poeta de omnium rerum, & quidem singularium volubilitate proueniente à syderibus secundum Platonicam opinionem.

Subijcit postea non pauca de reditura aurea felicitate, qualem finxit Antiquitas fuisse ab initio, à principio rerum.

omnis feret omnia tellus.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

dixerat antea:

Et

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Cumana Sibylla hæc cecinerat euentura nato Christo Seruatore humani generis, & à Sibylla talia petijt Virgilius. dicet: non euenerunt sub Christo, an enim omnis tellus tulit omnia? Nequaquam. respondendum: euenisse non secundum litteram, sensumq. proprium, sed secundum intelligentiam mysticam. destructo namq. veteri errore mira felicitas beauit homines, qui deinceps beatitudinem æternam potuerunt adipisci sic cecinit Isaias de temporibus Messiæ cap. XI. habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, *& quæ plura ibidem sequuntur. Scio aliquos ex veteribus scriptoribus Ecclesiasticis accepisse tam verba Isaiæ, quam Virgilij de renouatione Mundi veniente Christo ad iudicium, vt regnet mille annorum spatio in hoc mundo, quem statum prolixe describit Lactantius lib. VII. diuin. Institut. cap. XXIV. atq. inter cætera ait:* Terra vberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium melle sudabunt: per riuos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt. Non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, non aues præda. deniq. tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta esse iam Saturno regnante dixerunt *Citato q. Virgilium, deinceps depromit Erytræa Sibyllæ verba. cap. XXVI. docet spatium mille annorum regni fore septem millium annorum. neq. prius terminandum mundum, quam Roma corruat, quam Romam tyrannus abominandus destruat, & illud* lumen effodiet cuius interitu *orbis* lapsurus est.

Quæ tamen sententia Lactantij de regno Christi in his

terris

terris duraturo per mille annos, aut spatium septem millium annorum iam pridem explosa est, & locus Apocalypsis quo non bene intellecto aliqui errârunt, est expositus ab eruditis interpretibus.

Misso autem facto Lactantio, annus magnus Platonis ex eo concutitur, quia cum Plato secundum communiorem sententiam Platonicorum dixerit mundum esse genitum ab æterno, non potest quisquam constituere momentum primum in quo fuerint sidera. Etenim æternitas excludit omnem possibilitatem (liceat sic loqui cum Scholasticis) & semper est in actu. Initium autem supponit non ens, & potentiam ad esse. Ergò ab æternitate excludendum est omne initium hinc adeò fit, vt non possimus dicere ab initio fuisse in hoc vel illo situ, & statu sidera. Certè si semper mota sunt, nemo potest dicere cum inciperent moueri, tali vel tali motu fuisse mota.

Vt tamen consulatur imbecillitati humani intellectus, S. Litteræ vocabulo principij vsæ sunt, inprimis S. Iohannes, quando dixit: In principio erat Verbum. *Sed Verbum semper fuit. non igitur propriè accipitur principium quando de Verbo, quod æternum est, sermo instituitur.*

Perpenditur sententia Seruij, atq. aliorum, qui videntur rationem tribuere animalibus. eiusmodi opinio reijcitur. Cap. CLXXV.

A *Latere Seruij nondum discedo, quin perpendo, quæ profert ad. IV. Georg. & VI. Æn.*

Virgilius non pauca recenset de apibus obseruantibus, & sectantibus suum Regem:

Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circunstant fremitu denso stipantq; frequentes.
His quidam signis, atq; hæc exempla secuti
Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
æthereos dixere.

Ad quæ verba notat Seruius omnia animalia à diuino spirito trahere ingenium quod quia est in apibus, sicut in hominibus namq; metuunt cupiuntq; dolent, gaudent quæ probantur ex his quæ faciunt, dimicant enim colligunt flores, præuident pluuias fateamur necesse est etiam apes habere partem diuinitatis, *disserit autem prolixè in VI. an. de tota materia, quodq; omnia animalia prædita sint animo æterno, ostenditq; quare non omnia animalia sentiant similiter, quia scilicet dissimilitudines non sunt in animis, sed in corporibus, quæ prout fuerunt vel viuacia, vel torpentia, ita & animos faciunt.*

Institutionum in initio, tit. de iure natur. videmus enim cætera quoq; animalia istius iuris peritia censeri *hoc est conspicua esse iuris naturalis cognitione. id si verum est, ratio non videtur detrahenda animantibus.*

Porphyrius in lib. III de abstinent. contendit animalibus inesse non solum sermonem internum, sed & externum, conuenientem tamen ipsis. & [illegible] tur: omnia quæ prædita sunt sensu esse etiam prædita intelligentia, dum inquit. omnibus quibus est sensus, intelligentiam quoq; esse necesse est, *prolata ratione Stratonis physici; quia ait sæpe literas oculis occursantes nos latere*

quam-

quando aliò animum intentum habemus.
Similia protulerat ante Porphyrium Plutarchus in libello: quod animalia vtantur ratione, & longè diligentius in alio opusculo, in quo quærit: An animalia marina sint sagaciora terrestribus.

Galenus in orat. suas. ad artes hæsitanter hac de re loquitur: An animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino ratio data sit, sanè dubium est. Nam etsi caret ea, quæ in voce versatur quam sermonem nominant, quæ tamen animo concipitur, quam ratiocinium appellant, eius fortasse particeps omne genus animalium est, quamquam alijs parcius, alijs liberalius tributa sit. *hæc ille.*

Forte quis etiam adducet pro huiusmodi sententia, quod legimus in S. Litteris nempe serpentem fuisse callidiorem omnibus animalibus. adde Dauidem dicere Deum dare escam coruis inuocantibus se. *inuocare Deum, escamq. petere ab ipso, rationis est munus.*

In aduersam partem præsto sunt verba Senecæ lib. II. de Ira cap. XVI. errat qui animalia in exemplum hominum adducit, quibus pro ratione est impetus, homini pro impetu ratio est.

L. I. §. III. ff si quadrup. pauper. fecerit legimus, quod animalia iniuriam facere non possunt. Cur ita? quia sensu carent *hoc est ratione. verba Vlpiani sunt.* nec enim potest animal iniuriam fecisse, quod [illegible] caret.

Receptissimum est, vt in d. [illegible] ra-tionale dum homo dicitur esse [illegible] qui, inter quos ipse Boetius, ad [illegible] ergo

hominum sapientum cum eius sententia differt homo ab animalibus, quia rationalis est, vt intelligamus cætera animantia esse expertia rationis. hinc etiam factum, vt huiusmodi animantia præter homines brutorum nomen adepta fuerint.

Peripatetici, & Stoici iidem docuerunt rationis esse expertia animalia, quod discere est ex ijs, quæ ipsis tribuit Porphyrius. docuerunt enim Peripatetici, & Stoici hominem habere imperium in animalia, & ipsa posse occidere, & comedere, quia homo præditus est ratione, qua animalia reliqua carent.

Solus homo capax est felicitatis, & beatitudinis, quod magno consensu traditur, & Christiana quoq. religio nos docet solum hominem creatum à Deo, vt tandem æternam in cœlo consequatur vitam. ab huiusmodi felicitate cur excluduntur animalia? quia rationis sunt expertia.

Plura depromere superuacuum est, cum præsertim librum de tota materia composuerim suo tempore euulgandum. Nunc breuiter occurrendum ijs, quæ contrarium suadere videbantur.

Seruius secutus est Virgilium, Virgilius Pythagoreos & Platonicos, qui posuerunt animarum transmigrationem. licet non sit certum rationem tributam animalibus à Platone, & Platonicis saltem omnibus. nam etsi dicerent easdem animas humanas migrare etiam in corpora animalium, vsum tamen rationis videbantur eis detrahere, quod corpus brutorum ineptum sit, vt fungatur animal muneribus rationis.

Quemadmodum autem transmigratio Pythagorica & Platonica animarum explosa est, ita explodendum etiam

pa-

paradoxum Porphyrij, quod animalia vtantur ratione. & reijcienda etiam auctoritas Plutarchi in duobus opusculis ea de re conscriptis.

Verba Vlpiani prolata à Iustiniano, quæq. reperiuntur ff. de iust. & iure l. 1. §. 3. intelligenda sunt de quadam similitudine, quam habent animalia quoad vsum iuris naturalis. cæteroqui Vlpianus sibi contradiceret, cum adsi met quadrupedes non posse facere iniuriam.

Quod si diceres alibi aliter Vlpianum, hoc est vno in loco docuisse animalia esse prædita ratione, in alio ea carere, responderem secundum varias sectas philosophorum forte sic locutum cum Gentilis esset: & forte minus cautè talia verba, quæ animalibus, & feris peritiam iuris tribuunt translata fuisse ab Imperatore Iustiniano.

Quæstio autem est. An Stoici existimauerint rationem inesse animalibus? quod videtur negandum, si consulimus Porphyrium, & verba prolata à me ex Seneca, qui Stoicus fuit. Sed quæ leguntur apud Seruium in IV. Georg. & VI. æn. videntur contrarium docere, qua de re tamen nolo hic vlterius altercari.

Galenus, si tamen libellus ille Galeni est, nihil decidit in huiusmodi quæstione.

Ad S. Litteras quod attinet non negamus animalibus inesse aliquam similitudinem earum virtutum, quæ reperiuntur in homine sic callidissimus dicitur fuisse serpens.

Corui inuocant Deum modo quodam naturali, & sensuali. Deus autem suppetias fert ipsis quoq. animalibus, & eorum desiderium explet largiendo escas, quia regit & conseruat vniuersum orbem.

Atq.

Atq. hæc dicta sint ob verba Seruij ad IV. Georg. & VI. æneid.

Existimâsse Seruium cum Stoicis superiora corpora aliquid accipere ab inferioribus, qua occasione quæritur: an repugnet Lunam aliquid accipere à terra? Cap. CLXXXI.

AD *verba Virgilij:*

I. Æn. polus dum sydera pascet

hæc verba annotat Seruius pasci aquis marinis sydera id est cœlestes ignes Physici docent; secundum quos ait Lucanus. atq; vndæ plusquam non disgregat aer. *physicorum nomine intelligit Stoicos, nam & Stoicus videtur fuisse Lucanus quem Boëtius de Consol. Philos. philosophis annumerat. Marcus Imperator apud Iulianum in Cæsaribus* πειθόμενος ὅτι καὶ τὰ ὑμέτερα σώματα δεῖται τῆς ἐκ τῶν ἀναθυμιάσεων τροφῆς: persuasus (*Deos alloquitur*) vestra quoq. corpora egere alimento ex exhalationibus. *omitto testimonium Strabonis, de quo egi cum loquerer de ipso Geographo, ostenderemq. fuisse Stoicum.*

Peripateticis quintam substantiam adstruentibus prorsus diuersam à quatuor elementis absurdum videtur lunam aut alia corpora cœlestia quicquam accipere à terra, & inferioribus. Cur ita? quia terra regitur, non regit. absurdum est perfecta, & diuina aliquid accipere ab imperfectis. Quæ differunt materia inter se non possunt agere & pati. hinc inter recentiores Auctor putat falsam esse sententiã Cele-

brio-

briorum Mathematicorum nostri temporis asserentium lumen solare, quo illuminatur terra, vicissim reflecti in Lunam, vt à Luna lumen itidem solare iacitur in terram. nam si quaereretur ex tali lumine repercusso à terra calefieri regionem in qua meteora frigida gignuntur. profert etiam nonnulla de distantia terrae à Luna.

Antiqui plerique putârunt ex quatuor elementis constare totum mundum, vt videre est apud Seruium in VI. Æneid. quatuor sunt elementa terra, aqua, aër, æther, & Deus, præter hæc nihil est aliud. *vtitur pro fundamento suæ opinionis verbis Virgilij, quæ incipiunt sic:*

Principio cœlum ac terram.

si secundum Seruium quatuor sunt elementa tantum, quæ animantur à spiritu diuino, profecto in se inuicem agere possunt, nihilq. prohibet superiora aliquid accipere ab inferioribus. quod de Deo tanquam anima mundi dicit aut Virgilius, aut Seruius id nos non transferimus ad nostram religionem, nostramq. philosophiam, tantum aio veteres plerosq. putasse constare mundum ex quatuor elementis, dixisseq. ætherem esse vnum ex ipsis, nec solicitos fuisse de quinta substantia Peripateticorum. idem numerus quatuor corporum ex quibus constatus mundus adstruitur à Virgilio ecloga VI. à Philone in libello de mundi incorruptibilitate, à Scholiaste Pindari in primam oden, ab Ouidio lib. I. Transform. Manilio lib. I. Astronomic. à Macrobio lib. primo in somnium Scipionis, vbi ait hanc fuisse sententiam Pythagoreorum, qui solebant iurare per quaternarium, quem numerum propagauit, & commendauit Plato in Timæo, in quem legi possunt interpretes, ne quis contemnat Virgilium,

Ser-

Seruium & tales scriptores. Nam & Empedocles vir summus Vniuersum composuit ex igne, aëre, aqua, & terra. fuit enim ipse Pythagoreus. Pythagoraeos autem caeteris praetulit Plato in physicis. hinc physicae suae praefixit nomen Timaei Pythagorici.

Stoici porrò disertissimè dixerunt superiora aliquid accipere ab inferioribus, vt iam didicimus ex verbis Marci, Virgilij, & Seruij.

Manilius lib. I. Astron. docet ab aere temperari Stellas his verbis:

Mixta ex aduersis consurgunt viribus astra
Hinc vicina polis, hinc cœli proxima flammis,
Quæ quia dissimilis, qua pugnant, temperat aer
Frugiferum sub se reddunt mortalibus orbem.

Ptolomaeus ait Lunam ideo humectare, quia terrae vaporibus vicinior est, traditq. Saturnum minus humectare, quia remotissimus est à terrae vaporibus. Cardanus autem sic interpretatur Ptolomaeum, vt senserit Lunam trahere ad sese vapores à terra. quamuis Scaliger talem interpretationem reijciat, cum Ptolomaeus dixerit ideò calefacere Lunam quia afficitur radijs solis, & humectare, quia vicina est terrae.

Apud Plutarchum in libro de Facie in orbe Lunae legimus Clearchum docuisse eiusmodi faciem esse simulachra specularia, & imagines magni maris in Luna apparentis. *putauit igitur aliquid à terra posse accedere Lunae.*

Luna illuminatur, ergò perficitur à Sole. si potest perfici etsi vocetur ab Aristotele diuinum corpus, non repugnat ei fieri aliquam aliunde accessionem. id si verum est, vt fatentur

tur

tur Peripatetici, & sensus docet, illuminari scilicet, à Sole Lunam, quid fiet Aristoteli asserenti cælum esse ἀναλλοίωτον inalterabile? respondent, & admittunt alterationem perfectiuam. Ergò non absolutè debuit pronunciare Aristoteles cælum esse inalterabile. Nonne enim quod illuminatur, perficitur? cur ergò ipse remouit omnem alterationem à Cælo, quia diuinum corpus est?

Regerunt alterationem perfectiuam non esse indignam cælesti corpore, sed respondere licebit, repugnare esse diuinum & esse imperfectum, in schola quidem Aristotelis. Cur enim tantopere extollit cælum facta comparatione cum elementis, nisi quia perfectum, diuinumq. est? At Luna iam amittit, iam recipit perfectionem, cum nunc clara sit, nunc lumine destituatur. Nonne quod amittit lumen, & obscuritati inuoluitur, alteratur, & quidem alteratione non perfectiua, sed ad deteriorem statum deducente?

Dicent, non repugnare Lunam perfici à Sole, tanquam à corpore cælesti, & diuino sed repugnare eam lumen accipere solare à terra, quæ imperfectissima est. at parum videtur referre vnde quis aliquid accipiat, modò fiat accessio, & quis ex eiusmodi perfectione commodum sentiat. Cum præsertim fateantur Peripatetici lunam esse simillimam terræ, eamq. quandoq. cælestem terram appellent. Auerroes tex. XXXXI. de substantia orbis hæc habet: & Luna videtur esse densa, & obscura, & recipiens lumen ab alio scilicet Sole, & in libro de animalibus dixit Aristoteles quod natura eius est congenea naturæ terræ plusquam cæterarum Stellarum.

Simplicius ait corpus Lunæ esse medium inter caduca,

& cœlestia *quod repetit ex ipso Maynettus ad tex. 41. libri Auerrois de subst. orbis.*

Nec deest inter recentiores Peripateticos, qui asserit Lunam esse impurissimam, & imperfectissimam: præstantissimi autem Mathematici tradunt prorsus esse obscuram, & destitui omni lumine proprio, prorsus vt destituitur terra si ergò tanta est similitudo inter terram, & Lunam, quò abit quinta substantia Peripati toto genere differens, & distans ab elementis? quid etiam vetat à terra aliquid accedere Lunæ, vt à Luna accedit terræ?

Sed metuunt peripatetici ne si dicamus aliquid Lunæ accedere à terra, Luna senescat, corrumpatur, pereat. Inanis metus est hic. Nam terra, vt docent Sacræ Litteræ stat maneitq. in æternum, etiamsi solare lumen impingens in Lunam, ab ea iaciatur in terram. sensus enim docet terram non senescere, quod etiam tradunt Philo, Columella Arnobius, atq. alij. vnde etiam fit, vt reijci posse videatur effatum Peripateticorum asserentium cum suo Magistro solum cœlum esse expers senij: & tamen nos non videmus senescere terram, cum nunquam destituatur sua iuuentute semperq. pergat nos alere.

Quando autem disputatur de aliqua controuersia, non accipienda sunt effata Peripati controuersa pro fundamentis. nam nil valet controuersa opinio ad soluendos nodos.

Tu negas posse lumen solare reuibrari in Lunam à terra quia tale lumen calefaceret regionem aeris, & tolleret meteora. Atqui lumen solare, quod reuibratur à Luna in terram ipsa non tollit. Cur tolleret id, quod iacitur à terra in Lunam?

Dices,

Dices, ætherem, qui ambit Lunam, non atteri à radijs solaribus, ac proinde non transmittere calorem, supponis enim id quod cœleste est atteri non posse, nec in cœlesti regione excitari calorem, quia calor conuenit tantum inferioribus.

Hæc dicuntur ex controuersis hypothesibus Peripat., quibus proinde non cogimur assentiri, cum Mathematici doctissimi non desint, qui putent diffusilem, aëreamq. esse regionem, quæ ambit Lunam, vt si asserat Peripateticus atteri aërem circa terram ex radijs solaribus repercussis, idem debeat pronunciari de radijs solaribus impingentibus in Lunam. quod si dicas Lunam ambiri à purissimo, candidissimoq. æthere, si etiam asseras cum Aristotele Lunam constare ex substantia eiusdem ætheris, quæro qui fiat vt Luna sit opaca, obscura, sit imperfectissima, imò impurissima, vt aliqui ex Peripateticis loquuntur? an potest aliquid conflari imperfectum ex perfecto? impurissimum ex purissimo?

Rursus quod terra agat in Lunam aliquatenus, imò omnes partes mundi inter sese ex eo etiam non absurdè colligas, quia mundus vnus est essentialiter, vt nemo non fatetur. Quis autem nescit omnes partes eius substantiæ quæ vna est aliquatenus inter se affici? quod res ipsa clarissimè testatur in omnibus corporibus, quæ sensibus nostris exponuntur.

Quæ à me prolata sic sunto, vt nolim cum quoquam vehementer altercari, quin paratum me fateor etiam modo in rebus sanè difficilibus doceri à doctis, rerumq. siderearum peritis, quos inter lubenter numero Vincentium Renerium, iam notum Mediceis tabulis editis Florentiæ, Mathesim in hoc Gymnasio cum laude profitentem, nec omitto Iohan-

nem Baptistam Laudum, mihi multorum annorum amicitia coniunctum, nunc Romæ in luce hominum versantem.

Definitio mortis à Seruio petita ex Platone expenditur, & magis ac magis adstruitur animarum humanarum immortalitas. Cap. CLXXVII.

IN *verbis Seruij ad VI. æneid. definitio mortis reperitur.* ex corporum coniunctione & animi hebetudine Varro, & omnes philosophi dicunt quatuor esse passiones, duas à bonis, duas a malis opinatis rebus. nam dolere & timere duæ opiniones malæ sunt, vna præsentis, alia futuri. item gaudere, & cupere sunt opiniones bonæ, vna præsentis alia futuri. Hæc ergo nascuntur ex ipsa coniunctione. nam neq. animi sunt, neq. corporis propria. pereunt enim facta segregatione, id est animæ à corpore: quam mortem esse definit λύσιν σώματος καὶ ψυχῆς. *Mors igitur apud Seruium est solutio corporis, & animæ.*

Sed definitio eiusdem mortis paulò aliter reperitur apud Platonem in Phædone, vbi Socrates sic loquitur: Putamusne aliquid esse mortem? Et quidem certè, inquit Simmias. Nunquid aliud, inquit, quam animæ à corpore solutionem? esseq. id mortuum esse, scilicet solutum ab anima corpus per se seorsum esse? seorsum quoq. a corpore animam solutam ipsam per seipsam existere? Nunquid mors præter hæc aliud est? Nihil aliud, inquit Simmias. *græcè sic habet definitio:* ἀπαλ-

λαγ*

λαγὴ τῆς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. *deinceps legere est* ἀπαλλαγῆναι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ σώματος. *Negligenter ergò se gessit Seruius, qui mortem appellauit* λύσιν σώματος καὶ ψυχῆς, *probabile verò est cum scriberet non inspexisse Platonem, sed vel ex Varrone, vel alio aliquo scriptore eam definitionem tanquam Platonicam transcripsisse. etsi autem* λύσις σώματος, καὶ ψυχῆς *videatur coincidere cum* ἀπαλλαγῇ ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος *longè tamen clarior, & disertior est ipsamet definitio petita ex Phædone, quam illa transcripta ex Varrone, nam clarius elucere iubet animæ immortalitatem, docetq. superstitem manere animam, postquam seiuncta fuerit à corpore. longè diligentior fuit S. Epiphanius, qui heresi LXIV. disputans contra Origenianos, laudauit definitionem mortis Platonicam, &* ἀπαλλαγῆς *vocabulum non præteriuit pag. ƆLXXX. ex editione Petauiana. Aristoteles, in cuius Schola dolendum est non ita esse exploratam animæ immortalitatem, vt explorata prorsus est in Academia Platonis, lib. de Iuuent. & senect. cap. XV appellauit quidem mortem* ἀπόλυσιν ἀναίσθητον τῆς ψυχῆς dissolutionem insensibilem animæ *sed* ἀπολύσεως *nomine nescio an voluerit significare* ἀπαλλαγὴν *Platonicam. nam sic loquitur de morte paulò post:* Mors autem & corruptio violenta quidem calidi extinctio, & marcor, quæ autem secundum naturam eiusdem huius marcefactio propter temporis longitudinem facta & perfectionem. *vbi mirari iubet in morte fieri mentionem perfectionis. atqui in plantis ariditas ipsis fieri imponit, vt & animalibus mors. statim enim inquit:* in plantis igitur ariditas, in animalibus mors. *exulet ergo* perfectio

fectio à versione Aristotelica. nam graecè usus est τελειότητος vocabulo, quod deducitur à τέλος. τέλος autem finem significat, quo nomine utitur Aristoteles quando in Ethicis agit de morte, quam appellat τέλος, quia ipsa finit omnia, quasi ultra ipsam nihil sit. igitur τελειότης non erat vertenda perfectio, sed potius finis, aut finitio, aut absolutio.

Plato autem de immortalitate animae disertissimè docuit non omnia finiri morte, neq. mortem esse extinctionem, sed esse segregationem animae à corpore, quae anima existit, & est superstes etiam post eiusmodi segregationem. in tertio tamen de anima Aristoteles videtur agnoscere talem segregationem, quae relinquat animam superstitem. dixit enim intellectum Agentem esse χωριστὸν esse separabilem, esse interitus expertem, & immortalem.

At intellectus passibilis interit. dixit autem velle se agere de parte, qua anima intelligit, eiusmodiq. partem constat ex intellectu passibili, & agente. intellectum passibilem multi interpretantur vim imaginatiuam animae, quae imaginatiua cum corporea sit, interit in morte secundum Aristotelem, superstite tamen intellectu agente. at intellectus Agens non est tota anima, sed potius pars partis intellectiuae, & quidem extrinsecus superueniens ad efficiendam intellectionem, ut sol superuenit coloribus, quos illuminat. ad adstruendam immortalitatem animae debuisset dicere clarè cum Platone Aristoteles animam in morte ita segregari à corpore, ut segregata seorsim à corpore existat, sit superstes intelligat, operetur, beata sit.

Pater, & Magister Iohannes Donatus Antellensis, optimè

mè de Metaphysica, quam in hoc Gymnasio explanat, meritus, valdè prudenter censet dandam nobis operam esse, ut quæ Aristoteles de intellectu passibili, & agente profert sic exponantur, ne immortalitati animarum exploratissimæ officiant. Cuius sententiæ lubens subscribo, moneoq. lectorem, ut in consilium vocet ea, quæ à doctissimis philosophis Christianis ad Tertium librum Stagiritæ de anima exarata iampridem sunt, iisq. acquiescat.

Quid de fabulis cum philosophia coniunctis Seruius proferat? notatur nimium allegoriarum studium in Philone, & Origene. Cap. CLXXVIII.

APud Virgilium Eclog. VI postquam Silenus egit de mundi origine, transilit ad fabulas:

Hinc lapides Pyrrhæ.

Cur ita? respondet Seruius exprimere voluisse Epicureos, aut indicasse pueros delectari fabulis. Satius dixisset philosophiam antiquam non seiunctam fuisse à fabulis. hinc Sallustius philosophus cap. III. ait philosophos usos esse fabulis, & philosophi esse inquirere Cur fabulæ sint? *Dices, poetarum proprias videri esse fabulas. Responderit aliquis: Fabulas quatenus fabulæ, esse poëtarum: explicationem pertinere ad philosophos, qui aiunt narrationes illas veras non esse, si perpendas corticem narrationis, quandoquidem absurdæ ferè sunt, & indigna de Diuinitate referunt; sed si penetres significatum continere ingentia arcana. Qua de re accuratè, & prolixè egit Iulianus Impera-*

tor

tor orat. V. quæ est de Deûm Matre. sic autem loquitur: cum antiqui rerum assiduè caussas sub ducibus dijs indagarent: vbi eas adepti sunt, incredibilibus inuoluisse fabulis.

Dionysius tamen Halicarnasseus vehementer eas oppugnauit, qua de re suo tempore aget meus liber de legibus Romuli iam conscriptus.

Manilius conqueritur à Terra repletum esse cœlum, quandoquidem sidera constant nominibus petitis à fabulis.

Arnobius prolixè disputat aduersus absurditatem fabularum vulgatarum apud Gentiles, ostenditq. frustrà eos confugere ad allegorias vt absurditas excusetur. lege eum lib. V. pag. m. 178. 179 grauissimè disserentem.

Dolendum autem Philonem apud Iudæos, & Origenem apud Christianos imitando Gentiles conatos fuisse veritatem diuinæ historiæ ad meram allegoriam transferre, quasi res quæ narrantur à Mose non euenerint, vt narrantur. vide Philonem in libris de legis Allegorijs, vbi ait inter alia rusticanæ simplicitatis esse putare sex diebus, aut vtique certo tempore mundum conditum. *hæc & alia respuenda sunt, cum repugnent veritati historicæ.*

Origenes conatur tueri suas allegorias, contempta veritate historica homil. XV. in Iosuam, & alibi. sed passim confutatur ab interpretibus Catholicis.

De quibusdam ominosis signis quid Seruius referat ex suorum temporum anili superstitione? Cap. CLXXIX

Repentina euigilatio ex somno an ominosa? id negaueris si cogites naturaliter fieri, vt qui crassis humoribus vrgetur, & velut obsidetur, qui sibi videtur mergi vndis, aut occidi, aut premi ab hoste, turbata scilicet humorum harmonia derepente euigilet. Cur ergò quod naturaliter euenit trahendum est meticulosa ratione ad triste signum? Nam tunc natura videtur suppetias ferre nobis laborantibus in somno, ne opprimamur à vi turbatorum humorum, aut copia cibi non perducti ad coctionem.

Veterum tamen superstitio nescio quomodo talia ad malum omen referebat, putabatq. Deum vti rebus naturalibus ad nos monendos. sic simplex pastor Eclog. prima à cornice, à tactis quercubus ratiocinatur, atq. sibi imminentem calamitatem significatam fuisse. vbi Seruius ait esse mire compositam significationem in illis verbis:

de cœlo tactas memini prædicere quercus.

quercus tactas esse leuiter fulminatas, indicariq. temporale damnum. Citat autem Ciceronem, qui fulminatas arbores exposuit amissionem aut interitum agrorum. sed missa simplicitate pastorali in III. æneid. ait Æneas se attonitum formidabilibus visis corripuisse è stratis corpus, & turbatum euigilasse non satietate somni. ad quam narrationem Seruius secutus suorum temporum anili superstitionem, ait: quoties ex abrupto somnus aut egerit significat om-

omen infelix, vt ecce hoc loco tempestas sequitur. *& in secundo, excutior somno, & sequitur ciuitatis excidium, & tamen putat Seruius ratione niti tales obseruationes; nam si somnus, inquit ipse,* Deorum munus est non sine infelicitate ex abrupto Deorum munus abscedit. *ignoscendum aliquatenus Seruio sequenti deliram opinionem suorum temporum.*

Et tamen à nostris quoq. temporibus non possunt talia prorsus depelli, subinde enim tam nobiles quam plebeij aliquid simile referunt, quorum non paruum numerum recensuit Azorius, quæ legi apud ipsum possunt.

Quæ cum audimus danda nobis opera est, vt nec prorsus contemnamus eiusmodi signa, nec tamen meticulosa opinione, quæ nos impediat in susceptis negotijs, animum impleamus.

Seruium cum Virgilio docere Deum nequaquam includi cœlo. argumentationem Aristotelis pro incorruptibilitate cœli petitam à sede Deorum imbecillam esse. Cap. CLXXX.

S*Eruius ad IV. Georg. ad verba illa:*

Deum namq. ire per omnes
Terrasq. tractusq. maris, cœlumq. profundum

notat idem tradi in VI. æneid. profertq. verba Lucani:

Iupiter est quodcunq. vides, quocunq. moueris.

ad illa autem in VI. æn.

cœlum, ac terram, camposq. liquentes

spi-

ſpiritus intus alit.

obſeruat, Deum eſſe diuinum ſpiritum qui per quatuor infuſus elementa gignit vniuerſa. *Thales, vt tradit Laertius, docuit Deorum omnia eſſe plena. apud Plautum dicuntur eſſe Dij alij ſuperi, alij inferi, alij medioxumi. Macrobius lib. I. cap. XIV. in ſomnium Scip. ſic ſcribit:* Bene autem vniuerſus mundus Dei templum vocatur propter illos, qui exiſtimant nihil aliud eſſe Deum niſi cœlum ipſum, & cœleſtia iſta quæ cernimus. *Alexan. Aphrod. de Miſtione docet Stoicos docere* ſpiritum quendam per omnia penetrare, & immiſtum eſſe Deum materiæ perq; eam vniuerſam pertranſire, ipſamq. figurare. *Manilius in ſecundo libro non abſimilia docet. fuit enim, vt apparet, addictus Stoæ. Salluſtius de Dijs, & orbe cap VI.* Hi *(Dij)* cum ante alios mundum poſſideant, eorum orbes intueamur. Veſtæ terram, Neptuni aquam, Iunonis aërem, Vulcani ignem. *peruulgatum eſt apud Gentiles mundum diuiſum inter tres fratres, Ioui autem obueniſſe cœlum, Neptuno aquam, Plutoni orcum.*

Ariſtoteles tamen in libris de cœlo vult probare cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, quia ſedes eſt Deorum cum tamen ſuperiora oſtendant veteres nequaquam incluſiſſe cœlo Deum, quin totum mundum cogetur pronunciare Ariſtoteles eſſe incorruptibilem, ſi et argumentationi ineſt robur, niſi velit contradicere magno ſcriptorum conſenſui, qui numen non terminant cœlo.

Ipſe autem quia totum cœlum aſſerit eſſe incorruptibile, vbiq. in cœleſtibus cogetur ponere Intelligentias, quas ta-

men in parte orbium conuexa, nec tota ponit.

Obycere est pro Aristotele, quod oraturi cælum intuentur. & Homerus ait in VI. Olyß. Deos habere sedem firmam in Olympo, hoc est cælo.

Respondere est ritu illo aspiciendi cælum non significari Deum tantum in cælo esse, sed in cælo magis elucere Dei gloriam, nec vniuersim verum est oraturos semper cælum aspicere. Certè qui apud Gentiles sacrificabant Diis non intuebantur cælum.

De Olympo apud Homerum sede Deorum disputant Grammatici, & ferè docent, vt tradit Eustbatius cælum dici ab Homero spatium illud quod est à nubibus vsq. ad partem si terram. quæ sententia non prorsus conuenit Aristoteli, nam non totum aërem excludit à sede Deorum.

Secundum veram nostramq. Theologiam Deus vbiq. est, nusquam inclusus, nusquam exclusus, omnia continens à nullo contentus, omnia permeans, nulli tamen permixtus in cælo Empyreo, exerens inter beatos cælites suam gloriam non tamen absens ab vniuerso. in quam rem proferuntur hæc ex S. Litteris. Cælum, & terram ego impleo. Quo ibo à spiritu tuo? in ipso sumus, viuimus, & mouemur.

Quæ omnia ostendunt argumentationem Aristotelis de cæli incorruptibilitate petita à sede Deorum imbecillem admodum esse.

De coniunctione animæ cum corpore quid ex sententia Platonis proferat Seruius? Explicatur Christiana sententia.

Cap. CLXXXI.

INter difficultates summas, quæ exercuerunt humanum ingenium ea non vltima est, qua quæritur: qua ratione fieri possit, vt anima immortalis, incorporea coniungatur corpori, & cum ipsa constituat compositum naturale, scilicet hominem? nam præter naturam videtur res incorporea, & immortalis coniungi cum corpore, cum præsertim Platonici dicant à corporis contagione affici animam. Respondebit aliquis cum S. Irenæo: Christianum ad multa cogi dicere Deus scit.

Panætius quod videret animum irasci, insanire, timere colligebat non esse immortalem, obstrepebatq. Platoni, quem cæteroqui admirabatur.

Aristoteles nihil de ea difficultate protulit, quia nusquam videtur disertè dixisse animam immortalem coniungi cũ corpore mortali. Nec est quod quis obijciat illud ex primo de anima, vbi ait intellectum esse antiquissimum, nam non in tota latitudine loquitur de anima, tantum in genere vult ostendere animam non esse in tota sua latitudine conflatam ex elementis probat id, quia Anaxagoras locutus est de mente, quæ condidit omnia, & est immixta. Multa namq. in primo de anima profert ex a[illegible] auctorũ vt tãtũ per quasdam opiniones reijciat de anima. Certè si Aristoteles putasset animos esse æternos, hoc est ab æterno conditos, & in tempore corporibus iungi, debuisset alicubi explicare quomodo fiat,

aut

aut fieri possit vt substantia incorporea, immortalis coniungatur corpori? Nihil autē in eam rem reperire est apud ipsum licet multi recentiores longè aliter sese gerant in lectione operum Aristotelicorum quam ego, qui non propterea pervicax cum ipsis volo altercari.

Plato in Timæo docet Deum iussisse Dijs inferioribus, vt construerent animabus vehicula, corpora scilicet de quibus vehiculis videnda quæ tradit Sebast. Foxius ad Timæum Platonis.

Seruius, vt soluat nodum Panætij, quò conatus est immortalitatem animæ euertere ait ipsam non pati, nisi quatenus à corpore afficitur. animus, *inquit*, non transit in vitia corporis, sed eius coniunctione impeditus, nō exercet vim suam. *mox subijcit passionem non resoluere æternitatem*, quia animus per se nihil patitur, sed laborat ex corporis coniunctione. animus quandiu est in corpore, patitur eius contagione postquam autem deposuerit corpus, recipit suum vigorem, & natura vtitur propria. *docet deinceps animum apud Inferos pati, quia cum diu fuerit cum corpore non potest statim ad suum autorem reuerti.*

Theologi autem Christiani rem totam sic explicant, vt asserant statum animæ cum corpore coniunctæ esse naturalem & maximè beatum fore, quando in resurrectione corporibus iungentur illæ animæ, quæ æterna beatitudine sunt fruituræ in cœlo.

Platonici, quos videtur sequi Seruius, non putabant esse statum naturalem animæ cum corpore coniunctæ sed præter naturam, molestum supplicij instar, quod ignorant

cauit

cauit Aristoteles I. de anima, quando ex sententia ipsorum dixit animae esse melius extra corpus, quam in corpore. id eò Cleombrotus, atq. alij se interemerunt, vt eximerent animum carceri, extititq. tempore Ptolomaei in Ægypto, qui tanta contentione, tantaq. vi ea de re dissereret, vt homines passim se interimerent.

Cui malo occurrit auctoritas Regia. hinc etiam factum, vt Origenes imbutus Platonicis hypothesibus negauerit corporum resurrectionem, quia putabat praeter naturam, & cum molestia coniunctam esse animae coniunctionem cum corpore. Contra quem latè disputat S. Epiphanius, qui tamen non exposuit, quis fuerit in Origene fons erroris.

Quia ergò tuemur dogma de resurrectione negandum est aduersus Platonem, aduersus Seruium coniunctionem animae cum corpore esse praeter naturam. nam si prorsus praeter naturam esset, non essent beatae animae coniunctae corporibus in caelo, contra quod sentit, & sancit Christiana fides, & certissima veritas à Seruatore tradita.

Quando Macrobius videatur vixisse. non ab ipso neglectam philosophiam. fit mentio Dilarij Medici. Cap. CLXXXII.

MAcrobium par est credere vixisse sub Imperatoribus Christianis, quandoquidem alicubi refert sua tempestate non consueuisse amplius comburi cadauera, qui mos proculdubio tunc coepit antiquari, quando passim inualuit religio Christianorum, qui non solent comburere, sed integra sepelire cadauera.

Nal-

Nullus etiam dubito Romæ floruisse Macrobium, nam vir fuit consularis, & latinè scripsit. sed dicet aliquis ipsum non debere adijci philosophicæ tractationi, quandoquidem potius interpretatur ritus veteres Romanorum, & illustrat Homerum, Virgiliumq. responderim tamen non pauca ex philosophiæ adytis deprompta fuisse cum scriberet Saturnalium lib. septimum, in quo Disarius Medicus prorsus philosophum agit, naturæq. arcana reuelat: quærit an satis rectè scriptum sit à Platone, cibum per stomachum trahi, potum verò per asperam arteriam? ouumne prius fuerit, an gallina? simulachra cur sub aquis maiora esse videantur, quam reuera sint? & quomodo visio fiat? Cur hi quos pudet, aut qui gaudent, rubescant? at metuentes pallor inuadat? Cur fœminis atq. eunuchis vox sit, quam viris exilior?

Talia qui soluit acutè, annon de philosophia bene meritus esse dicitur? certè qui conuiuijs interdum adsunt, eos oportet in Macrobio non esse hospites, nec in Symposiacis Plutarchi, ex quibus non pauca transcripsit idem Macrobius, quod quisq. deprehendet, qui inter se septimum librum Saturnalium, & conuiuiales illas controuersias comparauerit, atq. contuitus. Addendus est Athenæus, quem aliqui alterum Plinium, atq Varronem appellare non dubitant, qui tamen longè ante Macrobium sub Marco scilicet Imperatore famam scribendo est adeptus.

Nostrates verò philosophi, imò Medici tales scriptores nunquam in manus sumunt, ineruditi propterea dicendi, & vix digni qui ad conuiuia illustrium hominum admittantur. Nam nisi de Aristotelis libris de anima, de

cælo, de physica auscultatione disseratur, aut de secãda vena, de pharmaco præbendo agatur, magis muti coguntur esse ipsissimo pecore Neptuni.

An Macrobius rectè tutatus sit concentum cælestium corporum, de quo Pythagoras primus est locutus? Cap. CLXXXIII.

A *Latere Macrobij auelli me non patior, antequam aliquid de cælestium corporum sono, & concentu proferam. Etenim sensus iste magnos habet assertores Pythagoram, Platonem, Ciceronem, Macrobium, qui non destituuntur rationibus, nec carent modo, quo soluant, quæ ab aduersarijs, quos inter præcipuus Aristoteles in secundo de Cælo tex. LII. LIII. & seq. obijciuntur.*

Scipio igitur apud Ciceronem sic loquitur: quis hic est, inquam, quis est qui complet aures meas tantus ac tam dulcis sonus? *occurritq. obiectioni:* Hoc sonitu oppletæ aures hominum obsurduerunt, nec est vllus hebetior sensus in vobis. *illustrat exemplo. Nam qui accolæ Nili habitant apud Catadupa non exaudiunt cadentem fluuium ex altissimis montibus.*

Quis neget multa effugere sensus nostros, sensusq. mortales vel quia exigua tenuissimaq. sunt, vel quia magna valdè? visus noster multa non cernit in animalculis, quæ tamen ibi sunt, prorsus exigua. nam vsu perspicilli, siue Telescopij non pauca deprehensa sunt in apibus, in pulicibus, muscis, quæ nostris oculis antea latebant.

Vicissim quis credat magnos sonos exaudiri à muscis, à

pulicibus, à formicis? credibile profectò non est à formicis hus illuc eo ambulantibus in terra exaudiri nostrum sermonem, aut alios sonos. Ita fas fuerit loqui de sonitu cælorum, quem aures nostræ adeò exiguæ non percipiunt.

Instat tamen Aristoteles, & clamat, à nobis eiusmodi sonum non audiri. quo argumento si licet destruere sonum illum, etiam quis euerterit ignem supra aërem collocatum, infra tamen cælum. nam nos oculis nostris eiusmodi ignem non videmus. si non datur concentus in cælo, quia non audimus eum, nec datur ignis ille, quia à nobis non videtur.

Vel inuito ergo Aristotele narrat Macrobius in lib. II. cap. I. commentarij in somnium Scipionis, qua ratione primus Pythagoras concentum cælestium corporum deprehenderit; id quisq. per se cognoscere potest apud Macrobium.

Pythagoricæ successione doctrinæ nixus deinceps Plato, & ingenij proprij profunditate excitatus in Timæo animam mundi per numerorum contextionem ineffabilis prouidentia fabricatoris instituit. hinc ait Macrobius lib. II. cap. II. Comment. eiusdem, mundi animam, quæ corpus hoc vniuersitatis ad motum impellit, contextam numeris musicam de se creantibus concinentiam, sonos musicos de motu quem propriè impulsa præstat, efficere.

Certè quod Plato dixit in Timæo, non omisit in libris de Republ. vbi ait singulas Sirenas singulis orbibus insidere.

Adde Theologos voluisse esse nouem Musas octo sphærarum musicos cantus, & vnam maximam concinentiam ijdem Theologica de causa sacrificijs sonos adhibuerunt. nec silendum apud veteres in hymnis metra canoris versibus consueuisse adhiberi. Mortuos quoq. ad sepulturam prose-

que-

quebantur cum cantu multæ gentes persuasione hac, quæ post corpus animæ ad originem dulcedinis musicæ hoc est ad cœlum redire credantur.

Reclamat tamen acer Aristoteles & ait fore, vt propter eiusmodi concentum omnia tremore apud nos turbarentur, percellerentur, dissiparentur exemplo sumpto à tonitru, quod valde concutit, cum tamen sit minor eius sonitus.

Sed debebat cogitare Aristoteles dulcem esse illum sonum, minimeq. violentum, talemq. qui maximè decet diuina corpora. Tonitru autem violentum est.

Argumentatur etiam ex eo, quia Stellæ sunt pars suorum orbium, & ipsis infixa. hinc sonitum edere non possunt.

Dicere posset aliquis respondendo: sonitum edi ab ipsis orbibus, qui tamen etiam tribuitur Stellis. nam anima mundi orbes impellit ad motum. Ergò obiectio illa friuola est.

Ipse autem Aristoteles depromit aliud argumentum Pythagoræorum lib. II. de cœlo tex. LII. Corpora enim quæ sunt minora in magnitudine, & velocitate, faciunt, cum mouentur sonos magnos. Cur non sonum ederent cœlestia quæ sunt velocissima, & maxima?

Ait etiam asserere Pythagoræos nos propter consuetudinem sonum non audire, nam nobis quoq. nascentibus cœlum edit concentum. Ita fabri minus turbantur sono, quem edunt mallei, quia consueuerunt eum quotidie audire.

At regeret ipse, saltem deprehenderent ipsi priuationem id est norunt, quando malleus edat sonum, & non edat. nam quando feriantur, non exaudiunt vsitum concentum, incude non percussa.

Legatur Auerroes exponens Aristotelem, legantur alij interpretes. sed nec omittatur Elias Vinetus, dum somnium Ciceronis, post Macrobium explicat. Ita quisq. sibi consulet, statuetq. Pythagoraisne sit adhaerendum cum Platone, Cicerone alijsq. magnis viris, an acquiescendum ijs, quae Peripati fundator diligenter in secundo de caelo disseruit.

De Animarum immortalitate, & sede in cœlo quid Scipio apud Ciceronem dicat, & quomodo ea exponat Macrobius; cuncta tamen esse exigenda ad theologiam Christianam. Cap. CLXXXIV.

Mirari subit, quod iunior Africanus in somnio edocetur de animarum magnarum sede, & beata immortalitate, cum tamen videatur prorsus contrarium didicisse à suo praeceptore Panaetio Stoico, qui deserens Platonem obnoxias morti esse animas docuit, easq. interire contendit qua quidem sententia videtur imbuisse discipulum Africanum iuniorem. Cur ergò Cicero in libro de Republica eundem Africanum sic inducit, vt erudiatur diuinitus de immortalitate animarum? Cur audit ipse in somnio, quod exposuit luculento commentario Macrobius, omnibus, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint certum esse in cœlo, ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur? *cur talia dum auribus haurit cupit dissolui, vt protinus ad caelestem transferatur patriam?*

Respondere est Ciceronem minimè approbasse Panatianam sententiam de animarum mortalitate, quin imò eam Platonem secutum cupiuisse vt impiam ex animis hominum euellere persuaderetq. suis ciuibus non interire animas, sed eas, quæ bene de Republica fuerint meritæ ad sidereas migrare sedes, corporeis postquam fuerint vinculis solutæ.

Nec certum est Scipionem assensisse præceptori oppugnanti animarum immortalitatem, nec enim semper discipuli suorum Magistrorum effata amplectuntur, cum discant ab illis ipsis educatoribus, non esse in cuiusquam hominis verba iurandum, quando philosophicæ suscipiuntur disceptationes.

Vnde verò hausit Cicero, quæ tradit in hoc somnio? vnde didicit animas excelsas in cœlum redire, aut cœleste donari sedē? ex Timæo. eius verba sunt: atq. illum, qui rectè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum, cui accommodatus fuerit (συννόμου ἄστρου) reuersum beatam vitam acturum. *hæc Plato, qui videtur in genere docere omnes animas, quæ rectè vixerint redire ad cognatum astrum. Cicero autem videtur tantum loqui de animabus magnorum hominum, illustriumq. Procerum. quod etiam confirmatur, quia locum mox designat, dum ait esse circum lucentem inter flammas splendore candidissimo, qui orbis lacteus nuncupatur. iam Manilius ad lacteum circulum nonnisi animas magnas transmittit, libro primo, dum sic loquitur:*

quapropter Lacteus orbis
Dicitur, & nomen causa descendit ab ipsa.
An maior densas stellarum densa Corona

Cop

Contexit flammas, & crasso lumine candet
Et fulgore nitet collato clarior orbis.
An fortes animæ dignataq. nomina cœlo
Corporibus resoluta suis, terræq. remissa
Huc migrant ex orbe, suumq. habitantia cœlum
Æthereos viuunt annos mundoq. fruuntur?

Mox recenset illustres homines tam græcos, quam latinos. ubi etiam vides existimare Manilium ex sententia sui seculi cælum esse igneæ naturæ, lacteumq. orbem nequaquam esse in aere, ut non bene sentiunt Peripatetici, sed nihil esse aliud quam candorem ex numero stellarum, quæ cum exiguæ sint, si cum alijs conferantur, non possunt à nobis distincte cerni, cernitur tamen candor ille lucens, quem vicinæ spargunt.

Sententia nihilominus Platonicorum de animabus saltem aliquibus remeantibus in cælum potest oppugnari, quia antiquissimus scriptor Homerus animas Heroum non remittit in cælum, sed ad subterranea loca, ut videre est XI. Odysseæ. nec videntur esse ibidem beatæ, quandoquidem Achilles summopere optat interesse hominibus, cupitq. fieri bubulcus aliquis modò fruatur vita, adeò contemnit vitam illam extra corpus consistentem, quamuis cum imperio in mortuos coniunctam.

Virgilius quoq. præter elysios campos in subterraneis locis non agnoscit aliam sedem animarum beatarum etiam Heroicarum, quas tandem docet post longum annum incipere rursus in corpora velle reuerti. An contemnere fas est Platonicis tantorum vatum auctoritatem?

Dicerent Platonici se malle facere sui præceptoris dicta

quam

quam ut velint dogmata metiri ex fabulosis poetarum narrationibus. se ergò assentiri Magistro, quem voluit sequi eloquentissimus Tullius, non dissimulamus autẽ variè de sede animarum altercatos Platonis discipulos, ut accuratè admodum enarrat rem totam Macrobius cõment. in somnium Scip. cap. XI. vbi ait: inferos autem Platonici non in corporibus esse (ut quidem visi sunt sentire Pythagoræi) id est non à corporibus incipere dixerunt: sed certam mundi ipsius partem Ditis sedem, id est inferos vocauerunt.

Nam diuidentes mundum in duo immutabilem scilicet partem & mutabilem, immutabilem dixerunt eam quæ est à sphæra, quæ aplanes vocatur vsq. ad globi lunaris exordium. Mutabilem censuerunt esse à Luna ad terras vsq. & viuere animas, dum immutabili parte consistunt mori autem cum ad partem ceciderint permutationis capacem. sed legendus est Macrobius ne eum transcribam, & simul cognoscendum, qua ratione secundum Platonicos animæ ab orbe lacteo, à superiori parte in terras, inq. hanc regionem delabantur.

Quæ tamen sic cognoscenda sunt, ut semper in huiusmodi rebus quando scilicet de anima agitur non conquiescamus vel in Platone, vel Poetis, sed potius nos conferamus ad sanctissimos Theologiæ Christianæ mystas, qui depulsis tenebris mentem nostram in regione veritatis iam pridem collocarunt. Ergò quæ à me prolata sunt ex Platone, ex Cicerone, exque Macrobio deprompta, historicam narrationem, non veritatis expositionem complectuntur. prodest autem nosse quid Gentiles dixerint, ut falsa com-

comparatione magis ac magis Christianæ philosophiæ splendor elucescat.

De studio publico philosophiæ in vrbe Roma sub Christianis Imperatoribus. Cap. CLXXXV.

Themistium docuisse Romæ sub Imperatoribus Christianis nihil mirum. nam nec tunc prorsus silebat philosophia, etsi philosophiam profitentes gentiles essent. etenim Theodosius, & Valentinianus ediderunt sanctionem quæ est in C. de studijs liberalibus vrbis Romæ, & Constantinopolis, quam quidem sanctionem appellant ipsi diuinæ sanctionis afflatus, & cœlestia statuta. *sic autem loquuntur, ne eos putemus philosophiam neglexisse:* profundioris quoq. scientiæ atq. doctrinæ memoratis magistris sociamus auctores. vnum igitur adiungi cæteris volumus, qui philosophiæ arcana rimetur. *Ita cum olim prorsus contemnendam putarent Christiani philosophiam vigente adhuc Gentilium superstitione, postquam inualuit Religio Christiana auspicijs, & auctoritate Imperatorum, recepta quoq. est philosophia.*

De Boetio Romano Consule, qui bene de Aristotelis meritus est philosophia. non præteritur Symmachus eius Socer. Cap. CLXXXVI.

Boetium facundia, probitate, doctrina, plurimum excelluisse nemo non fatetur. addunt viri docti, ipsum fuisse ultimum omnium, qui ex antiquis Romanis aliquid literarum monumentis consecrarint: primum omnium, qui Aristotelicam disciplinam latinis litteris illustrare cœperint: tantæq; apud posteros auctoritatis, ut ab eius sententijs nulla ferme sit prouocatio. incidit in ea tempora, quibus Italia à Barbaris oppressa tenebatur. Natus est enim non ita multis post annis, quam ab Alarico Roma caperetur, floruitq; Theodorici Regis temporibus. hic Rex quamuis Gothus, si Arianum errorem seponas, ciuilitatis, & doctrinarum fuit amantissimus, ut propterea existimandum sit ipso regnante in Italia nutu Zenonis Imperatoris, Boetium mentem honestis disciplinis applicuisse. extat Theodorici regis ad Boetium Epistola, quæ & Ptolomæi Syntaxim, & Archimedis Mechanicen ab eo latinitate donatam affirmat. Certè iniuriam facit Theodorico is, qui vitam Boethij conscripsit, dum putat eum detestatum tyrannidem Theodorici tanquam barbari hominis solatium conatum capere. Nam cur scripsisset Epistolam ad Boetium Theodoricus, qua ostenderet sibi eius placere in illustrandis scientijs laborem, si aduersatus fuisset doctrinarum studiis? Quin visa est sub eiusmodi Rege respirare Italia, & ad pristinam ele-

elegantiam, quantum quidem permittebat desolatio à Barbaris illata, reperies quod nos docere queunt Cassiodori Epistolæ, & Ennodij panegyricus, vt alios omittam scriptores.

Errant illi quoq. qui putant omnia conscripta fuisse, quæ philosophiam illustrant, cum custodiæ traditus esset. At quid satis constat ipsum Romæ consulem creatum, cum prædicamentis manum admouisset. Cupio autem nostrates Proteruos philosophiæ contemptores, si non planè mētis expertes sunt, relegere hominis Christianissimi, & in fastigio consulari collocati verba, quæ sic habent: Etsi nos curæ officij consularis impediunt, quo minus in his studijs omne otium plenamq. operam consumimus, pertinere tamen videtur ad aliquam Reipublicæ curam, elucubratæ rei doctrina ciues instruere nec male de ciuibus meis merear, si cum prisca hominum virtus vrbium cæterarum ad hanc vnam Rempublicam imperium transtulerit: ego ad id saltem quod reliquum est græcæ sapientiæ artibus, mores nostræ ciuitatis instruxero. quare ne hoc quidem ipsum Consulis vacat officio, cum Romani moris semper fuerit, quod vbicumq. gentium pulcherrimum esset, atq laudabile id magis ac magis imitatione honestare. *Hæc erant vtinam calidè dicta Romulidarum imis infixa medullis. Placuisse porrò Theodorici mores (Arianam hæresin semper excipio) Boetio ex eo etiam constat, quia in curia Regem Romam accersitum S. P. Q. R. nomine magna facundia laudauit: & in Circo duorum Consulum (filiorum) medius triumphale [illegible] multitudini exhibuit. Quin Consul etiam fuit cum Symmacho socero.*

Fa-

Fateor vtrumq. iussu Theodorici interemptum. quod nemo non vituperat. in suspicionem scilicet aduersus optimos viros lapsus Rex tam grauiter peccauit, seq. innocentis sanguine effuso polluit. nunc recitemus pusillum carmen, quo profiteor meam erga Heroem Romanum obseruantiam.

Multum Roma tibi debet, generose Boëti,
Teq. vocat meritò
Nouissimum Quiritem.
Nam primus Latio deducens flumine lymphas
Pandis Aristotelem,
antistitem Sophorum.
Sic Tyberis tua facta refert, nomenq. reponit,
atq. vocat meritò
Nouissimum Quiritem.

Legantur, & relegantur non tantum, quæ scripsit in prædicamenta, sed & Perihermineias, quæq. exposuit de diuisione, de differentia Rhetorices, & Logices, non spernatur labor in Topica Ciceronis, quem sic præeuntem sequitur, vt bene de Iuris ciuilis studiosis mereatur. Quid memorem pietatem, & doctrinam, qua tuetur contra Nestorium, & Eutychetem dogma Catholicum de persona, & naturis in Christo?

Comitetur Boetium generum Socer laudatissimus Symmachus, qui non tantum excelluit Sacrarum litterarum cognitione, vt colligitur ex Boetio, sed & præstitit absq. dubio philosophia, quandoquidem Priscianus, qui illis temporibus vixit, extollit in ipso ingentem multiiugamq. doctrinam, dum præfatur ad libellum de Ponderibus præferentem Symmachiani nominis fulgorem. Eadem porrò ira

praeceps, & Tyrannica Theodorici, quae sustulit è medio Boetium, exitio & morti inuoluit Symmachum. sed non impune tulit Rex, mox abreptus à diuino iudicio illuc vnde negant redire quemquam. O male consultum Principem, qui occisis duobus Heroibus philosophis aeternam suo nomini caeteroqui glorioso (si Arianam haeresim excipias) inussit ignominiam, nullo vnquam seculo abolendam, quamdiu vamq. historia erit. historici quoq. factum eiusmodi in Theodorico detestabuntur, vt discant Reges non foedare suas manus sanguine sapientum virorum. Ita Tiberianam damnamus saeuitiam, qui coegit è vita excedere Cremutium Cordum; Valerianum notamus, qui Longinum vita spoliauit; Neronem execramur, qui ad mortem adegit Thraseam, Senecam, sapientiae antistites.

Laudandos esse Proceres Christianos doctrina & eruditione conspicuos, qualis fuit Boethius. laudantur Nicolaus de Antella, & Cardinalis de Richelieu nuper mortuus. Cap. CLXXXVII.

PErquam lubenter impendi antecedens caput gloriae sapientissimi consulis Boethii, vt magis ac magis contundatur fastus quorundam Procerum cum inscitia coniunctus; nam Boethius etiam fuit Christianus, atq. adeò ostendit philosophiam à Principibus esse excolendam in Republica Christiana, esse doctrinas comparandas. sic aliquot abhinc annis cum obiret vir illustri genere natus Nicolaus de Antella Florentinus Senator, & Magno Duci ab intimis consiliis,

filijs, eius memoriam prosecutus sum carmine, quod eruditione, doctrinaq. multiplici esset instructus, peritissimus rerum ciuilium, & plurima nosset ex historia omnium temporum, quæ feliciter transtulit ad grauissima negotia tractanda, & perficienda.

Idem institutum laudandi sapientes Procères sum nuper secutus, cum fata concessisset celsissimus Princeps Cardinalis de Richelieu, nam inter alia hoc epigrãma latinum exaraui:

Mortuus est Richelieu, nunc Vulgi vbicunq. loquelæ
Dicunt, & gelidus bella ciere nequit.
Mortuus est, fateor, Richelieu, claususq. sepulchri
Angustis latebris heu iacet exanimis.
Sed non mortua sunt facta, immortalia facta,
Liligeri Regni queis decus asseruit,
Dum tumidos Rupellæ animos parere coegit,
Et pressit Proceres seditione truces.
Quin vltra fluuium Rhenum, & iuga Pyrenæi,
Graias cisq. Alpes protulit Imperium.
Ergò plebs sileat, plebs veræ nescia vitæ,
Nec repetat verba hæc: mortuus est Richelieu.
Nam superest Heros Richelieu, super vsq. futurus,
Veridicæ historiæ maxima materies.

Addidiq. Etruscos versiculos:

Allor si veggon stabilirsi i regni
E sorger le Republiche famose,
Quando chi sà le merauiglie ascose,
E sparge rai tra gli eleuati ingegni
Le posse tien per inalzar i degni,
Dà leggi, per spronar l'alme ritrose

E per

E per far le città liete, e gioiose
Tempra con la ragion di Marte i sdegni
Quindi candidi giorni per più lustri
Goder s'è visto il Gallicano Impero
Di Richelieu ne' fatti chiari illustri:
Di Richelieu, ch'esplorator del Vero
Tra' saggi eccelsi, e letterati industri
Fiorì sottil Statista, almo guerriero.

Quibus alios subiunxi in hunc modum:

Se muta la fauella de' mortali
I fatti de' Guerrier non più narrasse,
Se l'oblio vincitor fiero auuentasse
Contra il giorno del Ver notturni strali;
Se l'istoria, che può far immortali
I nomi degli Eroi, dir non osasse;
E se lo stil di Pindo non s'alzasse
per render i successi al sol vguali:
Di Richelieu con suon nouello, e strano
Dall'anima del ciel fatti eloquenti
Fauellerian i monti, i fiumi, e'l mare;
Poiche ceder fur visti al suo sourano
Eroico valor, e spesso intenti
Secondaro l'imprese e'l grand'oprare.

Boetium non locutum de Categoriæ vocabulo detorto ad alium significatum. An liceat philosophis noua vocabula architectari? Cap. CLXXXVIII.

NEscio an quis facile à se ipso impetret, vt inscriptionem libri, quem prædicamenta appellarunt interpretes latini, sit approbaturus, dicturusq. vniuersales voces rectè fuisse vocatas Categorias, cum Categoria sit accusatio, quæ in iudicijs instituitur, cui opponitur defensio: quid vero commune habet accusatio cum generibus, vniuersalibus? Cur non est secutus Archytam Aristoteles, qui melius videtur inscripsisse καθόλου λόγων? vocabula ex vsu communi petenda sunt, neq. enim priuatis licet architectari sermonem, cum sermo sit tacitum quoddam pactum tacita sponsio totius nationis. conantur tamen tueri Aristotelem, qui detorsit ad rem suam communem significatum Categoriæ, Porphyrius, Dexippus, Simplicius, nam Boethius nihil in eam rem profert, quod miror. Porphyrius ait philosophos, quia abdita ac plerisq. ignota exponunt nouis vocabulis indigere ad ea exprimenda: atq. idcircò vel ipsos verba noua & insueta finxisse vel positis in alium significatum detortis abusos fuisse. idem ferè profertur ad defensionem Aristotelis à Dexippo, & Simplicio. sed cum veritas sit antiquissima non videtur exponenda nouis, aut insolitis verbis. id profectò verum est, quod prius, id prius quod ab initio. Ergò qui inuehit noua vocabula, videtur etiam nouas opiniones inuehere.

Ne-

Negare tamen non possumus præter philosophos alios quoq. saltem parcè detorquere vocabula recepta ad alium significatum. videmus etiam crescere linguas plerasq. omnes hoc fit, dum construuntur noua vocabula, noui dicendi modi. sed viderint philosophi ne cerebri sui commentis noua vocabula imponant: nam talis licentia poterit officere communi sententiæ de veritate.

Porphyrius, Dexippus, Simplicius ut defendant Aristotelem depromunt ex eodem ἐντελεχείας *vocabulum quod ipse prorsus nouum composuit. sed si quis velit esse contentiosus, dicet non defendi, sed potius magis accusari factum Aristotelis tali exemplo. suo certè loco disseruimus de inuento, & confictio ab Aristotele* ἐντελεχείας *nomine: iubet tamen audire defensores, Porphyrium præcipuè:* ipse nomen hoc ἐντελεχείας idest perfectihabiæ ad huiusmodi actum significandum finxit, quod in vsu antea non erat. Capitatum item quod de alio dici consueuerat ipse de eo quod habet caput præter consuetudinem vsurpat, capitatæ rei caput accommodatius dici asserens quam animalis. Nam caput habentis signum est capitatum: quippe cum capitati caput sit: propterea quod non omnia animalia caput habent cuiusmodi sunt echini, & vrticæ marinæ, & id genus cætera: vnde etiam ipse inquit: Interdum verò etiam nomina fingere opus est.

Sic se gessit Plinius, sic Lucretius, sic Manilius, sic etiam Theodorus Gaza, Iulius Cæsar Scaliger. Quid memorem Iurisconsultos, quorum noua philosophia peculiarem significatum indidit vocabulis detorquendo significatum, aut

etiam

etiam non pauca noua construxit.

Videant tam docti viri an ἐπιείκεια, & κατηγορία Aristotelis excusari queant.

Ad Boethium exponentem Ciceronis definitionem de Æquitate proponitur controuersia, an Nulla æquitas sit scripta? Cap. CLXXXIX.

DE æquitate quando agitur, videntur inter se luctari philosophi morales, & Iurisconsulti. philosophi pronunciant nullam æquitatem esse scriptam, nituntur q. auctoritate Aristotelis lib. V. Eth. cap. x. ubi ait ἐπιεικὲς, æquum bonum esse ius, non quidem legitimum, sed in quo legitimi correctio potius contineatur. ad quem locum interpres Vbertus Gifanius non dubitat aßerere falsißimum esse æquitatem partim esse scriptam, partim non scriptam.

Ego malo aßentiri Iurisconsultis affirmantibus non repugnare æquitati, ut scripta dicatur. nam præsto est auctoritas Ciceronis, qui in Topicis ius Ciuile sic definiuit: ius ciuile est æquitas constituta his, qui eiusdem sunt ciuitatis ad res suas obtinendas. *Concinit Ciceroni Boethius, qui Ciceronem interpretatur. Munitur Boethiana interpretatio auctoritate Vlpiani ff. de iust. & iur. l. 1* Ius est ars æqui, & boni *§. 2. ait ius priuatum tripartitum esse, & collectum ex* naturalibus, præceptis aut gentium, aut ciuilibus *præcepta absque dubio scribuntur. sed ius continetur præceptis, quod ius est ars æqui, & boni. Ars certum est collectio præceptorum ad aliquem finem in vita hu-*

mara vtilem. Constituenda ergò est quædam æquitas scripta, nec negandum æquitatem non in tota latitudine scribi. unam quandam in iurisconsultorum scriptis elucet, eaq. ius scriptum, saltem quo ad partem constituit, à qua non licet recedere iusto iudici: altera est non scripta, quæ in singulis circumstantijs rei vel personæ spectata est, cuius possunt tot esse regulæ, quot hypoteses occurrere possunt. propterea certæ regulæ vix constitui possunt sed religioni iudicis committitur examinandum, quid in singulis controuersijs ex æquo, & bono præstandum sit. Non omnia legibus latis potuerunt comprehendi, ex quibus omnis controuersia posset decidi, & terminari l. non possunt ff. de leg. Ideo interpretatio prudentum, quæ naturaliter leges sequi solet ff. de orig. iur. l. 2. § his legibus multa collegit, quæ omissa erant à legibus, & æquitate dictante leges instar confirmauit. quod rectè factum videtur confirmari posse confessione ipsius Aristotelis qui æquitatem vocauit νόμου ἔλλειμμα, id quod præteritum est à lege. Cur enim à prudentioribus non possint colligi ea, quæ tacuit lex? vrbs profectò Athenarum ex nobilibus habebat aliquos, qui exorta ambiguitate de sensu legum responderent. sed non erat moris tales obseruationes tradere scriptis. Nolebant enim Athenienses excrescere leges, ne multis difficultatibus inuolueretur ius, & inde oriretur longitudo litium. Hinc mirum non est, si absolutè Aristoteles non agnouit æquitatem nisi non scriptam Romani autem non contenti simplicitate xij. tabul. non pauca commentãdo addiderunt, tandemq. pepererunt quandam nouam philosophiam constantem definitionibus, diuisionibus, illatationibus, principijs, axiomatibus, alijsq. quæ vt rectè percipi-

ciplantur, requirunt ingenium non mediocre, diligentiam non vulgarem, tempus non exiguum. Tali autem arte caruisse nationes, excepta Romana, non dubitarim pronunciare.

Quod si approbemus morem Romanorum in scribendis nonnullis ad æquitatem facientibus, debet saltem esse aliquis modus interpretationum, & commentationum. At hodie proh dolor Ius abiuit in miserabilem altercationem, dum quotidie doctores protrudunt ingentia volumina cōplectentia controuersias scholasticas, forenses. exeūt etiam subinde sententiæ iudicum, quas decisiones appellant, quod cacoethes nisi reprimatur vix deinceps feretur sententia in aliquo tribunali, quæ non mox latè exposita, & per multam disputationem dilatata non edatur.

De statu animarum exponuntur verba Boethij. explicatur etiam Petrarcha. Cap. CXC.

Videntur difficultate laborare verba Boethij, quæ leguntur in primo dialogo in Porphyrium à Victorino translatum, quæ sic habent: animæ humanæ cum prioris illius intellectibilis substantiæ fuissent, corporum tactu ab intellectibilibus ad intelligibilia degenerârunt. Nonne his verbis videtur significare animas humanas antequam coniungerentur corporibus fuisse beatas in cœlo, & lapsas in corpora pollutas tali hospitio? quod docuit post Platonem Origenes, qui Mosaicam narrationem de creatione Adami, & Euæ ad Platonismum traxit, quod visus etiam est facere Philo. Idem quod superius protulit videtur

tur tradere Boethius lib. V. de Consol. Philos. p. 76. Humanas animas liberiores quidem esse necesse est cum se in mentis diuinæ speculatione conseruant, minus verò cum dilabuntur ad corpora, minusq. etiam cum terrenis artubus colligantur.

Puto verba Boethij sic exponenda, vt voluerit significare animas si secundum suam substantiam, & naturam considerentur aptissimas esse, quæ contemplationi rerum diuinarum feliciter inhæreant. quando autem colligantur corporibus experiuntur multiplicem difficultatem. Doctrinæ igitur causa sic loquitur Boethius non quod fuerit tempus, quando animæ nondum colligatæ corporibus beatæ essent. sic quoq. exponendus est Petrarcha, qui non vno loco videtur dicere animam suæ Lauræ è cœlo [illegible], vt sua præsentia terras illustraret. Neq. enim credidit Petrarcha animas antequam coniungantur corporibus esse in cœlo. Ita etiam poetica libertate vsus quasi Platonicus animas remittit non ad cœlum Empyreum, sed ad Planetas, & sidera errantia. quod condonandum est poeticæ libertati.

Prædicamenta, quæ interpretatur Boethius, tradita fuisse ante Aristotelem ab Archita Pythagoræo. confutatur quædam narratio Themistij. Cap. CXCI.

VVlgus interpretum putat Logicam omnem ad Aristotelem velut vnicum auctorem esse referendam. quod quam falsum sit, norunt qui aliquem vsum habent in scri-

ptis

ptis Platonis. sed & confutantur ex eo, quia constat de prædicamentis, siue generibus entis aut καθόλοις λόγοις Architam Pythagoræum Tarentinum longe ante Aristotelem scripsisse, ita fatentur pleriq. Veterum. audiamus Boethium lib. 1. ad prædicam. Arist. Architas duos composuit libros quos καθόλους λόγους inscripsit, quorũ in primo hæc decem prædicamenta disposuit. vnde posteriores quidam non esse Aristotelem huius diuisionis inuentorem suspicati sunt, quod Pythagoricus eadẽ conscripsisset, in qua sententia Iamblicus philosophus non ignobilis est. *hæc ille.*

Simplicius eadem de re sic loquitur in proœmio comment. in prædicam. Nam cum etiam Archita Pythagoricus ante Aristotelem in eo libro, quem de omni re vel de vniuerso inscripsit diuisionem in decem prima genera fecisset, & explicationes eorum generum per exempla euidenter, & apertè declarâsset ac ostendisset, quem ordinem inter se habeant, & quæ sint vniuscuiusq. generis differentiæ specificæ, & quæ eisdem communiter, & propriè insint, iste magnus scilicet Iamblichus conuenientibus suisq. in locis adducens Architæ dicta: *paulo post fatetur* videri vbiq. Aristotelem sequi Architam. *vidit, vt puto, Simplicius librum Architæ, aut saltem Iamblichi commentarium, & fassus est Aristotelem, sibi plerumq. visum sequi Architam. Miror verò Porphyrium cum accurate librum de prædicamentis Aristotelicum exponeret nullam fecisse Architæ mentionem. Nec Dexippum Platonicum discipulum Iamblichi quicquam de eodem scriptore deprompsisse, cum tamen versaretur in mani-*

manibus omnium Iamblichi labor.

Sed multo magis miror Themistium ausum dicere Architam auctorem prædicamentorum fuisse quendam Peripateticum, qui scripserit post Aristotelem. nam non videmus à quoquam factam mentionem vllius Architæ peripatetici Architam autem Tarentinum, Pythagoreum celebrem nouimus. oppono Themistio iudicium Iamblichi, nec fileo Simplicium assensisse Iamblicho non verò Themistio.

Comparantur verba Architæ quæ extant apud Simplicium cum Aristotelis, deprehendes non semper esse concordes, & Architam proponere doctrinam Pythagoream, non peripateticam. nam primæ substantiæ apud Architam sunt Ideæ incorporeæ, & in materia eæ; secundæ autem substantiæ sunt sensibiles & indiuiduæ substantiæ. At apud Aristotelem secundæ substantiæ sunt genera & species, quæ destructis primis substantijs nihil sunt. primæ autem substantiæ sunt indiuidua. Ergo Architas ille Pythagoreus fuit, non peripateticus.

Vnde obiter discere est Aristotelem vix candidè se gessisse, quandoquidem nulla facta mentione Architæ, multa eius in sua scripta deriuauit, & strauit viam suis hypothesibus, quas erat propositurus contra Pythagoream, & Platonicam sapientiam.

Quæ lubenter exposui, vt nostrates Peripatetici deliberent, an deinceps omnem logicam inuentam velint imputare Aristoteli, & num meliora fuerint, quæ tradidit Architas ijs, quæ supposuit Aristoteles?

Existimasse Boethium Naturam secundum Aristotelem tantum dici de corporeis substantijs. de tota quæstione aliquid profertur. Cap. CXCII.

IN *opusculo de duabus Naturis cap. I. ait Boethius* corporeas tantum substantias naturam habere, secundum Aristotelem, cæterosq. & eiusmodi multimodæ philosophiæ sectatores. *inde colligere est existimasse Boethium in schola Peripatetica nequaquam dicendum esse Deum, & intelligentias, & primum motorem habere naturam, aut esse naturam. nam extra peripatum ipse naturæ vocabulum tribuit Deo optimo maximo. quicquid enim facere potest, natura est. Deus facere potest, & facit. igitur natura est. sed longè aliud est loqui cum Christiana religione, aliud ambulare in Lyceo.*

Dices, Boethium in eiusmodi opusculo agere Theologum non philosophum Peripateticum. non igitur voluisse definire an primus Motor sit natura in umbra lycei.

Respondeo, Boethium quandoquidem agebat Theologum voluisse simul significare secundum Aristotelem Deo nequaquam tribuendam naturam. Ergò indicauit sibi exploratam esse mentem Aristoteleam, neq. secundum Peripati Moderatorem, primum Motorem, & substantias incorporeas quales sunt Intelligentiæ, esse appellandas Naturas. xij certè Metaph. tex. xxxviij dixit cælum, & naturam pendere à primo principio, hoc est Motore, atq. adeo Motorem non esse naturam, quod nuper etiam rectè animaduertebat

P. An-

P. Augustinus de Salu. hic præclarus Metaphysicæ interpres.

Sed obijcies contra Boethium Aristotelis verba VIII. physic. tex. 48. ἐν γὰρ τοῖς φύσει, δεῖ τὸ πεπερασμένον ὑπάρχειν μᾶλλον: oportet in ijs, quæ natura finitum esse magis. vnde colligit vnum esse motorem cæli, & non infinitos. Quod si motor non esset natura, nihil promoueret argumentatio Aristotelica.

Respondeo Aristotelem sic ratiocinari: Mobile, scilicet cœlum, est finitum. Ergò non est dicendum motores esse infinitos aut valde multos. nam quod Aristoteles sub nomine eorum quæ φύσει hoc est natura sunt, non intelligat primum Motorem, discere est ex lib. I. de Cœlo tex. I. eorum quæ natura dicuntur hæc quidem sunt substantiæ dico autem substantias, vt simplicia corpora, & cœlum, & rursus animalia; Quod apertius fieri potest his verbis.

Quod si Naturæ esset secundum Aristotelem primus Motor, esset etiam finitus, atq. adeò esset corporeus quod prorsus ab ipso reijcitur in VIII. physic. pluribus allatis argumentis. & tamen Aristoteles, vt probet non esse infinitos motores, imo non plures ait tex. 48. vnum autem magis (mouens) quam multa, & finita, quam infinita. quamuis quando egit de infinito dixit finitum, & infinitum esse affectionem quantitatis. in hoc verò textu [illegible] finitudine vt ostendat esse vnum Mouens. vbi etiam subiungit: sufficiens autem est, etiamsi vnum (mouens) cur ergo in λ. 7. Metaphys. conatus est ostendere esse quinquaginta sex Motores secundum numerum lationum? in hoc vero tex. 48. physic. VIII. videtur sibi contradicere, dum ait vnum Mouens sufficere, mox subiungit id esse primum

Mo-

Mouens inter immobilia, & esse atq; principium Motus; nam si datur vnum primum mouens immobile cæteris tribuens motum, non erit primum inter immobilia: cum enim vnum id immobile reliquis omnibus tribuat motum, erit tantum vnum immobile, non plura immobilia: nam quod accipit motum ab alio, nequaquam immobile dici debet.

Auerroes non tetigit difficultatem, sed simpliciter scripsit hoc modo: si iste motor, qui declaratus est esse æternus, fuerit vnus, æternum erit vnum, & si plures, æterna erunt plura. *sed hæc obiter.*

Quæres an absolutè in Schola Aristotelis Motor assistens non possit dici Natura? nobilissimus professor philosophiæ in hoc Gymnasio Alexand[illegible] Marcellus Senensis putat probabiliter sustineri posse sententiam eius, qui Motorem vocat Naturam.

Propriè tamen non vocabitur Natura, sed per quandam assimilationem; vt enim Auerroes existimauit Intelligentiam per assimilationem dici in Peripato animam cœli, vnde cœlum appellatum est animatum ab Aristotele, sic eadem intelligentia appellari vtcunq. poterit Natura. atq. ita explicari debet quomodo Auerroes in libris de anima cælestia corpora appellauit immortalia animalia, quia habent intelligentiam assistentem, quæ quodammodo anima est, & instar animæ, non propriè anima mouet cœlum. Huius expositis carmen subijciam de controuersia inter celebres philosophos Licetum, & Liuiolum super Naturæ significatione in Lyceo non ita pridem exorta:

Mentes atq. Deum Naturæ nomine signat
Licetus, quem quis lædere sustineat?

Liliolus pugnat Lyceto, telaq. torquet,
Quæ tamen an feriant, dicere iam renuo.
Quem sequeris lector? viridē cui porrigis herbam?
Candida cui tribuit puncta magister honos?
Me mage Lilioli sententia, grata Lyceo,
Detinet, & Veri congrege luce beat.

Quatenus videatur Boethius definiuisse hominem animal rationale mortale. Cap. CXCIII.

VT sit perfecta definitio hominis Boethius lib. secundo in Top. Cicer. ait ponendum esse rationale, mortale. Ergo ex ipsius sententia videntur dari quædam animalia rationalia, immortalia. An ergò putauit Angelos esse animalia? aut saltem cœlestia corpora? Ergone existimauit cœlum constare ex anima, & corpore, tanquam partibus, & animam eiusmodi esse rationalem? quod tamen ex scholis Christianis explosum iampridem est.

Respondeo incredibile esse Boethium putasse Angelos esse animalia, cum non constent ex corpore, & anima, quicquid dixerint nonnulli illis temporibus, qui putabant Angelos esse præditos corporibus subtilibus.

Nec dicendum putasse Boethium corpora cœlestia informari anima rationali, vt existimauit Plato. potest tamen fieri, vt opinatus fuerit corpora cœlestia posse dici animalia immortalia quatenus mouentur ab intelligentia, quæ per assimilationem vocari potest anima cœli, vt quidem rem totam est interpretatus Auerroes.

An

An tantum fuerint tres modi conferendæ libertatis tempore Boethij? Cap. CXCIV.

SI quis velit probare aliquem non esse liberum, ait Boethius lib. secundo in Top. Cicer. satis esse si quis ostendat non esse liberum testamento, non vindicta, non censu. quod supponit non fuisse plures modos conferendi libertatem. Censu sanè conferebatur libertas, permittente domino, vt seruus in censum nomen deferret, nam antiquitus nonnisi ciues Romani censebantur. peruulgatum etiam erat seruis suis in testamento relinquere libertatem, vt liberi sequerentur funus. quò referuntur nota verba Persij:

hesterni subiere Quirites.

Vindicta erat modus manumittendi coram Prætore, quod etiam Tirones sciunt, sciuntq. Persianum versiculum:

Vindicta postquam meus à Prætore recessi.

Talis tamen enumeratio videtur mutila si respicias tempora Boethij: Nam tunc manumittebantur Serui etiam in Ecclesia coram episcopo, quod notissimum est ex C. de his qui in Eccles. l. 1. quæ lex lata fuit à Constantino. Ergò tempore Boethij erant quatuor modi conferendi libertatem. reprehendendus igitur quod talem modum omiserit.

Respondendum est Boethium tantum interpretatum fuisse Ciceronem, neq. voluisse ex posterioribus temporibus quicquam addere. At tempore Ciceronis erant tantum tres modi conferendi libertatem. Igitur bene locutus est Boethius.

Obseruent interim studiosi oportere nos vt simus non insulsi Iurisconsulti scire immutationes, quæ varijs temporibus contigerunt. Valde autem immutarunt Iurisprudentiam Romanam tres Imperatores, Augustus, Constantinus, Iustinianus, quorum proinde vita debet esse exactè nota omnibus ijs, qui volunt feliciter versari in castris Astrææ, & Eunomiæ, & cupiunt mereri stipendia in togata militia.

Nonnulla de philosophiæ diuisione Platonica, & Aristotelica obseruantur ad ea, quæ profert Boethius. Cap. CXCV.

B*Oethius dialog. in Porphyr. à Victorino translatum proponit diuisionem philosophiæ faciendo duas eius species, Theoreticam, & practicam. logicam scilicet non dignatur philosophiæ nomine, nam postea ait:* hanc autem quidam philosophiæ partem, quidam non partem, sed ferramentum, & quodammodo supellectilem iudicarunt. *Plato tres fecit philosophiæ partes, vnam naturalem, moralem alteram, tertiam rationalem, vt testis est Cicero in quæst. Academ. nec sic et Laertius. partes singulas à diuersis accepit, Moralem à Socrate, intelligibilium tractationem, & rationalem à Pythagora, sensitium rationem ab Heraclito; vt testatur Apuleius in libro de dogmate Platonis.*

Aristoteles non talem fecit diuisionem. nam Logicæ nomine nequaquam accepit scientiam intelligibilium, sed facultatem, quæ agit de diuisione, definitione, de syllogismis de

de demonstratione, quam nec dignatur appellare philosophiam, sed potius instrumentum philosophiæ.

At Plato nomine rationalis intelligit quidem eam facultatem quæ agit de sermone, qualis etiam est Rhetorica, sed præcipue extollit Dialecticen, quæ dialectice apud Platonem est regina omnis philosophiæ. Meminisse scilicet oportet, apud Platonem Logicam pressè sic dictam significare artem regulas nominum, orationum, argumentationumq. disponentem: dialecticen verò sagacem philosophantis indaginem, regulis his vtentem ad indagandas rerum rationes præsertim diuinarum, vt dialectice nihil aliud sit quam theologia, quam solam etiam certam esse profitetur. in Phædro sic loquitur: Magnæ quælibet artes exercitatione dialectica, contemplationeq; sublimium in natura rerum indigent. ipsa enim mentis sublimitas, & vis efficax in quauis re perficienda hinc quodammodo proficisci videntur: quod Pericles ad ingenij acumen adiunxit. *ait sic eum consecutum talem scientiam familiaritate Anaxagoræ, qui eiusmodi res indagauit. Sanè Anaxagoras teste etiam Aristotele, videtur cognouisse Mentem immixtam, & incorpoream; quapropter grauiter errant qui Metaphysicæ initium ad Aristotelem referunt. Nam si Anaxagoras agnouit substantiam incorpoream, & Metaphysica præcipuè agit de incorporeis, nequaquam dicendus est primus auctor Metaphysicæ Aristoteles.*

In VII. de Republ. præ omnibus Dialecticen Plato laudat, & euehit supra omnes disciplinas. ait enim: dialectica sola sublatis suppositionibus omnibus ad ipsum principium vt compertum habeat sese transfert, ac

reuera animi oculum cœno barbarico obrutum paulatim sursum trahit ac ducit. *quam solam ibidem putat esse scientiam, cæteras artes ait propter consuetudinem scientias appellari, sed propriè dialecticen solam esse scientiam, quæ purissima est, supra sensum sensibiliaq. quæ fluunt, & caduca sunt, consurgens, ut intelligibilia, perennia, immutabilia contemplatur. sola dialectica definit, cæteræ artes, quæ respiciunt opiniones, & cupiditates hominum, circa essentiam rerum quodammodo somniant, nihil autem cernunt syncere, hærentes suppositionibus.*

Aristoteles contemptim videtur de Dialectica loqui, nam definitiones dialecticas paruifacit, easq. physicis longè postponit in libris de anima, quia nituntur cogitationibus, at physicæ ipsa re se fundant.

Plato scilicet, ut est videre in Phædone, Naturæ philosophiam ut potè incertam, probabilemq. cum Socrate contempsisse videtur, seseq. contulit ad contemplationem rerum intelligibilium, in quibus vera est scientia.

Vnde videre est quantopere in re graui dissideant Plato & Aristoteles, quamuis Simplicius in primum physicorum conetur conciliare hac quoq. in re Aristotelem Platoni, quasi Aristoteles non omninò certam putarit esse physicam, quandoquidem nititur principijs indemonstrabilibus; sed eiusmodi conciliatio vacillat. nam proculdubio physicam in primo physicorum Aristoteles conatus est ostendere esse apodicticam, certam, demonstratiuam. secus sensit Plato, qui in suo Timæo acturus de mundo ait se rationes exactè firmas & probatissimas afferre non posse. & pollicetur tantum probabiles rationes, quia de sensibilibus non existimauit dari de-

mon-

monstrationem, & scientiam certam, sed tantum de intelligibilibus, parui enim verò facit sensus Plato, non illis fidit, at fidit menti, eiusq. contemplationi in Phedone, traditq. nullam fore scientiam si non daréntur Ideæ.

Aristoteles autem tantum tribuit physicæ, vt subiectum Metaphysicæ motorem scilicet immaterialem, ab ipsa putet sumendum. hinc etiam factum, vt suam Theologiam postphysicam vocauerit, quasi non liceat esse Metaphysicum ante physicam. Contrario ordine progressus est Plato. nam ab Intelligibilibus tanquam prorsus certis existimauit nobis esse progrediendum ad sensibilia, tanquam fluxa, & incerta, mutabiliaq.

Disce autem Aristotelem nequaquam Intelligentias, & primum Motorem docuisse esse naturam, quia postphysica, id est Theologia distinguitur à physica, nam Theologia agit de incorporeis, de corporeis substantijs physica.

Propterea Boethius vt diuidat philosophiam secundum antiquos non sinet tres esse species contemplatiuæ philosophiæ, vna agit de Intellectibilibus, alia de intelligibilibus, alia de naturalibus. intellectibile vocat quod vnum atq. idem per se in propria semper diuinitate consistens nullis vnquam sensibus, sed sola tantum mente, intellectuq. capitur, quæ res ad speculationem Dei atq. ad animi incorporalitatem, considerationemq. veræ philosophiæ indagationē componitur, quam partem Græci theologiam appellant. sic quidem Boethius, quæ an prorsus faciant ad Metaphysicam Aristotelis ambigere licebit, cum in ea tantum de Deo, & Intelligentijs Motricibus cælorum disseruerit, Animæ autem incorporalitatem, vt vtar vocabulo Boethij, prætererit.

Se-

Secunda pars contemplatiuæ philosophiæ secundum Boëthium agit de intelligibilibus, quæ sunt omnium cælestium supernæ diuinitatis operum causæ, & quicquid sub lunari globo beatiore animo, atq. puriore substantia valet. *addit hac philosophia quoq. comprehendi animarum humanarum conditionem, atq. statum.*

Quæ an conciment omninò Peripateticæ scholæ iam disquirere supervacaneum puto.

Tertiam theoreticæ philosophiæ speciem Boëthius docet esse eam quæ naturas corporum, passionesq. declarat.

Deinceps recenset species practicæ philosophiæ.

Tacita volui ex Boëthio repetere, ut simul cum studiosis nostris ad diuisionem philosophiæ, adq. dissidium Platonis, & Aristotelis eiusmodi in re facientia communicarem, quæ tamen à vulgo interpretum admodum negligenter præterëuntur.

De diuisione sectarum, & librorum Aristotelicorum, quam omisit Boethius quædam depromuntur ex Simplicio, & illustrantur. Cap. CXCVI.

Diuisionem philosophiæ quidem proposuit Boetius, at sectarum partitionem omisit, nec censum iniuit librorum Aristotelicorum. Eiusmodi laborem suscepit Simplicius, qui tamen videtur tralatitiã operam in ea re posuisse. de sectis profectò quanto ag... silentio inuoluit Ionicam philosophiam a Thalete profectam, quod non oportuit factum. Democriti quoq. nullam mentionem facit. dices cum dum

morat Epicureos memorare voluisse Democriti scholam. sed sciendum Simplicium voluptatis potissimum institutum tribuere Epicureis, quod de Democrito non legitur. Caeterum Epicureos tuetur Simplicius, ne quis putet eos tantum voluptatem, quae in cibo potu, Venereis reperitur sectatos. Simplicij verba sunt: nam Epicurei per voluptatē non venabantur voluptatem, sed summis laboribus, & continentia eam adipisci cōtenderunt. Minus tamen rectè videntur semper vsurpasse, & in ore habuisse nomen voluptatis, cum absq. dubio certum sit non omnem voluptatem esse honestam, dignamq. quam quis venetur, cum etiam videatur esse certum vltimum finem humanae vitae, non esse in ea collocandum. legenda igitur sunt, quae accuratissimè disputata ea de re reperiuntur in Dialogis Platonis.

De Cynicis autem verba Simplicij non adeò sunt obuia. ait enim: Alius est finis, quem animo, & coniectura intendunt, & alia est institutionis suae forma, & modus. de eorum instituto suo loco egimus, cui addas velim dissidere inter se viros eruditos, dum aliqui putant eos solo vsos pallio absq. interula, subuculaq. linea, alij in aliam habeunt sententiam, qua de re non est hic disputandi locus.

Sed quis fuit finis Cynicorum diuersus à forma institutionis? cogitatione ditissimi erant, liberi, Reges, supra omnes mortales collocati. reipsa autem pauperes erant, abiecti, sordidi, viles, seminudi, expertes domus, & tecti. sic quidem puto explicanda verba Simplicij.

At videnda nunc est diuisio librorum Aristotelicorum, quam proponit Simplicius. Miror autem cum non dixisse alios fuisse exotericos, alios acroamaticos, quae partitio cate-

 rogui

eoque decantatissima est. existimo autem exotericos, vt & acroamaticos dictos, vel à materia, vel à modo scribendi magis vel minus exacto. quaero enim an libri Moralium sint Acroamatici, an Exoterici? si modum scribendi respicias, Acroamatici sunt, quia non poterant exactiori modo conscribi. Sed si respicias materiam exoterici dicendi, quia scientifici, & demonstratiui non sunt, & non nisi crassam recipiunt Mineruam, quia Mores hominum habent magnam varietatem.

Libri de anima tres, qui extant, prorsus Acroamatici sunt, siue respicias materiam, siue tractationis modum. dialogus autem Eudemus de anima exotericus fuit, quia populariter in eo Aristoteles disseruit de anima. Non igitur rectè facit qui ex Eudemo citat verba, eaq. putat esse vltimam certamq. sententiam Aristotelis. nam de Anima nihil perfectum, & exactum hodie extat Aristotelicum nisi tres libri de anima.

Quinam autem fuerunt Memoriales libri, de quibus agit Simplicius? puto eos ad exotericos referendos, nam suae memoriae consulens eos congessit Aristoteles, non quod in ipsis explicaret sua peculiaria dogmata. Audiamus Simplicium: Memoriales sunt quoscumq. ad suam, & peculiarem rerum memoriam construxit. Mox subiicit: videntur libri memoriales non esse digni, vt eis operam demus, idcirco interpretes non credunt ea, quae in illis docentur, fuisse dogmata, instituta, sententiasq. philosophi. Hic si verum est, cur dixit superius, memoriales libros constructos fuisse ad exactam rerum indagationem? Respondendum est, aliud esse, facere ad indagationem

gationem exactam, aliquidq. conferre, aliud continere exactam rerum cognitionem. Memoriales libri cõducebant, conferebant ad exactam rerum cognitionem, sed eam non complectebantur. Tales fuerunt θαυμάσια ἀκούσματα de admirandis auditis. Neq. enim præstat ipse eiusmodi narrationum veritatem. sic idem teste Varrone lib. IV. de lingua latina conscripsit νόμιμα βαρβαρικά, exarauit etiam non pauca de Rebuspublicis, siue de moribus institutis Rerumpublicarum. Hinc Cicero de Fin. lib. V. omnium ferè ciuitatum non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ ab Aristotele mores, instituta, disciplinas. eius operis fragmenta à viris doctis collecta sunt.

Ad memoriales libros Aristotelis referenda sunt eius διδασκαλίαι de quibus Laërtius. conferebat is liber non solũ ad cognitionem Poetarum Dramaticorum, sed etiam ad successionem temporum. nam notati in eo erant anni, quibus editæ fuerant fabulæ, hocq. mirificè conferebat ad Chronologiam.

Pergit Simplicius aitq. librorum Aristotelicorum alios fuisse ritè, & rectè coordinatos, alios confusos. & coordinatos alios esse dialogicos, alios αὐτοπροσώπους. Etsi autem dialogici essent bene dispositi, populares tamen erant, nec vltimam sententiam auctoris complectebantur. Non igitur potest induci liber dictus Eudemus quasi cõplectens vltima, & germana dogmata Aristotelis, qui quid dicant nonnulli ex recentioribus. vide etiã Ammonij verba cap. 1e q.

Sed de libro ad Alexandrum de Mundo quid dicendum? puto esse verum opus Aristotelis, sed ab ipso nondum satis compositum, cum Alexãder adhuc non suscepisset expeditio-

num aduersus Persas. Ergo in ipso non ita procul recedit à praeceptore, quia magnificè de Deo omnium rerum conditore, & conseruatore loquitur. postea senior factus magis accessit ad nouitatem, magisq. remouit gradum à Platonico dogmate, tantumq. locutus est de primo Motore, & de intelligentijs. igitur mihi videtur liber ille meliora continere dogmata, meliora, inquam ijs quae postea ab ipso tradita sunt in physica, Metaphysica & libris de Caelo. Sed qui vult exigere postremos libros ad anteriorem illum, inuertit ordinem, quem secutus est Aristoteles, qui semper magis ac magis discessit à vetustate nouitatem amplexus. dici enim vix potest, quam noua sint, quae nouissimè exarata sunt à Peripati conditore.

De diuisione philosophiae, & de operibus Aristotelis plura depromuntur ex Ammonio, & reijcitur paradoxum Fr. Patritij. Cap. CXCVII.

Liceat mihi ijs, quae in superioribus duobus capitibus tradita sunt de diuisione philosophiae, & de operibus Aristotelis addere aliqua ex Ammonio doctissimo philosopho qui fuit discipulus Procli, & praeceptor Simplicij rara sane laude.

Prooemio in Porphyrium ait philosophiam à nonnullis in duas, à plerisq. in tres partes fuisse distributam. qui diuidunt in duas partes sunt proculdubio Peripatetici, qui negant Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam esse partem philosophiae. Communior est diuisio, qua diuiditur in tres partes philosophia à Platonicis Academicis, & Stoicis, qui

omnes

omnes aiunt philosophiam aliam esse contemplatiuam, aliam actiuam, aliam denique rationalem.

Quicquid verò sit de controuersa diuisione, Ammonius in duas partes philosophiam partitur, cuius diuisionis duplicem affert rationem. nam philosophia conatur hominem Deo facere similem, quantum fieri potest. At Deus, & cognoscit, & prouidet regendo inferiora. Ergò & philosophia partim est contemplans, partim operans. Animæ duæ sunt actiones vna cognoscens in intellectu, altera vitalis posita in voluntate. philosophia nos perficere cupiens partim exornat intellectum cognitione, partim dirigit voluntatem, ne in appetitionibus impingat.

Contemplatricis porrò philosophiæ tres sunt partes, vna de diuinis, altera de Mathematicis, tertia de naturalibus agit. diuinæ omnino materia carent, & se pulcherrimè sustentant, naturales nunquam separari à materia, neq. per se constare intelligi ue possunt. *vnde obiter discere est, quod primus Motor, & intelligentia extra naturalium rerum censum collocandæ sunt, cæteroqui oporteret dicere eas esse sic addictas materiæ, vt per se constare intelligiq. nequeant.*

Mathematica est pars contemplatricis philosophiæ, quæ complectitur separabilia, & non separabilia, quæ intermedia vocantur. sic autem nuncupantur quoniam à naturalibus ad diuina nullo medio intersecto nequimus conscendere. Plotinus sanè Mathematicas disciplinas adolescentibus tradendas esse censuit, quoniam si eos statim à naturalibus ad diuina traducere voluerimus, cæcos faciemus quemadmodum autem si quis ex domo maximè tenebricosa in splen-

didis-

lucidissimam exire voluerit, in ea prius morari debet, in qua mediocre lumen sit, in lucidissimam postea deuenire: ita etiam iuuenes, antequam à naturalibus ad diuina ducantur in mathematicis, quæ ad illa tanquam gradus, & scalæ sunt vt quatenus à materia non separantur, naturalibus: quæ verò seiunguntur, diuinis coniunguntur, necesse est exerceri.

Videndo plura quæ Ammonius de partibus philosophiæ sigillatim disserit. Nunc ad Aristotelem, eiusq. philosophiam, & philosophicos libros transeundum.

Negat Ammonius Logicam, Metaphysicamq. inuentam ab Aristotele, quod tamen hodieq. nonnulli asserunt. physicam aliqua ex parte auxit. sunt verba Ammonij in vita Aristotelis: Logicæ adiecit. norant enim veteres demonstrare at demonstrationes facere haudquaquam norant. *hinc forte dixit Themistius in orationibus audiuit etiam Sophistarum in ordinem redactam ab Aristotele, vt de ijs glorientur accuratis obijcere queant.*

Pergit Ammonius, & ait physica additam ab Aristotele, quintam essentiam, *scilicet cælum.* Theologiæ verò ei si nihil adauxit, nihil tamen de ea tractauit, in quo quicquam desideres. *Audiant & notent hæc verba Auerroistæ, qui contendunt Metaphysicam ad solum Aristotelem tanquam inuentorem referendam.*

Non sit et deinceps Ammonius Aristotelem nouisse primam causam neq. per se mobilem, neq. per accidens esse, ex hoc *sane indicando* diuinitatem supremam ac moderatricem neq. corpus esse, neq. obnoxium affectibus. *vides secundum Ammonium Deum non esse naturam.*

turam, nam dixerat Aristotelem addidisse quintam essentiam scilicet cœlum. Mox ait Metaphysicam ab eo nequaquam mutilam esse traditam, sed perfectam; quandoquidem egit de suprema diuinitate, deq. ijs quæ supra mundum sunt, non de solis ijs, quæ mundi ambitu continentur. *natura intra mundum est, diuinitas supra mundum. Ergo diuinitas non est natura secundum Aristotelem, & Ammonium. si verò quæras quidnam norit supra mundum Aristoteles? diuinitatem solam nominat Ammonius, non ergò agnouit Aristoteles infinitum numerum animarũ, quæ emanauerint à Deo ab æterno, & singillatim quotidie ex perenni illo statu, in quo secundum nonnullos recentiores Peripati sectatores per infinito tempore fuerint, demittantur.*

Sed videamus, qua ratione partiatur opera Aristotelis Ammonius in præfat. ad prædic. Aristot.

Diuidit opera in particularia, & vniuersalia. particularia vt epistolas. inter vniuersalia recenset libros de anima & physicã. quibus addit Respublicas, & historiam animalium. extitit tamen nostris temporibus præter Nizolium Franciscus Patritius, qui omnes libros Aristotelis, qui hodie extant, & in quos doctissimi viri, & quidem Antiqui exararunt commentarios, in controuersiam ausus est reuocare, suspectosq. tanquam non sint Aristotelis reddere. Nizolius contendit nullum horum librorum esse Aristotelis, sed esse tantum epitomas, & compẽdia à Nicomacho Aristotelis filio, ex patris libris excerpta, ac contracta, quod miror potuisse dici, cum nihil absurdius videatur posse depromi. sunt enim in manibus eruditorum commentarij Alexan-

xandri, Simplicij, Themistij, Philoponi, extat paraphrasis Andronici Rhodij in libros Ethicorum, tot tamen doctissimi homines vt integros, germanosq. libros Aristotelis exposuerunt.

Sed Franciscus nihilominus Patritius sic loquitur de operibus Aristotelis: Multæ me rationes in dubium adducunt de maiore librorum Aristotelicorum parte. nam ducentos & duos libros liquido constat non ab eius profectos calamo. Alij ita dubij, & ambigui sunt, vt Aristotelis esse, nulla certa ratione affirmare possimus. *hæc audax ille homo, quem prolixè confutare hic non vacat. satis sit interim testimonium Ammonij, qui agnoscit physicam, de anima, Ethicam, politicam, œconomicam, de cælo, de generatione animalium, de ortu, & interitu, prædicamenta, de interpretatione, priora resolutoria, posteriora resolutoria, Topica, Sophisticos Elenchos, Rhetoricam.*

Quod testimonium magni esse faciendum, nec posse reijci ex eo constat, quia testatur ipse consueuisse interpretes Aristotelicorum operum antequam singillatim exponerent huiusmodi libros, quærere an liber ille esset verus, & germanus partus Aristotelis. quod etiam testatur Philoponus in proœmio commentariorum in libros Analyticorum.

Sic Ammonius in præf. ad prædicamenta: quærimus etiam an suus legitimusq. sit philosophi liber, estq. hic prædicamentorum liber verus legitimusq. Aristotelis iudicatus ab interpretibus, tum ex sententijs, verbisq. tum quod huiusce libri philosophus alibi meminerit. *agnoscit librum etiam Porphyrius, & Dexippus,*

&

& Simplicius, antiqui & sine controuersia doctissimi maioresq. faciendi, quam Diogenes Laertius. accuratius enim inquirunt in librum interpretes, sciuntq. discernere melius, quam simplex historicus, qui cum de plurimorum philosophorum operibus ageret, non potuit de singulis explorare veritatem, liquidoq. affirmare esse eius auctoris, cui vulgo tribuuntur. Ita si quis scire velit, quæ sint germana opera Hippocratis, Galenum cæterosq. interpretes potius consulet, quam scriptorem historiarum.

Sed omissa eiusmodi controuersia de veris libris Aristotelis, annotemus aliqua ex eodem Ammonio, quæ faciunt ad cognoscenda opera eiusdem philosophi.

Fatetur ipse Aristotelem scripsisse quædam ad Alexandrum de Regis officio, & de deducendis Colonijs. hinc deducere aliquis conatur nequaquam scriptum fuisse librum de Mundo ab eodem Aristotele ad Alexan. quia eius meminisset Ammonius. Sed non necesse fuit, tunc eum memorare, quia liber de Mundo est liber vniuersalis, & Syntagmaticus, de Syntagmaticis autem postea agit. Aut si non placet hæc responsio, dicere fas est non voluisse enumerare omnia, quæ ad Alexandrum exarata sunt ab Aristotele. interim confutatur Dan. Heinsius, qui ideò putat librum de Mundo non esse Aristotelis, quia Aristoteles non est solitus scribere præfationes, & dedicare suos libros. Atqui Ammonius testatur Aristotelem scripsisse ad Alexandrum de Regis officio, & de Colonijs deducendis. [illegible] bene etiam, vt mihi videtur, alius vir doctus ait consueuisse præfari Aristotelem, quia libri de physico auditu, de cælo, Metaphysica, Analitica non carent proœmio. aliud enim est

præfari ad aliquem, dum dedicatur liber; aliud ab effatis lo- te patentibus sternere sibi viam ad tractationem, quam quis suscepit. Aristotelis mos est exordiri opus suum à senten- tia vniuersali: quod proœmium (si proœmium dici debet) sic cohæret operi, vt diuelli non possit, si mutilum nolis esse. At præfatio, qua quis principem aliquem inuitat ad legen- dum, & defendendum librum potest abesse absq. eo, quod opus ipsum mancum mutilumq. euadat. Ergò verum est Ari- stotelem ferè consueuisse abstinere à talibus proœmijs, hoc est dedicationibus. non tamen est verum abstinuisse semper. nam si secundum Ammonium de Regis officio scripsit ad Alexan- drum, verisimile admodum est epistola quadam eum allocu- tum fuisse.

Syntagmatica opera Aristotelis fuerunt opera accurato ordine, & exacta locutione composita. quædam fuerunt ex Syntagmaticis Acroamatica, alia Dialogica, siue exoteri- ca, aut dicta ab alijs extranea, & extraria. vix tamen pu- tdr. in omnia exoterica fuisse dialogi in morem composita sed de dialogicis sic loquitur Ammonius: in collocutorijs, velut ad communem ac multorum vtilitatem scriptis, ea quibus assentitur, pronunciatq. non per demon- stratiua, sed simpliciora argumenta, quæq. percipi à pluribus valeant.

Difficultate non caret, quod ait Ammonius Aristote- lem in exotericis pronunciare ea, quibus assentitur. nec enim verisimile est eadem effata reperiri in Acroamaticis, & exotericis, & tantum differre argumentationibus non con- clusionibus. Cur enim suas peculiares sententias commu- nicasset omnibus? videbantur reseruandæ tanquam pecu-

liaret libris Acroamaticis, tradendaq; legitimis auditoribus.

Respondendum assensisse aliquatenus Aristotelem illis conclusionibus, quas exponebat in exotericis, at non assensisse ex tota animi sententia, sed tantisper dum deliberaret, & aliquid certi statueret, quod committeret operibus Acroamaticis. videtur enim Aristoteles admodum cautè se gessisse, & cum iunior esset exoterica emisisse ad praebendum suae diligentiae specimen, reseruasse tamen non firmas suas opiniones commodiori tempore edendas.

Inspice librum de Mundo, quem ego puto esse exotericum, reperies sententias, quibus tunc asserebatur, quia meliores non suppetebant, adultior factus, & doctior in libris de caelo, & in Theologia non quidem palam reiecit tradita à se in libro de mundo, sed paulo aliter dogmata de tantis rebus explanauit.

In dialogo quem inscripsit Eudemum, animae immortalitatem exotericè proposuit, in acroamatico postea opere de eadem materia sublimiori visus est sibi loqui ratione, intellectumq; agentem sic immortalem adstruere, vt hodieq; interpretes super eius natura digladientur.

Perpenduntur verba Boetij de animarum incorporalitate, & earundem lapsu in corpora. Quid Platonici dixerint de descensu animarum in corpora. explanatur quorundam Veterum Theologorum opinio de præexistẽtia animarum. Cap. CXCVIII.

N*Escio an à repugnantiæ possit incommodo liberari Boetius, dum proœmio ad Porphyrium nunc docet Theologiam, quam Aristoteles Metaphysicam appellat,* considerare animi incorporalitatem: *mox tradit partem aliam philosophiæ theoreticæ agere* de conditione animarum, quæ corporum tactu ad intelligibilia degenerârunt. *iam enim videtur animæ puram incorporalitatem tribuere, iam eam facere talem, quæ possit et fici, pollui, fædari corporum tactu, quamuis non statim quod incorporale vocatur sit purus actus, vt Deus, cuius operatio substantia est, mutationis omnis expers.*

Idem repugnantiæ incommodum premere, & vrgere videtur eos Peripateticos, qui aiunt tractationem de anima, & Naturalis esse, & Transnaturalis siue Metaphysici philosophi. Naturalis sanè agit de caducis, de ijs, quæ veniunt in compositionem, quæq; separari nequeunt. At Metaphysicus exponit ea, quæ immaterialia sunt, qualis est primus motor, & intelligentiæ. Hinc Aristoteles non videtur putasse animam esse subiectum Metaphysicæ, quandoquidem in XII. Metaphys. de ea nihil exposuit.

Respondendum nihilominus est Boetium in verbis prolatis docuisse incorporalem quidem esse animam, sed non purè immaterialem, neq. purum actum, ut est Deus quod iam diximus superius; sed sic esse incorporalem, ut possit coalescere cum corpore, possit discere, beata esse, & non beata, bene operari & secus. Hinc Simplicius in proœmio de anima dixit animam quatenus intelligens est, se primæ philosophiæ cognoscendam præbere, neq. naturalem purè, atq. syncere esse contemplationem de anima: neq. simpliciter adscribendam ijs, quæ post naturalia dicuntur: sed his ambabus scientijs connexam. *deinceps docet illud intelligens animæ* non huiusmodi esse: cuiusmodi quæ supra naturam, & quæ purè impartibilia, quæ penitus firma atq. stabilia, & quæ exacta atq. syncera. *Ergo substantia animæ* media inter naturalia, atq. ea quæ naturam superant, dici potest: & quia aliquid quidem habet, quod cum ijs quæ naturam superant, ei commune sit; aliquidq. quod ad ea quæ natura sunt vergat.

Quæ satis superq. ostendunt (ut obiter hæc colligam) non bene sentire eos qui contendũt editis integris libris Deum iuxta Peripatum, & intelligentias esse naturam. nam Simplicius hoc soli animæ tribuit, ut sit partim naturalis, partim transnaturalis. hinc Boetius tertiam speciem theoreticæ philosophiæ ait dici physiologiam, & versari circa corpora & eorum passiones; secundam verò intelligibilium substantiam in medio collocatam esse quod habeat, & corporum animationem, & quodammodo viuificationem, & intellectibilium considera-

ratio-

rationem, cognitionemque.

Viderint verò etiam illi Peripatetici, qui aiunt de anima agere Metaphysicum syncerum, & purum. Certe Aristoteles siluit de anima in XII. Metaphysic. & siquidem anima Metaphysicæ tractationis est non debuisset eam omittere, cum præsertim sint inter recentiores, qui dicant à Deo ab æterno secundum Peripatum emanasse infinitum numerum animarum, quarum vnaquæq. tantum semel iungitur in tempore corpori, nunquamq. amplius ad id reuertatur, quæ opinio prorsus reijcienda est non solum à schola Christiana, verum etiam Peripatetica.

Quandoquidem autem inquit Boetius animas incorporalitate præditas dilabi ad corpora, audiamus Macrobium eade re loquentem lib. I. comment in Somn. Scip. cap XI. Platonici nonnulli docent inter lunam terrasq. locum mortis & inferorum vocari: ipsamq. lunam vitæ esse mortisq. confinium, & animas inde in terras ruentes mori, inde ad supera meantes in vitam reuerti. ab Luna enim deorsum natura incipit caducorum ab hoc anim æ sub numerum dierum cadere, & sub tempus incipiunt deniq. illam ætheream terram physici vocauerunt: quod ita esse plurimis argumentis docuerunt. *deinde subijcit dubitandum non esse quin luna sit mortalium corporum auctor, & conditrix adeo, vt nulla non corpora sub luminis eius accessu patiantur augmenta, & hac decrescente minuantur.*

Vides quam remotus fuerit Macrobius ab opinione Aristotelis, qui lunam omnino à caducis eximit, eiq. quintam substantiam prorsus à terra diuersam tribuit. cum Macrobio

crobio physici olim senserunt, caducisq. adscripserunt lunam, vt ipse testatur.

Sed videamus qua ratione putet Macrobius alios Platonicos secutus animam defluere ad hæc inferiora: Secundum *alios Platonicos, inquit,* quorum sectæ amicior est ratio animæ beatæ ab omni cuiuscumq. contagione corporis liberæ cœlum assident, quæ verò appetentiam corporis, & huius quam in terris vitam vocamus ab illa specula altissima, & perpetua luce despiciens desiderio latenti pondere ipso terrenæ cogitationis paulatim in inferiora delabitur. nec subito à perfecta incorporalitate luteum corpus induitur, sed sensim per tacita detrimenta, & longiorem simplicis, & absolutissimæ puritatis recessum, in quædam siderei corporis incrementa turgescit. *hinc pergit:* in singulis enim sphæris, quæ cœlo subiectæ sunt, ætherea obuolutione vestitur: vt per eas gradatim societati huius indumenti testei concilietur, & ideò totidem mortibus, quot sphæras transit, ad hanc peruenit, quæ in terris vita vocitatur.

Vides omnes Platonicos tribuisse incorporalitatem animæ, talem tamen, quæ posset se induere in corpus vt si consideremus felicitatem, qua fruuntur animæ in cœlo contentæ sua incorporalitate, præter naturam sit status, quem delabendo in hæc inferiora subeunt. si verò cogitemus incorporalitatem animarum talem esse, vt ipsæ nihilominus possint appetere statum corporeum, & vitam, quam hic degimus, non sit prorsus status iste contrarius naturæ ipsarum.

Sed

Sed dicet aliquis, num tu iis Platonicis figmentis reddere obnoxium Boetium sapientissimum Consulem Christianum philosophum? Talia ego et non adscribo, cum apud ipsum non legantur.

Regeres, fateor & ego Boetium non mandasse literarum monumentis Platonicas eiusmodi fictas cogitationes, videtur tamen sensisse animas antequam coniungantur corporibus esse in cælo, & incorporalitate gaudere, atq. adeo videtur agnoscere præexistentiam animarum, quæ tamen reiecta est in Origene: nec enim fas est in Christiana schola dicere animas ab initio esse creatas à Deo, & deinceps quotidie iungi corporibus.

Respondere est apud veteres Theologos Christianos fuisse obscurissimam disputationem de origine animarum quod testatur etiam ipse S. Gregorius Magnus. nonnulli visi sunt ponere præexistentiam, sed non assentiendo in omnibus Origeni, qui quidem Origenes secundum quorundam narrationem amplexus est transmigrationem Pythagoricam supponendo quoq. mundi æternitatem, quodq. careat initio, & cariturus sit fine. Eiusmodi dogmatum cumulus Pythagoraeus, & Platonicus Origenis magno consensu explosus fuit.

Nonnulli itaq. visi sunt sentire Deum cum conderet Angelos etiam condidiße tantum numerum animarum immortalium, qui sufficeret animandis corporibus eorum hominum qui nati sunt ex quo conditus est mundus, & deinceps nascentur vsq. ad finem eiusdem mundi. quæ quidem opinio non ponit transanimationem Pythagoream nec statuit infinitum numerum animarum, cum mūdus, & ceperit esse & tandem hic ordo rerum sit desiturus.

Si quis porrò quæsisset ex auctoribus talis opinionis, quis sit status animarum antequam iungantur corporibus, vbi degant beatæne sint an secus, forte respondissent obscuriorem esse rem, quam vt sub apertam lucem possit duci. quæ quidem opinio sic exposita non prorsus hodieq. vt repugnans fidei Catholicæ posset respui, & damnari.

Lubenter tamen nunc communiori, & receptissimæ sententiæ Catholicarum scholarum acquiescimus, sentimusq. quod etiam visum olim S. Hieronymo, animas quotidie à Deo creari, & corporibus iungi, talemq. sententiam hodie quoq. amplecteretur sapientissimus vir Boetius, cuius nihilominus verba suo loco sic exposuimus, vt nequaquam sit necesse dicere eum posuisse animarum ante corpora præexistentiam.

Adstruitur innocentia Senecæ verbis Boetij. obiter aliquid profertur de morte Papiniani. Cap. CXCIX.

SEnecæ innocentiam si quis non satis esse defensam putat, & argutatur, cedat Boetij summi viri iudicio. Is de Consol. philosophiæ lib. III. prosa V. sic loquitur. Nero Senecam familiarem præceptoremq. suum ad eligendæ mortis coëgit arbitrium. Papinianum diu inter aulicos potentem militum gladijs Antoninus obiecit. Atqui vterq. potentiæ suæ renunciare voluerunt, quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seq. in otium conferre conatus est. *quæ verba lubenti animo à me prolata sunt non solum Senecæ gratia, sed & memoriæ*

Papiniani splendidissimi iurisconsulti causa: dum enim confertur Senecæ extrema calamitas, quæ immeritò ipsum afflixit, cum morte Papiniani, eò magis innocentia eius defenditur, Tyrannicusq. Neronis furor iugulatur, & nigro excipitur calculo.

Quod philosophiæ finis sit, Deum imitari. quatenus homo dicatur imitando Deum deus fieri secundum Boetium. explicantur verba S. Dionysij Areopagitæ. Cap. CC.

AN qui beatitudinem consequuntur æternam, Dij fiunt? videtur id affirmare Boetius de Consol. philos. lib IV. prosa III. Cum ipsum bonum beatitudo sit bonos omnes eo ipso quod boni sunt fieri beatos conuenit. Est igitur præmium bonorum, Deos fieri. *cui concinere videtur quod legitur psal. XLIX.* Deus Deorum Dominus locutus est. *qui enim excellunt virtute, & pietate, & Deo quantum fieri potest similes sunt, Dij sunt, & vocantur in S. Litteris. hinc ait S. Dionysius cap. XII de diu. nomin.* θεοὺς καλεῖ τὰ λόγια τὰς ἐν ἑκάστῳ ἀρχικωτέρας διακοσμήσεις: Deos S. Litteræ appellant præcipuos ordines in vnoquoq.

Ergò Dij maximè appellantur illi, qui beati iam magis participes sunt Diuinitatis, quam intuentur sicuti est. vt nomen Deorum tribuatur hominibus aut virtute insigni præditis, aut iam beatitudinem adeptis per similitudinem quandam. nam similes euadunt Deo, quantum homini licet,

per

per philosophiam veram, per sapientiam, per virtutem cuius fructum tandem percipiunt in cælo liberi ab omni rerum corporearum, & humanarum labe. fit scilicet particeps diuinæ naturæ, quisquis ad diuinæ naturæ accedit puritatem defæcatam per participationem, vt in re tam ardua nostrorum vtar Theologorum verbis. Hinc S. Iohannes c. xii: quotquot eum acceperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate sed ex Deo nati sunt. *Filius Dei Deus est. sed qui Deum imitantur, sapientiæ inhærent, virtuti incumbunt, humana despiciunt, diuinis delectantur, filij Dei euadunt, igitur & Dij, quod cum grano salis est accipiendum. Vnicus enim est Dei Filius propriè sic dictus, & Naturalis. Cæteri qui dicuntur Filij Dei, & Dij metaphoricè sic appellantur propter similitudinem aliquam quam habent cum Deo, de qua quidem similitudine sunt verba S. Iohannis in Epist.* Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Ad tantum mysterium licet Gentiles, qui cæci erant, non possent consurgere, non dubitarunt tamen dicere finem philosophiæ, & veræ Virtutis esse similitudinem cum Deo adipisci, similem Deo euadere, quantum quidem licet homini. audiamus Ammonium ad introductionem Porphyrij: Philosophia (*vt tradidit Plato*) homini cum Deo similitudo est quantum homo assequi potest. philosophus dat operam, vt Deo quam simillimus euadat. illud autem, quantum homo consequi potest, rectè ad definitionem adiungitur, quorum enim cumq. vis atq. natura diuersa est eorundem quoq. perfectiones diuersæ sunt.

Obiter autem ex hac similitudine quam cum Deo sapiens habere dicitur videtur confutari posse Aristoteles, qui Dijs solam contemplationem tribuit, & hominis felicitatem in sola contemplatione collocat. At Ammonius ait duplicem esse Dei actionem, notionem scilicet qua cuncta cognoscit, & inferiorum providentiam, qua cuncta gubernat. philosophus operam dat, vt Deo quam simillimus euadat, vult omnia speculari, quod omnia consideret, & prouidere, quod inferiora gubernet, siquidem & iudicat, & leges præscribit, ita fit, vt philosophia sit hominis cum Deo similitudo.

Concinit Ammonio Marcus Imperator in Cæsaribus apud Iulianum, quod scilicet finis hominis sit Deum imitari, atque adeo Deo euadere similem. καὶ ὁ ἑρμῆς βλέψας πρὸς τὸν Μάρκον, ἔιπεν τί κάλλιστον ἐδόκει τοῦ βίου τέλος ἔιναι. τὸ μιμεῖσθαι, ἔφη, τοὺς θεούς. respiciens Mercurius Marcum, quis, inquit, tibi visus est esse vitæ præstantissimus finis? Deos imitari. *quod responsum mirifice approbatum est à Mercurio licet autem Silenus cauillari voluerit, visus est tamen optimè dixisse Marcus, cum præsertim subiunxerit se existimasse hominem mente animoq. imitari Deum debere, non comedendo, & bibendo, & quandoquidem homo quod mortalis sit multis indiget, recte censuit imitationem in eo positam esse, vt quisquã paucissimis indigeat (* ἐλαχίστων δεῖσθαι *) & quamplurimis benefaciat (* εὖ ποιεῖν πλείστους*. hæc igitur prolata sunt ad illustrandam sententiam Boetij, qui ait eos, qui beati euadunt Deos fieri. Neque enim proprio strictoq. significatu sunt eius accipienda verba.*

Obijcies ex Epist. II. S. Dionys. Deum esse ἀμίμητον inimitabilem, vbi S. Maximus asserit Deum, nulla imitatione

tione (μιμήσει) attingi posse. sed facile est respondere. nam ipse Maximus docet nos accedere πρὸς μίμησιν Θεοῦ ad imitationem Dei. Ergò imitamur Deum. Pachimera quoq. interpretatio, docet nos non ritè deificari Θεοῦσθαι nisi Deum imitemur, & idcircò dixisse imitationem. qui autem accedit ad Deum eum imitando, intelligit se tali imitatione diuinitatem attingere non posse. Mox addit imitantes, & participantes, per gratiam Deos bonosq. appellari.

Boethium non disputasse de controuersia qua quæritur: An logice sit philosophiæ instrumentum è aliquid in eam rem depromitur ex Ammonio. Cap. CCL.

Dialogo primo in Porphyrium dixit Boëthius se alibi acturum de controuersia, qua quæritur: An logica sit pars, an verò instrumentum philosophiæ, & vtriusq. partis in medium prolaturum rationes. Cum verò id non præstiterit, age consulamus doctissimum Ammonium Hermiæ filium in præfatione ad prædicamenta, quam disputationem transcripsit ex ipso Philoponus commentario in libros Analyticorum, sic quidem vt qui legerit Ammonium non indigeat Philopono, qui etiam cum scriberet in Meteorologicos libros Ammonij dictis se locupletauit. Ergò Stoici putarunt Logicam esse partem philosophiæ, Peripatetici instrumentum, Platonici visi sunt vtrunq. affirmare, sed diuersa ratione. videtur enim Plato considerasse logicen tam vt simotam à

rebus, tantum rebus ipsis coniunctam. cum rebus coniuncta, videtur esse pars philosophiæ. semota tantum instrumentum. in Phædro sanè visus est philosophus eam partem vocare, secus autem in Parmenide, vbi docet iuuenes debere præexerceri garrulitate vt postea verum à falso discernere queant. Ammonius putat nomine garrulitatis intelligere Logicam. Res certè id ipsum ostendere videtur. nam iuuenes vt primum attingunt logicæ præcepta audacter argumentantur, & mirè se iactant inter æquales, vexantq. alios interrogando, & noua subinde architectando argumenta. longe aliter se gerunt qui iam res ipsas hoc est philosophiam tractant adminiculo logices: iactantiam deponunt, parcius loquuntur, modestiam induunt, nec amant eos, quibuscum loquuntur garriendo obruere. sed quicquid sit de sententia Platonis, hodie Peripateticorum sententia ferè obtinet, hinc fit vt pleriq. dicant logicam esse instrumentum dirigens intellectum in cognitione veri. logica namq. non videtur expeti propter se, sed propter aliud. ergo instrumentum est non pars philosophiæ. Philosophia complectitur logicam, non logica philosophiam. Ergò non est pars, sed instrumentum. Nasus certè non continetur in manu, nec manus in pede. plura argumenta iam prodire non iubeo. non tamen se acserunt Stoici nam nulla ars instrumentum suum molitur. sed philosophia architectatur logicen. Peripatetici contra dicunt artes aliquas sua construere instrumenta. Nonne enim excusoria construit incudem? sic quidem respondent Peripatetici. sed de tota controuersia commodius alibi agetur.

Reijcitur Fr. Patritius, qui librum de interpretatione, expositum à Boethio & alijs, negat esse Aristotelis quatenus Aristoteles intellectionem appellauerit passionem. Cap. CCII.

REdarguenda hic est insania Fr. Patritij, qui librum Aristotelis de interpretatione reijcit ut spurium. utemur autem auctoritate Boethi, & aliorum, vt intelligant lectores, quam parum fidei eidem Patritio sit habendũ, quando reliquos quoq. libros Aristotelis conatur subuertere.

Igitur quod liber de interpretatione sit verus germanusq. partus Aristotelis primum ostendit auctoritas Laërtij, quem Patritius quando de libris Aristotelicis agitur maximi faciendum putat. sic enim de ipso loquitur lib. III. tom. I. discus. Peripat. Satis clarè constat libros Aristotelicos indubios, & extra omnem controuersiam positos apud Antiquos, eos fuisse qui à Diogene sunt enumerati. *At fatetur ipse librum de Interpretatione numeratum fuisse. Cur ergò postea pag. XXIV pra ipuè lib. IV. tom. I. p XLV. librum eundem de interpretatione omni conatu Aristoteli detrahere satagit? quid fit ies homini sibi ipsi non constanti, & nunc hoc, mox illud pronunciantis?*

Post Laertium prodeat testimonium Ammonij in præfat. comment. in eundem librum. An verò, *inquit*, sit legitimum opus philosophi, nemo in Aristotelis lectione versatus, situm orationis probabilitatem, artificio-

ciolumq. & seuerum, ac familiare philosopho præceptorum genus quæ in eo traduntur, tum cum alijs libri eius consensum respiciat, dubitandum existimabit. *hæc ille, in quibus præter auctoritatem reperire est pondera rationum, quæ auctoritatem fulciunt, & labi non sinunt.*

Aspasius, & Alexander in hunc librum tanquam germanum commentarios ediderunt, teste Boethio in maioribus commentarijs suis. non eiusmodi suscepissent laborem, si putassent ab Aristotelis non manasse officina de Interpretatione librum.

Alexander aliquot rationibus adstruxit libri auctoritatem, nam dicit ea quæ hic traduntur concinere reliquæ doctrinæ, non est absimilis stilus, qui breuis obscuritatem præfert. addit Theophrastum in librum de affirmatione, & negatione ijsdem aliquibus verbis uti, quibus vsus est Aristoteles in hoc libro, & perstrinxisse nonnulla, breuiterq. transmisisse, quod nollet repetere quæ à præceptore erant enarrata. Cum enim Theophrastus de ijsdem ferè egerit de quibus Aristoteles, non inhæsit prolixè ijs, quæ iam à Magistro erant expedita, sed addebat ex proprio ingenio, vbi animaduertit tacuisse Aristotelem. sic quidem ratiocinatur Alexander.

Porphyrius quoq. amplexus est librum vt verum partum Aristotelis acuminis, cum commentario opus eiusmodi non dubitauerit illustrare. sic enim Boethius lib. I maiorum Comment. expositionem (*libri de Interpret.*) nos quam maximè à Porphyrio latina oratione digessimus. hic enim nobis expositor, & intellectus acumine

mine

mine, & sententiarum dispositione videtur excellere. *hac Boethus.*

Sed facessit magnum negotium auctoritas Andronici Rhodij; qui putauit librum de interpretatione non esse Aristotelis sic etenim Boetius: Andronicus librum hunc Aristotelis esse non putat, quem Alexander vere fortiterq. redarguit. quem cum exactum diligentemq. Aristotelis librorum, & iudicem & repertorem iudicârit antiquitas, cur in huius libri iudicio sit falsus prorsus est admiratione dignissimum. *hac Boetius.*

Ratio qua impulsus est ad reijciendum librum Andronicus ea est, quia in principio libri de interpretatione intellectus animæ παθήματα passiones *appellantur, quod nequaquam est consentaneum doctrinæ Aristotelicæ in libris de anima, in quibus passiones animæ appellauit tristitiam, vel gaudium, vel cupiditatem, non autem intellectiones. Necesse est igitur alterutrum librum non esse Aristotelis. Andronicus autem suscipit libros de anima, & librum de interpretatione detrahit, negatq. esse Aristotelis.*

Respondet Boethus Aristotelem passiones animæ in hoc libro non pro affectionibus, sed intellectibus ponere, *quod ideò fecit, quod intellectiones quas sermone dicere, & oratione proferre consueuimus, ex aliqua causa atq. vtilitate profectæ sunt. vt enim dispersi homines colligerentur, & legibus vellent esse subiecti, ciuitatesq. condere vtilitas quædam fuit, & causa. quocirca quæ ex aliqua vtilitate veniunt, ex passione quoq. venire necesse est. nam vt diuina sine vlla sunt passione, ita nulla illis adiungi extrinsecus valet vtilitas. quæ verò sunt passibilia semper per aliquam causam*

atq. utilitatem, quibus sustententur inueniunt. Idcò huiusmodi intellectus, qui ad alterum oratione proferendi sunt, qui tamen ex aliqua causa atq. utilitate uidentur esse collecti, rectè passiones animæ appellati sunt. sic quidem differit Boethius.

At Ammonius alia ratione Andronico occurrit, nodumq. satagit dissoluere: Ait namq. reperiri locos in commentario de anima, in quibus imaginationem intellectus passiuus nomine appellet philosophus, quod obseruatum quoq. est à Simplicio in commentario de anima. sed cur intellectus appellatur imaginatiuum? respondet Ammonius, quia uelut intra seipsam rem quæ cognoscenda est, obtinet eaq. differt à sensu, qui quæ foris sunt posita cognoscit, illorum, ut circa ipsa agat, prorsus egens præsentia, quorum simulacra & formas imitata per sensus imaginatio, ipsa in se habitaq. absq. externarum rerum ope potest incumbere. hinc fit ut sensibus feriantibus imaginatio in somno non otietur.

Cur uerò dicta est imaginatio intellectus passibilis? quia cum partitione quadam ac separatione cognoscit, perinde quasi essentiam actionemq. à corpore separabilem nequaquam obtineat, ac principium quod iam sit sensuum. Aristo. itaq. ergò docet absq. intellectu passibili nihil à nobis intelligi hinc de phantasmatibus, sine quibus intellectio non consistit agit. Ergò conceptus mentis affectus animi appellat. quia omnes animæ functiones affectuum nomine insignit. uerba Aristotelis in primo de anima sunt tex. XII. ἀπορίαν δὲ ἔχει καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς πότερόν ἐστι τι πάντα κοινὰ καὶ τοῦ ἔχοντος. ἢ ἐστί τι καὶ τῆς ψυχῆς ἴδιον αὐτῆς. dubitationem autem habent, & passiones animæ, utrum sint omnes

com-

communes, & habentis, an sit aliqua & ipsius animæ propria. videtur autem plurimarum nullum sine corpore πάσχειν pati, neq. agere: vt irasci, confidere, desiderare, omninò sentire. Maximè autem assimilatur proprio τὸ νοεῖν intelligere. si autem est & hoc imaginatio quædam φαντασία aut non sine imaginatione, non continget vtiq. hoc sine corpore esse. *Mox XIII. tex.* ἔργα, *&* παθήματα ψυχῆς operationes, *&* passiones animæ *pro iysdem accipit, ita vt quamcunq. animæ operationem etiam ipsum intelligere fas sit secundum Aristotelem πάθος, aut πάθημα vocare. Non ergò aliter est locutus in libro de Interpretatione, & in libris de anima, sed vtrobiq. intellectiones vocauit παθήματα quia non peraguntur absq. imaginatione, quæ quidem imaginatio passio quadam est, & in tertio de anima παθητικὸς νοῦς dicta est intellectus scilicet passibilis.*

Vbi etiam reperiuntur hæc verba tex. XII τὸ νοεῖν πάσχειν τί ἐστι dubitabit autem vtiq. aliquis si intellectus simplex est, & impassibilis, & nulli quicquam habet commune, quomodo intelligit, si intelligere pati quoddam est? *hinc Ammonius subiungit in præfat. ad librum de interpret.* ex quibus ipse deprehendit animæ quoq. rationalis nostræ intellectionem neq. si vel absq. imaginatione fieret, tamen quia ipsam affectum nominet deuitare eo quod in ipsa vis deducens, actionis cuiusq. tempore antecedit. quod perinde est ac si perfecto imperfectum perire dixeris, quo scilicet ab eius intellectus actione differat, qui se absolutus vocatur comitemq. actionem habet substantiæ. Enimuero in-

intellectum hunc nostrum velut impatibilem impermistumq. dicit, atq. ab omni corpore separabilem quibus ipsum rebus ab eo discernit, qui passiuus propriè vocatur: qui ab imaginatione neutiquam differt. *hæc Ammonius.*

Quibus tamen meliora censentur ea, quæ traduntur à viris, & doctis, & pijs, dum dicunt possibilem intellectum in hoc statu uti quidem imaginatione, differre tamen ab imaginatione, quandoquidem dissoluto composito interit imaginatio: intellectus autem possibilis superest, & imaginatione, vt separatus intelligat, nequaquam indiget.

An vocabula sint à natura, an ab hominum instituto, perpenduntur rationes Boetij, & quæ Plato tradit in Cratylo. Cap. CCIII.

ARistoteles *de Interpret. cap. secundo definit nomen quod sit σημαντικὸν κατὰ συνθήκην* significet ex instituto. *vbi Boetius aliquot argumentis ostendere conatur nomina non esse à natura, sed ab instituto, positioneq. hominum.* nam si natura essent nomina eadem apud omnes gentes essent, vt sensus. *ex quo colligit ad ponentium placitum, voluntatemq. rebus nomina fuisse imposita. Sæpe eorundem hominum sunt permutata vocabula. Petrus. Cephas. Abram, Abraham. Plato, Aristocles. Aristoteles, Tyrtamus Maleuentum, Beneuentum. si à natura essent nomina, nulla essent synonyma, nulla etiam homonyma: vt enim vna res est, vnum esset vocabulũ, neq. vnum vocabulum plu-*

pluribus rebus significandis inseruiret. reprehenduntur qui infausta, & ominosa nomina assumunt, commendanturq; qui pulchris nominibus insigniuntur, & faustis. Curij nomen displicet, Victoris placet. Auersamur eos, qui sibi à malo nomina assumpserunt: gaudemus ijs, qui à Bono appellantur. Ergò à lubitu voluntateq. hominum sunt vocabula. hæc licet sic proferantur, & Plato dixerit in Cratylo: sapientis esse scire nomina imponere, non d sunt tamen rationes, quæ eo nos compellant, vt asseramus à natura esse vocabula. nam quod peræque viget apud homines id à natura est. At omnes prorsus homines loquuntur: sermo igitur à natura est, non ab instituto. Socrates apud Platonem in Cratylo decertat aduersus Hermogenem asserentem positione esse nomina, affirmatq. à natura esse. licet proferre multa vocabula naturali significantia ratione. gannire, baubari, rugire, mugire, coaxare, bombus, stlopus, & eiusmodi valde multa nonne partus sunt, & opificium naturæ? plurimorum nominũ licet reddere rationes ostẽdereq. cur sic significent. sol dictus, quod sit solus. nonne natura docuit Solem sic vocandum? sol dicitur masculeo genere, luna fœmineo, id certè naturæ ipsi est consentaneum. innumeræ Etymologiæ clamare videntur praeeunte natura conficta fuisse nomina. nec pugnare inter se hæc videntur: esse à natura, & esse ab hominum facto. Nonne enim leges naturæ fœtus sunt? ius profectò non tantum nititur opinione, sed ipsam sectatur imitaturq. naturam. quod vestibus tegimus corpus, quod construimus ædificia, quod cibum potumq. assumimus, natura impellente id facimus: sic disserere possumus de sermone, deq; vocabulis. est scilicet natura hominum ratio: at rationi inest varietas

lea quod tegimus corpus, hoc naturæ soboles est, quod hoc pa-ctius modo, quam illo hoc proficiscitur ab hominũ voluntate. sic Danees dixit à natura esse sermonem, sed quod hunc habeat modum aut illum à lubitu pendere humano. nam si vocabula essent ex mero hominum instituto, posset natio aliqua sermonem à se prorsus remouere. præfertur autem vna lingua alteri, quia magis ad naturam accedere videtur: & sapientis est scire nomina excogitare. Nonne enim nos quotidie hunc atq; illum aliquo cognomento insignimus, ita vt magnopere ab audientibus approbetur? hoc ideò fit, quia videmur venari vestigia naturæ, & rem vt meretur, signare. habet igitur natura in impositione vocabulorum suas partes. legendus verò est, atq; iterum legendus Cratylus Platonis, qui dialogus grauissimarum cogitationum plenissimus est, nec meretur reijci assumpto Aristotelis exiguo pronunciato affirmantis nomen esse σημαντικὸν κατὰ συνθήκην: significare ex instituto. cognoscenda etiam sunt, quæ doctissimus Ammonius ad locum Aristotelis recenset, vbi inter alia ait: quidam ea quæ nominantur naturæ conuenientia esse dicunt. *hinc subijcit fieri, vt sæpe à nominibus pedem referentes, resoluentesq. conemur earum rerum, quæ ab illis nominantur naturas aucupari, quibus cognitis, imposita rebus nomina tentemus consona ijs demonstrari. animaduertit autem Socratem in Cratylo velut arbitrum in amicitiã sategisse dissidentes vocare Hermogenem atq. Heraclitum. sic ipse putat non dissidere à Platone Aristotelem quando dicit esse secundum positionem nomina. nam archi-tectatus est aliquot vocabula concinentia naturæ, vt ἐντελέχειαν, terminum, figuram, atq. alia, de quibus si*

inter-

interroges, respondebis cur naturam imitando talibus vsus fuerit nominibus.

Proponitur effatum Aristotelis asserentis, de futuris contingentibus non esse definitam veritatem, perpenditurq. Boetij expositio. Cap. CCIV.

Magni ponderis sunt ea quæ profert Aristoteles de interpret. cap. IX. de futuris contingentibus, in quibus contendit neutram propositionem esse definitè veram, vel falsam, sed omnia manere in suspenso, donec euentus ipse ostendat hanc potius esse veram, quam illam. nam si definitè verum alterutrum esset, id necessariò eueniret. vndè sua sponte consequeretur, vt penes nostrum arbitrium nihil esset, & è medio omne consilium, quod respicit quæ in nostra sunt posita potestate, tolleretur, atq. adeò prudentiæ, diligentiæq. nullus foret locus. Ergò ne rei inuoluamur tam absurdæ necesse est pronunciare de enunciationibus singularibus in futurum collatis, & contingentibus sua natura, nihil veri esse definitum, nihil in vtramq. partem habere terminum, à quo nequeat remoueri.

Id si verum est, quo abit diuinatio, quo Dei scientia, quæ nouit absq. eo quod falli possit, quod futurum est? quid fit vaticinijs, quorum veritas asserta est prope innumeris historicorum testimonijs? quid etiam pronunciandum est de Chaldæorum obseruationibus, quarum exempla adeò illustria exhibentur ab ijs, qui res gestas Regum atq. Imperatorum monumentis literarum tradiderunt? quod si assensionem

stonem praebeamus effato Aristotelico casus passim locum obtinebit, & euentus pleriq. omnes sic erunt fortuiti, vt vita humana nullo videatur constare praeditaq. esse ordine. quid vero casus est, nisi nihil, & non ens? sed ex rerum vniuersitate non ens eliminandum, exsufflandum.

Hinc mirari lubet Aristotelem cum sublata necessitate tribuisset locum contingentiae, & principio rerum futurarum quod penes homines virtute praeditos sit, non fecerit mentionem diuinae praenotionis, vaticiniorum, & diuinationis. certe munus sibi ipsi videbatur imposuisse conciliandi haec inter sese, vt ostenderet diuinationem, & Dei praescientiam nequaquam cum humani arbitrij libertate pugnare. interim tantum posuit ἀρχὴν τῶν ἐσομένων, τὸ βουλεύεσθαι καὶ τὸ πρᾶξαι, omisitq. illud, quod videbatur posse ponere in ijs quae futura sunt definitam veritatem si namq. omnia in futurum collata indefinita manent, & non magis est verum vnum, quam aliud, quandoquidem, vt ipse ait, ὁμοίως οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὥσπερ καὶ πράγματα orationes similiter verae sunt, atq. res, an Deus prospicere potest, & scire quae nullam habent definitam veritatem? eatenus enim aliquid sciri potest, quatenus est, quodq. scitur definitum est.

Diuinationem intellige qualemcunq. futurorum cognitionem.

Boetius in comment. proposuit nodum, qui nectitur a diuinatione, sed videtur eum insolutum reliquisse. [illegible] tem, inquit, si omnia futura sciat Deus, omnia esse necesse est, ita quaeramus: si quis dicat dei scientiam de futuris euentibus subsequi necessitatem, is profecto conuersurus est, si omnia ex necessitate non contingunt, omnia Deum scire non posse. nam scientiam

Dei

Dei sequitur euentuum necessitas, si necessitas euentuum non sit, perimitur diuina scientia. *impium autem esse fatetur, vt de Deo dicere audeat, quod futura non norit, & addit Deum futura nosse, non vt ex necessitate euenientia, sed vt contingenter, ita vt aliud posse fieri non ignoret, quod tamen fiat ex ipsorum hominum, & aliorum ratione. sic docet scientiam Dei non pertinere rerum naturam, neq. imponere necessitatem ijs, quæ necessaria non sunt. nec est, quod quis regerat Deum posse decipi si quod præuidet, euenire tanquam contingens non potest, non enim quod contingens est, & non est necessarium se diuinæ subtrahit cognitioni. quod si ea, quæ hic profert Boetius non satis esse videntur, legenda sunt quæ tradit in opere dè Consolat. philosophiæ. in quinto namq. libro prosa III. premit varijs interrogationibus diuinam prouidentiam, vt ei annectat euentuum necessitatem pendentem ex infalibili Dei præscientia: nam tolluntur pœnæ, præmia, euertuntur leges, si certa necessitate quisq. ad agendum compellitur. Rem autem totam conatur expedire Prosa IV: ita tamen vt fateatur rem esse caligini inuolutam, quam nullus ex sapientibus hactenus expediuerit. O humani ingenij calamitatem. tam frequenter agitata quæstio inter sapientes non potuit vsq. ad seculum Boetij, & à Boetio expediri. assumit scientiam non immutare res, & inquit:* sicut scientia præsentium nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his, quæ ventura sunt, necessitatis importat. *admiratur deinceps diuinæ scientiæ fastigium ad quod pertingere non potest nostra cognitio, vt ast ignorur,* quonãmodo, quę certos exitus nõ habẽt, certa tamen

videat, ac definita prænotio, neq. id sit opinio sed summæ potius scientiæ nullis terminis inclusa simplicitas. *hæc ibi.*

In commentario autem in librum Aristotelis de interpretatione recensens Stoicorum opinionem, qui omnia fato euenire dicebant, addendo voluntatem nostram in nobis non esse. hinc igitur petebant diuinæ præsentiæ certitudinem, quam aiebant intueri nexum rerum fatali ordine inter se cohærentium. Cum autem Stoa libertatem arbitrij euertat, cum Astrologi omnia pendere asserant ex vi siderum, quare Aristoteles pro cõperto assumpsit penes nos esse hoc vel illud agere, cur non ostendit absurdum esse necessitati subijcere euentus rerum humanarum? dicendum est, Stoicos extitisse post Aristotelem contra quos propterea disputare non potuit. Chaldæos omnia nectentes sideribus indignos iudicauit, quibuscum iniretur disceptatio. Non apparet profecto apud Alexandrum fuisse vllum Chaldæum. quid quod & auguralem, & vaticinia visus est parui facere. assumpsit igitur nec probauit nos ex necessitate non esse bonos, aut malos, cum rem putaret adeò esse claram prorsusq. exploratam, vt probatione non indigeret. hinc Boetius ait: hæc in rebus ita constituta putat, vt non de his vlla opus sit demonstratione, sed impossibilis ratio iudicetur, quæcumq. vel possibile, vel casum, vel id quod in nobis est conatur euertere. *hæc ille.*

Ne quis autem putet Aristotelem omnia futura dixisse indefinita, deq. nullis futuris posse quicquam certi sciri, sic futurorum meminit, vt illa τὰ καθ' ἕκαστα hoc est singularia nominarit. hinc Alexander arbitratur eum sic di-

xisse

uisse de singularibus futuris tanquam si diceretur, in his futuris, quæ in generatione, & corruptione sunt. sunt enim quædam futura, quæ in generatione, & corruptione non sunt, vt quod de sole, & luna, & de cæteris cœlestibus pronunciatur.

Quod tamen non videtur sufficere. nonne enim possum dicere terram daturam fruges hoc anno, mare reciprocaturum suum motum, ventos flaturos, nascitura animalia, morituros homines? sed quæ de elementorum motu dicuntur, videntur debere comprehendi in illo censu τῶν καθ' ἕκαστα cum pendeant à motu cœli. dicit autem singularia, vt si sermo sit de morte huius vel illius hominis, non de morte hominum in genere, de prœlio hoc vel illo, non de bello, deq. cædibus in genere.

Nec absolute negandum est vllā necessitatem interuenire singularibus: nec enim omnia pendent ex nostro arbitrio, vt non incidere in morbum, non mori. quandoq. enim ingruit contagio, in qua quamuis omnia diligenter procures, periculum tamen adeas necesse est, nec tua potest præstare diligentia, vt certo euadas ipsam mortem. hinc ait Boetius: Homines & naturæ, vt sideribus, & propriæ voluntati subiecti sunt. Multa enim natura dominante facimus vel facimus, vel patimur, vt mortem vel huiusmodi habitudinem corporis. multa etiam secum rerum ipsarum necessitas trahit, vt ea quæ facere volumus, non tamen facere valeamus. Multa autem dat voluntatis liberum arbitrium quæ nobis volentibus fiunt, quæ non fierent nisi vellemus.

Adijcit nos quoq. à diuina pendere voluntate, hac pro-

Intellige de malis pœnæ, ñ malis culpæ.

uidentia sæpe filios ob parentes plectit. hinc licet maximè cupiant imperare feliciter, inuoluuntur tamen calamitatibus. Nonne etiam eorum, quos punire vult Deus, consilia corrumpit? Italorum proiect· peruulgatum est prouerbium ut dicant alicui à Deo ablatam esse mentem. Nec tamen qui ita peccant, excusantur. Cur ita? quia præterita delicta meruerunt, ut à Deo destituerentur. Sic quoq; illabitur animis hominum numinis motus, & actio, ut incolumi hominis libertate, contingatur meta, tangatur scopus, ad quem à Deo occulto iudicio dirigebatur homo. homunciones enim verò sumus res perpusilla, iocus & ludus prouidentiæ, pilæ in manibus Dei, qui nos pro lubitu huc illuc impellere consueuit, ut tamen nostro arbitrio, nostræq; voluntati vis non inferatur. sic igitur asserendum est arbitrium hominum, ut adstruatur prouidentia, & imperium Numinis, sic affirmemus, contingenter multa euenire in vita humana, ne tamen otiosum dicamus esse spectatorem Deum. ita asserimus eundem Deum scire futura, ut illis non imponat necessitatem, nec tamen eandem prorsus exulare ex orbe iubeat: admirabili enim ratione in permisto mundo permiscentur causæ, quam mistionem nosse & enarrare diuinitatis potius est, quam humanæ imbecillitatis, cui plurima caligo adhæret indiuidua comes.

Ap-

Appendix superioris contemplationis petita ex Ammonio Hermiæ filio.

A*Dhuc lubet inhærere superiori disceptationi, quandoquidem præsto est doctissimus Ammonius eidem accuratè de effato agens Aristotelico: qui statim obseruat eos, qui fatalem necessitatem inducunt, vt Stoici, & nostri temporis sectarij, qui præsertim sequuntur Caluinum moralem philosophiam funditus euertere.* In omni, *inquit,* philosophia quæ ad mores pertinet necesse est assumamus non esse fieriq. ex necessitate omnia: sed nostræ quoq. nonnulla esse liberæq voluntatis. *Idem ostendit doctissimus Simplicius ad Enchiridion Epicteti scribens.*

Quod verò ait Ammonius ea quæ sempiternis insunt ex necessitate fieri, *id nos in Christiana schola suscipere nequaquam possumus, neq. enim necessariò Deus mundum condidit, frustraq. alibi Ammonius contendit in Deo idem esse velle, posse, & facere. Credimus enim Deum omnia, quæcumq vult, posse, imo facere. Sed non asserimus Deum omnia velle quæ potest, nec facere omnia, quæ potest, quicquid Aristoteles in suo lyceo tradiderit, quem explicare, & tueri satagit in suis operibus Ammonius.*

Assumit quoq. Ammonius Deum nihil ignorare. verba eius sunt: verum fieri nequit, vt ex ijs quæ sunt quicquam ignorent, cum procreent omnia concinneq. dispo nant: atq. impermixtæ omninò mentes

ma-

materia sint: imò verò, & supra intellectualem ipsam proprietatem veræ suiipsorum essentię sedem statuerint. *duplex est ratio, quæ ostendit Deum scire omnia: prima est, quia est causa procreans omnia, & concinnè disponens. absurdum enim est dicere causam rationalem agentem ignorare ea, quæ agit, & circa quæ suam exercet curam. Nostro tempore Cæsar Cremoninus in libris de Cælo non dubitauit dicere non esse necesse, vt causa efficiens etiam rationalis norit suos effectus, exemplumq. profert de Duce exercitus qui non nouit, quid singuli agant milites. sed hoc arguit ipsius imbecillitatem, quæ quidem imbecillitas non cadit in Deum. si quis in exercitu aufugiat ad hostem, prodat q. consilia, si quis puluerem tormentarium incendat, tesseram, cui innituntur excubiæ, hostilibus copijs detegat, nonne id poterit totum exercitum in discrimen dare? absq. dubio. Dux tamen non potest talia semper vitare, quia non omnia scit. vides humanam imbecillitatem. At nemo potest diuinam fallere prouidentiam, quæ omnibus numeris absoluta est, quæq. omnia palam conspicit, & dirigit. sileat igitur Cremoninus, nec sic inhæreat Aristoteli, vt dicat Deum præter seipsum nihil nosse, nihil contemplari.*

At, inquiet Auerroista aliquis, aliquisq. sectator Cremonini, intellectus diuinus vilesceret, & ex suo fastigio aliquid amitteret, si omnia nosset. dicet forte etiam Lucretius ambulans in hortis Epicuri, excideret sua felicitate, & peremi beatitudine Numen, si quæ fiunt in orbe nosset, laboriosamq. eis impenderet curam.

Respondere licet cum Ammonio, impermistam esse diuinam mentem, & supra intellectualem ipsam proprie-

prietatem collocatam. *Nihil ergò ei decedere potest, dum nouit omnia. An enim sol inficitur, quia radijs suis illustrat sordida loca? nequaquam, cum sol supra omnes sordes sit positus, neq. fœdari ulla queat ratione. Cum etiam Deus prorsus sit immaterialis, purissimusq. actus nihil ei tribuitur à rebus cognitis: neq. enim quod summum gradum habet immaterialitatis, atq. adeò summè intelligens est aliquid accipit ab ijs quæ nouit. nec ulli labori est obnoxius, non defatigatur cognoscendo, & regendo, temperandoq. omnia. Nostrum est defatigari intelligendo, curando, quia anima, & mens corpori coniuncta est, neq. est purus actus. Valeant igitur quicumq. negant Deum omnia etiam futura nosse: nouit enim omnia etiam futura, quæcumq. demum illa sint. hinc subijcit Ammonius, postquam dixit Deum omnia nosse:* hæc confessa sunt in communibus nec peruersis animorum conceptibus atq in decimo de legibus planè demonstrata.

Pronunciat etiam Ammonius cum Timæo, & Parmenide nihil esse apud Deum neq. præteritum, neq. futurum, sed omnia sunt apud ipsum in uno instante collocata. hinc coniecturalem notitiam putat ab ipso esse remouendam. in quam rem etiam multa præclare à Boetio disputantur prolata æternitatis definitione. Repetit autem Ammonius argumentum petitum ex eo, quia Deus est causa efficiens: in summa si Deos prorsus necesse est auctores rerum omnium, vel causas esse adiunctas: quonam pacto consentaneum sit rationi aut opera ab ipsis ignorari sua, vel suorum operum effectus. vel quæ quoquomodo ab illis fiant: *neq. coniectura in ipsos cadit, dum curant*

rei

res humanas, quandoquidem non consilium ineunt: nam ideò nos homunciones consilium capimus quia quæ in futurum extenduntur nos latent, neq. omnia subsunt nostræ potentiæ. Ergò consilium, quod obnoxium est ambiguitati opitulatur nostræ inscitiæ, nostroq. defectui. hinc intelligimus consilium prorsus à Deo remouendum.

Sed vrgent nos, qui contingentia, & futura esse indefinita ob suam naturam dicunt, atq. adeò tanquam indefinita effugere cognitionem. Respondet Ammonius à Deo cognosci contingentia potiore modo, quam competat ipsorum contingentium naturæ. *quasi dicat etsi contingentia non habeant stabilem veritatem, stabili tamen ratione à Deo cognosci, qui Deus cognoscendo contingentia fluxam ipsorum naturam non perimit: quorum etiam dicitur causa, quæ tamen non euertat mutabilem eorundem naturam, neq. efficiat propriè si quid in ipsis est, quod rationi repugnat. Ergo posita diuina prænotione futurorum, ponitur infallibilitas non autem necessitas in agentibus liberis, qui si quid male agunt, & deflectunt à recto tramite non Deo, sed praua ipsorum voluntati culpa imputanda. plura qui nosse vult totam disputationem legat apud eundem Ammonium.*

Prædicamentorum librum, de quo in logica Boetius cum interpretibus agit, inepte à quibusdam recentioribus reijci ad Metaphysicam. Cap. CCV.

BOetij philosophiam Romanam dum sector cogit me recentiorum quorundam inepta sinisteritas, quæ ta-

men

num Peripatetici videri volunt, quærere: an prædicamenta in logicis sunt exponenda, an autem ad Metaphysicam releganda? & quidem Architam si vellemus sequi, qui Pythagoræus primus καθόλυς λόγυς siue de generibus Entis librũ composuit, oporteret de huiusmodi materia in transnaturali agere philosophia: quod si lubet prædicamenta, qualia tradita sunt ab Aristotele non relinquere, alia profectò erit ratio ineunda. Etenim quis nescit Organi Aristotelici esse partem Categorias in omnibus quidem editionibus, qui quidem consensus nequaquam reijciendus temere videtur. easdem Categorias ad Logicam non ad Metaphysicam retulerunt antiqui interpretes, quorum expositiones ad nos peruenerunt, Boetius, Simplicius, Porphyrius, Dexippus, Ammonius, qui omnes sic etiam Prædicamenta interpretantur, vt omnes intelligant eos voluisse teneras adhuc mentes Adolescentum præparare ad philosophiam, non vero voluisse desertores studiorum facere proponendo difficiles quæstiones ad nouissimam, & prorsus abstrusam philosophiæ partem facientes.

Quod si quædam lubet eorum, quæ tradunt tam dicti interpretes, delibare, magis ac magis intelligemus ipsis ne quidem per somnium venisse in mentem, vt prædicamenta iuberent esse partem Metaphysicæ.

Audiamus Porphyrium disertis verbis reijcientem eos, qui audent ordine legitimo spoliare prædicamenta. Ante topica hic liber absurdè inscriberetur. cur enim ante topica, & non potius ante resolutoria, & ante librum de interpretatione inscribi deberet? non enim ob

eopicorum de ćtrinam sunt prædiscenda prædicamenta, sed ob resolutoriorum etiam, & categoricarum propositionum cognitionem, & reliquas omnes ferè disciplinas quippe cum maximè elementalis, & introductorius ad omnes philosophiæ partes sit liber hic. *si elementalis, & introductorius est liber hic, nequaquam ad vltimam, & difficillimam partem philosophiæ cum quibusdam recentioribus, quos inter est Hurtadus, referendus venit.*

Metaphysica agit de rebus, non de vocibus, liber prædicamentorum agit de vocibus, non de rebus siquidem suscipimus Aristotelis prædicamenta, non autem transilimus ad Architam Pithagoraeum, cuius prædicamenta erant pars Metaphysica, non vero logicæ, qualem diu post Architam tradidit imbecillitati adolescentum peripati Princeps. audiamus Porphyrium reprehendentem eos, qui librum prædicamentorum de generibus Entis, aut de decem generibus inscribebant. Talis inscriptio, *inquit*, nullo modo facienda est, quia entia, & eorum genera, & species, & differentiæ res sunt non voces: Aristoteles verò vbi decem hæc enumerauit substantiam, qualitatem, quantitatem, & cætera, subiungit: vnumquodq. ex ante dictis ipsum per seipsum in nulla affirmatione dicitur, sed ex horum inter se connexione affirmatio efficitur. nam si horum connexio affirmationem facit affirmatio autem in voce significatiua, & oratione enuntiatiua essentiam suam habet, nequaquam de generibus entis esse tractatio hæc potest, neq. omnino de rebus, quatenus res sunt, sed potius de vocibus quatenus res sunt. non enim rerum ipsarum connexio affirma-

matio est, sed vocum quæ res significant. *confutandis ijs, qui prædicamenta ad res atq. Metaphysicam transferunt, nonne sufficere potest Porphyriana auctoritas?*

Auctoritatem Porphyrij libenter sequitur Dexippus Platonicus, Iamblichi discipulus. nam cap. I. inquit: propositum libri huius est de primis, & simplicibus vocibus, ijsq. quæ ab ipsis significantur. *cap. III. postquam aliquandiu aduersus Sosigenem disputauit, ait:* non igitur ipsæ res sunt prædicamenta sed dictiones, quæ notiones, & res significant.

Iam audiendus est Simplicius, qui diligenter disputauit de proposito libri. tandem inquit: perspicuum igitur est ex his dictis, quod intentio propria est logicæ tractationi, & facultati, de simplicibus, primisq. ac generalibus vocibus agere, quatenus significatiuæ rerum & hæc Alexandro, Hermino, Boetho, Porphyrio videntur, & Iamblichus decernit ac statuit, & Syrianus explicat atq. indicat, quibus præceptores nostri adsentiunt.

Sed obijcere est verba Simplicij, quæ ibidem leguntur: simul etiam docet res, & conceptiones quatenus significantur à vocibus. *Ergò in prædicamentis agitur etiam de rebus. si de rebus agitur, Metaphysica erit tractatio. respondeo, & dico in Metaphysica agi præcipuè de rebus in logica de vocibus, de rebus autem secundario, & leuiter, quatenus præparandi sunt animi adolescentum ad formandas propositiones, ad construendos syllogismos. quod non agatur præcipuè de rebus discere etiam est ex Ammonio, qui ait in prædicamentis agi de vocibus res concipientium* [illegible]

in significantibus non de solis conceptibus, aut solis vocibus, aut solis rebus . & reijcit eos, qui docent agi de rebus . subijcit prædicamentorum propositum eße disputare de simplicibus vocibus, quæ simplices res per medios simplices conceptus significant: repetit infra in prædicamentorum libro tractare de vocibus quæ simplices res conceptuum simplicium interuentu significant.

Boetius non abit à Porphyrio, atq alijs. nam ait in prædicamentis agi de vocibus res significantibus, in eo quod significantes sunt. *tractationem appellat introductionem, & simplicem expositionem, in qua ait velle se sequi Porphyrium Metaphysica nescit introductiones, & simplices expositiones. in Metaphysica, in quam, non manuducimur, vt rudes adolescentes, sed discimus difficillima quæ sunt, atq abstrusa.*

Nec negat absolutè agi de rebus in prædicamentis Boetius. eius verba sunt: hic liber inchoantibus addiscitur. de rebus quoq; est aliquatenus tractaturus. Res etenim, & rerũ significatio iuncta est, sed principalior erit illa disputatio quæ de sermonibus est: secundo verò loco illa quæ de rerum ratione formatur. *hæc Boetius.*

Sidonium Apollinarem sapientiæ mystam Romæ fuisse. ex eius Epistolis nonnulla ad philosophiam facientia annotantur. Cap CCVI.

ROmæ cum fuerit Sidonius Apollinaris, & nonnulla eius complectantur Epistolæ quæ faciunt ad philosophiam, quid tantum hominem vetat ad Romanam referre philosophiam? Valuit ipse extemporalitate, quam cogitationem

tionem habere cum philosophia suo loco ostendimus. Gregor. Turon. hist. Franc. lib. II. Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerumq ex improuiso, quæ voluisset nulla obsistente mora componeret. *coram Maioriano ex tempore distichon composuit, quod refert ipse lib. I. epist. XI.* retrorsum conuersus tanquam aquam manibus poscerem tantumq. remoratus, quantum stibadij circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidi. & Imperator: spoponderas te licentiam scriocendæ satyræ versibus subitis postulaturum. *tunc ipse recitauit extemporale distichon. scio Themistium recusasse ex tempore dicere, quod nete se non ei esset extemporalis vis facundia, qua de re oratiuncula eius extat, sed non propterea damnauit aliorum celeritatem, cum magna sit ingeniorum varietas, varieq. ab ipsis producantur studiorum fructus.*

Quod philosophatus fuerit Sidonius testatur etiam Epitaphium editum à Sauarone:

Hæc inter tamen & philosophando
Scripsit perpetuis habenda sæclis.

Coluit amicitiā cum Claudiano Mamerco insigni philosopho, cuius Epistolam ad se scriptam inseruit lib. IV. Ep. II, in qua Claudianus petit secum communicari libros à Sidonio compositos. vide verò quanti faciat Claudianum philosophiæ causa. ita namq. ad ipsum scribit: lectoris intentionem per euentilata philosophiæ membra lassatam repente foues. *ait eum de singulis artibus cum singulis artificibus philosophari. vide totam epistolam, quæ quæ in alijs diuiduntur, in Claudiano coniuncta extollit. scio Themistium, vt quis sit philosophus, poscere vt soli philosophiæ incumbat*

an-

audiantur eius verba orat. I. omnibus sit certissimum, atq. exploratum ad philosophum pertinere non esse in omnibus artibus, ac disciplinis versatum, illud addidit Plato fieri non posse, vt vnus rectè in multis artibus se exerceat. *vide plura quæ ibidem sequuntur. quæ sic sunt exponenda, vt sciamus non posse nos simul agere philosophum, militem, medicum, iurisconsultum. quanta interim fuerit latitudo scientiæ in antiquis sapientibus, nemo ignorat. Quid enim non est amplexus Democritus, Plato, Aristoteles, Chrysippus, Carneades atq. alij?*

Idem Sidonius lib IX. Ep. IX laudat Faustum Regiensem, qui opus de Gratia Dei ediderat. ostendit ipsum doctissimè philosophatum: Te qui lacessiuerit, sentiet Ecclesiæ Christi Platonis Academiam militare, teq. nobilius philosophari. quin potius experietur quisquis tecum conflixerit Stoicos, Cynicos, Peripateticos, Heresiarchas proprijs armis, proprijs queq. concuti machinamentis. Sectatores eorum si Christiano dogmati repugnauerint mox te magistro implagabuntur: *id est implicabuntur retibus, ac plagis.*

Lib. IX. Ep II appellat Hieronymum interpretem, Dialecticum Augustinum, Allegoricum Origenem. qui quidem Origenes nimius fuit in Allegorijs, & meruit ab ecclesia notari virgula, cum, vt alia omittam, dixerit tandem Dæmonas, & impios eripiendos ex inferis, & salute donandos,
de C. D. *quod testatur S. Augustinus dixisse Origenem contra Ecclesiæ dictata. quid quod mortuorum resurrectionem oppugnauit Origenes, quem prolixè confutat grauissimus vir S. Epiphanius. Euphronio tamen Episcopo, teste Sidonio, Origenes*

genes

genes cum Augustino, & Hieronymo grauidas spiritualium sensuum spicas doctrinæ salubris messe parturiebat. *Euphronius scilicet bona à malis legens Origenem separabat. nam & S. Cyprianus assiduus erat in lectione Tertulliani, quem Magistrum subinde vocabat.*

Lib. VIII. Epist. XII. deplorat interitum Lampridij eximij oratoris, quem tamen eo nomine grauissimè culpat, quod Mathematicos de vitæ suæ fine consuluit *Africanos scilicet,* qui constellatione percunctantis inspecta dixerunt. *addit* temerarium sciscitatorem futurorum à tempore, & qualitate prædictæ mortis *constrictum fuisse, obstructis anhelitu, obstructis gutture. non tacet prædictiones Mathematicorum* maximè *esse* fallas, ideòq. fallentes. *obseruat autem & Scipionem Numantinum strangulatum perijsse, quod refert Iulius Firmicus lib. I. cap. III. Scipio* intra priuatos parietes domesticorum insidijs acerbo mortis cruciatu, & nefarijs frangentium gulam manibus oppressus priuata quodammodo animaduersione confectus est. *quis non fremat, quando audit virum fortissimum, sapientissimum, de patria optimè meritum sic perijsse? caueant ergo, qui quando tragico exitu aliquem sublatum audiunt, mox sibi causas nescio quas architectantur, vt ostendant tanquam pœnam à numine inflictam. Nonne à Deo boni exercentur vario calamitatum genere, & morti quoq. licet innocui obijciuntur? & mali quandoq. tranquillum sortiuntur discessum? ne ergò quis philosophiam spernat, quod Scipio eius cultor sic sublatus fuerit.*

Theo-

Theodoricum fauisse studiosis sapientiæ, eosq. dignitatibus exornâsse. aliquid de Musica & concentu syderum profertur. Cap. CCVII.

SI meritò damnatur factum sæuum Theodorici, qui Boetium sustulit è medio, non debent taceri, quæ idem præstitit in gratiam doctrinarum, dum libenter legitur promouisse, quos videbat sapientiæ radijs esse corruscos. apud Cassiodorum lib. III. Var. XXXIV. Epist. Senatoria dignitate ornat Armentarium, & Superbum eius filium, vt in illa turba indoctorum (*sic puto legendum*) audeat turba liberam proferre sententiam: nec frænetur imperitiæ terrore quem hortantur ad vocem iura facundiæ. Gloriosa *enim* est scientia litterarum: quæ quod primum est in homine purgat mores: quod secundum verborum gratiam subministrat *lib. I. Epist. XII. sic scribit Rex ad Euphronium*. Te literati dogmatis studia laudabiliter exequentem ad quæsturæ culmen elegimus. *Discant Principes à Rege Theodorico quinam amplissimis sint cohonestandi dignitatibus. Metire etiam Regis erga sapientiam affectum, eiusq. studium rerum naturalium, ex eo, quia apud memoratum Cassiodorum lib. II. Ep. XXXIX. Architecto commendat Aponum fontem, & ait meritò dicere philosophos:* elementa mutuis complexionibus illigari, & mirabili coniungi fœderatione, quæ inter se contraria intelliguntur varietate pugnare. *Mox graphycè fontis Aponi deferi-*

scribit miracula, quorum cumulum videre licet legenti totam Epistolam. Ergò iubet rex antiquam ædificiorum soliditatem innouari. & palatium longa senectute quassatum, reparatione assidua corroborari. *quid memorem Regiam propensionem erga Musicam, quam mirificè commendat Epist. XL. lib. II. ad Boetium, quem iubet eligere doctum Citharœdum, Francorum Regi transmittendum. in qua quidem Epistola plurima ad commendationem Musices concentus perscribuntur subq. finem breuiter perstringit controuersiam de cœlestium corporum sono, dum ait:* bene arbitrati si causam cœlestis beatitudinis non in sonis, sed in creatore posuissent. *Plinius rem totam controuersiæ mandat, nec ambiguitati subtrahere curat, dum inquit lib. II. cap. III.* an mundus sit immensus, & ideò sensum aurium facilè excedens tantæ molis rotatæ vertigine assidua sonitus, non equidem facilè dixerim, non hercle magis, quam an dulci suauitate concentus, nobis, qui intus agimus tacitus labitur mundus.

Ex prosapia Felicis Consulis floruisse doctissimum Senatorem. obiter an Boetius Athenis videatur audiuisse Proclum? Cap. CCVIII.

PLura suppetunt, quæ ostendant Theodoricum bene erga sapientiæ studia, eorumq. mystas fuisse animatum, apud Cassiod. lib. II. Ep. III. commendat Candidatum dum extollit eius patrem his verbis: literarum stu-

dijs dedicatus, perpetuam doctissimis disciplinis mancipauit ætatē. vehementer disputator in libris. fuit quidam nostrorum temporum Cato. rerum naturalium causas subtilissimè perscrutatus, Cecropij dogmatis Attico se melle saginauit. digna planè scientia, in qua mens honestissima conquiescat. *mox conuertit se ad filium, quem ait nequaquam à patris degenerare virtutibus, semperq. vixisse* grauitate Romana, *vt scimus Romanos Proceres consueuisse cognitione rerum naturalium pectora imbuere.*

Lib. 1. Ep. XLV. laudat Boetium, quod in ipso disciplinarum fonte potauerit artes, *quod* Atheniensium scholas longè positus introiuerit, & palliatorum choris miscuerit togam. *incidit absq. dubio talis profectio Boetij Athenas in tempora Zenonis Imperatoris, circa quæ tempora florebat Athenis Proclus, Simplicij præceptor. Ergò verisimile est à Boetio fuisse auditum tantum philosophum, fuisseq. cognitos Simplicium, Ammonium, Philoponum.*

Dices, Proclum infensum fuisse Christianis, contraq. ipsos stetisse calamum teste Suida, post rabidum Porphyrium, non ergò verisimile est Boetium nobilissimum iuuenem, Romani sanguinis Christianum, voluisse eiusmodi homini vacare, operamq. impendere.

Respondeo nequaquam videri esse verum, quod apud Suidam scriptum reperitur. neq facile est ostendere Proclum declamasse, & scriptitaße contra Christianos, nam carus fuit Imperatori Anastasio, qui nequaquam familiariter vsus fuisset homine palam scribendo oppugnante Christianos.

Di-

Dices, de æternitate mundi octodecim litteris mandata fuisse argumenta à Proclo contra Christianos, qui liber adhuc extat, saltem eius pars reperitur apud Philoponum.

Respondeo, Proclum cõposuisse librum contra Democriteos, & Stoicos, qui putabant mundum extitisse in tempore, nec præcipuè ob Christianis rationes est architectatus: cum præsertim in eiusmodi argumentis nullo verbo oppugnetur creatio mundi ex nihilo, quam nobis tradidit sanctissimus Vates Moses.

Rursus de affectu Theodorici erga studia sapientiæ prodeunt Ennodij verba. Cap. CCIX.

S*I non sufficerent prolata præcedentibus capitibus, adiungere fas foret Ennodij verba in Panegyrico:* debent tibi veneranda studia quod loquuntur. Amauerunt præcessores tui inscitiam, quia nunquam laudanda gesserunt. Sordebat inter aratra facundissimus, & quod peritia dederat, vis negabat. muto mœrebant auctore tribunalia, nec vlla concedebatur palma dicenti. in casum negotiorum nutabat euentus, quando literis genius non dabatur. vnus vbiq; ingenia mœror oppresserat quia atterebant otia eloquentium facultates. pompam seniorum edax negligentia possidebat, nec accendebatur tyro æmulatione lectanda. vide diuitias seculi tui.

Dixerat paulo antea: Par fuit etiam, vt eloquentiam laudis præmijs incitares, ne adoreas tuas silentio

perderemus. Nullarum artium cessat industria, solers, vbicunq; latet, inquiritur.

Quis vero non credat floruisse studia artium sub eo, quem idē Ennodius sic alloquitur: Video insperatum decorem vrbium cineribus euenisse, & sub ciuilitatis plenitudine palatina vbiq; tecta rutilare. Video ante perfecta ædificia, quam me contigisset disposita. illa ipsa mater ciuitatum Roma iuuenescit, marcida senectutis membra resecando. *non possunt instaurari, atq; splendorem reuocari vrbes si langueant disciplinæ, si muta sit eloquentia, si squallori inuoluatur Regina artium philosophia. qui pellit Barbariam, ille idem ad gloriam, ad decus, ad dignitatem inuitat Palladis mystagogos. O pulcherrimum fructum, quem colligūt à liberali benignitate Principes, qui dum asserunt doctrinarum iura, suas florere, augeri vident prouincias, hilariter se gerere populos, immensa lætitia fieri compotes ciues.*

Nec interim ad belli artes ineptus extitit Theodoricus, curando aurea pacis bona. nam qualia quamq; fortiter gessit aduersus occupatores Italiæ Herulos, eorumq; Regem Odoacrum. En tibi verba Cassiodori in Chronico: Theodorico Odouacer ad Isontium pugnam parans victus cum tota gente fugatus est. eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odouacer. ad Ducam fluuium Theodoricus Odouacrem tertio certamine superauit.

Theo-

Theodorici res facere ad philosophiam Romanam, eum calluisse historiam animalium. Cap. CCX.

QVi quæ hactenus tradidimus de Theodorico legit, quæret quid ad philosophiam Romanorum faciat Rex Gothus, in Græcia educatus? imò facit ad Romam, nam Romæ fuit, Romanis aliquot annorum spatio dedit Consules, aliasq. dignitates. de eius aduentu Romam quis non nouit verba Cassiodori in Chronico: Hoc anno (*Patritio & Hypatio Consulibus*) N. D. Rex Theodoricus Romam cunctorum votis expetitus aduenit, & senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas atq. admirandis mœnibus deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate subuenit, sub cuius felici imperio plurimæ renouantur vrbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisq. eius operibus antiqua miracula superantur. *hæc Cassiodorus, in cuius Epistolis legere etiam est, quæ ostendunt historiam de animalibus quæ physicæ pars, delectatum fuisse Theodoricũ. de Ciconia lib. II Epist XIV. refert quod verno tempore parentes senio confectos escis nutriant*, & pia vicissitudine iuuenes reddant, quod à parentibus paruuli suscepetunt.

Perdicibus, *inquit ibidem*, mos est oua perdita per alterius matris damna sarcire, sed mox nati *nutricem deserentes ouorum suorum genitricem petunt, annon mirum*

est aniculas scire quæ sit nutrix impostrix, quæq. vera germana mater.

De Chamaleonte scribit lib. V. Ep. XXXIV. quod colores suos multifaria qualitate commutet: vt modo Veneta modò blattea, modò Cyanea possit reperiri. *quam bestiam gemmæ Pandiæ subijcit non esse absimilem* in qua vnus non potest se continere fulgor. fluctuat aspectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis.

Eiusdem libri Ep. XXIII. gementium turturum castissimum est genus: quod si à copula sua fuerit casu intercedente diuisum perpetuæ se abstinentiæ lege constringit.

Mirum non est talia preferri in Epistolis Regis, quæ dictabantur à Cassiodoro viro eruditissimo, nec tamen tam familiariter Rex vsus fuisset Cassiodoro, nisi imaginem sui in ipso dilexisset. eleganter autem Cassiodorus lib. XI. Ep. vlt. agit de solertia animalium Lupus, *inquit*, arenis se mollibus, vt plumbati lini insidias, euadat, immergit. scarus esca pellectus, cum iunceum carcerem cœperit introire, mox in caudam labitur, paulatim se ab angusto subducens. *sauri se inuicem conantur liberare.*

De Fausto Seniore, & Iuniore consularibus peritis disciplinarum. quatenus Romæ studia viguerint post Barbaricas irruptiones. Cap. CCXI.

A*N numeret ornamentis suis Roma Fausti filium consulatus dignitate ornatum, de quo splendida sunt*

En-

Ennodij verba lib. I. Epist. V. in principio vitæ disciplinis optimis institutus videtur meruisse quod adeptus est. Naturæ in decus scholas & literarum studia consecutus, paternæ perfectionis æmulator. Quicquid Attica, quicquid Romana præcipuum habet lingua cognouit. *vides etiam post Gothicam irruptionem, post cladem non vnam à Barbaris illatam Romæ adhuc hæsisse doctrinarum arcana, linguarum delitias, nec defuisse qui penetrarent ad adyta Attici Romaniq. eloquij. Talem se præstitit Faustifilius, qui florentibus annis Consulari auctus est fastigio.*

Faustum porrò virum illustrem lib. IV. Epist. XXXV. emendatissimum hominum *appellat. vide quid Romanis olim præstiterint studia sapientiæ, vt scilicet virtutem omnibus numeris absolutam adipiscerentur. sed sunt alia quæ ostendant non prorsus spoliatam Romam ornamentis doctrinæ postquam barbaricorum gladiorum mucronem sensit. idem namq. Ennodius lib. V. Ep. IX. commendat Fausto Parthenium properantem Romam studiorum causa:* Vocorum, *inquit*, obsidem tradidit honestati, qui ad liberales aspirat disciplinas. Bonarum affectus artium ditum dedignatur ingenium. His Parthenius noster incitatus stimulis Romam, in qua est naturalis eruditio, festinat inuisere. *in idem argumentum tulit properare litteras ad Symmachum summum Pontificem*, Parthenius ad coronam vestram directus est, sancta sunt studia literarum in quibus ante incrementa peritiæ vitia dediscuntur. *Luminoso sic scribit Epist. 23* Parthenio ad venerabiles disciplinas Romam petenti pro ferra-

tis

tis calcaribus sufficit vos videre. *Fausto Iuniori ita:* Parthenius per liberalis studij disciplinas ingenuus vult videri. *Quæ omnia ostendunt non prorsus conclamatas fuisse disciplinas Barbaris Italiæ negotium facessentibus.*

De Syluestro II. Pontifice philosopho eximio. reijcitur fabula, de eius Magia. Cap. CCXII.

Circa seculum nonum, decimum, & vndecimum à Christo, magna regnauit inscitia in Italia, qua de re conqueritur magnus Baronius. Mirum ergò non est si de Syluestro Secūdo, qui sedit an. DCCCCLXXXVIII sparsa fuerit fabula, quod esset magus. nam præter Theologias & diuinarum rerum cognitionem, Mathematicas etiam artes, & arcana philosophiæ didicerat. fuit doctor Othonis III Imperatoris, cuius fauore etiam Pontificatum est adeptus. facile autem potuit manare in vulgus talis fabula, quia inscitia illorum temporum Astronomiam, & reconditarum rerum cognitionem contemnebat, imò suspectam habebat. is dicitur Abacum, & figuras barbaricas, quibus Logistæ vtuntur, accepiße à Saracenis, & per Europam diuulgasse. sic enim Malmesburiensis: Abacum certè primus à Saracenis rapiens regulas dedit, quæ à sudantibus Abacistis vix intelliguntur.

Fabulam porrò id in sic describit: de Gereberto fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput certa inspectione syderum, cum videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod nonnisi interrogatum

tum loqueretur, sed verum vel affirmatiuè, vel negatiuè pronunciaret. verbi gratia, cum diceret Gerebertus: Ero Apostolicus? responderet statua, etiam. Morior antequam cantem missam in Ierusalem? Non.

Eiusmodi statuam eadem fama sparsit accepisse Gerebertum ab Hispaniensibus Saracenis. Papirius Massonius sic scribit: plurimum miramur confictam de eo fabulam mortalium aures ita penetrâsse, vt nunc quoq. euelli ex plurimorum mentibus non possit. *ex synodo Romæ habita Rufo Magno, & Fausto Auieno Coss. hæc verba reperio:* dum esset Synodus in Hierusalem, basilica Sessoriani palatij. *quem locum ignoratum fuisse Gereberto viro doctissimo turpe esset dicere. in elogio, quod ei locauit Sergius successor in basilica Laterani, hæc quoq. leguntur:*

Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.
Tempus vterq. comit clara virtute sophiæ.

Vides Gerebertum & Othonem Tertium dedisse operam philosophiæ. repete quæ plura sunt apud eundem Papirium Maßonum, vt fabulam de Magia Syluestri explodere possis. Ergò Pontificis Syluestri sanctissimæ sapientiæ distichon recitetur:

Fabula Syluestrum exagitat, tacitosq. susurros,
Et Magica impingit murmura Pontifici.
Nequicquam. namq. historiæ fax dissipat vmbras,
Romuleumq. diem non latuisse sinit.

Peroratio ad Lectorem.

HActenus illustrem numerum, censumq; Sophorum,
Roma Deûm sedes quos tulit, expedij.
Nunc lectorem operis conceptis ambio verbis,
Me facilis veniæ ne velit esse rudem,
Si somnum libro quandoq; obrepere passus
Non semper metam, non tetigiq; scopum:
Omnis enim in terris mortali semine cretus,
Est potis à recto tramite ferre pedem.

Ad Lectorem incolam vrbis Romæ.

ROmuleam quicunq; pius nunc incolis vrbem,
Et Tyberis felix sacra fluenta bibis,
Si bonus has chartas iucundo lumine lustrans
Non Brutos, Senecas, non Thraseasq; siles,
Dic precor: ingenti Latium Gaudentius orbem
Affectu cultor nunc quoq; prosequitur,
Quandoquidem priscos repetens ab origine fastos
Æneadûm potuit facta referre sophûm.

FINIS.

AD-

ADDENDA
OPERI,
DE PHILOSOPHIAE
APUD ROMANOS
INITIO, ET PROGRESSU,

De Ouidiana narratione asserente Numam profectum ad audiendum Pythagoram. profertur sententia Pythagoræorum de tempore. Cap. I.



VOD Numa audiuerit Pythagoram sic explicat Ouidius Metam. lib. XV. vt tradat non quidem Pythagoram se contulisse ad Sabinos, aut Romam, sed è Curibus suis profectum Numam adijsse Crotonem, ibiq. imbutum arcanis sapientiæ à Samio Doctore. sic enim loquitur Naso: non ille (*Numa*) satis prænosse Sabinæ Gentis habet ritus, animo maiora capaci Concipit, & quæ sit rerum natura requirit. Huius amor curæ patria, Curibusq. relictis Fecit, vt Herculei penetraret ad hospitis vrbem. *quis iam dubitet cum Pythagora congressum Numam? quis etiam non perpendat, quæ Ouidius philosophiæ Romanæ alumnus secũdum Pythagoram depromit? sic enim loquitur de Pythagoricis dogmatibus, vt prorsus illis videatur suum addicere punctum. qua autem ratione veritatem perscrutari instituerit Pythagoras his explicat, exponitq. verbis:*

Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris ausit.

Nam Pythagoras non sensu voluit metiri veritatem, sed mente, qua consurgens ad incorporeas substantias, has corporeas quas oculis nostris vsurpamus non tanti fecit. quod magis, ac magis ostendit inferius dum inquit.

nihil est toto quod perstet in orbe.

Cun-

Cuncta fluunt, omnisq. vagans formatur imago
ipsa quoq. assiduo labuntur tempora motu.
Non secus ac flumen, neq. enim consistere flumen
nec leuis hora potest.
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq. sequuntur
& noua sunt semper.

Quod consentaneum est Heraclitiæ sententiæ, quam commendat Plato in Cratylo, dum ait: inspicere mihi Heraclitum videor, iampridem nonnulla sapienter de Rhea atq. Saturno tradentem, quæ & Homerus dixerat. ait enim Heraclitus fluere omnia nihilq. manere, rerumq. ipsarum progressum amnis fluxui comparans haud fieri posse inquit, vt bis eandem in aquam te mergas. Vera hæc sunt.

Quæ autem de tempore fluente à Pythagora proferuntur apud Ouidium rectissimè intelligi poterunt ex ijs, quæ tradidit Architas cuius verba proferuntur à Simplicio, quando agit de prædicamento Quando. tempus, *inquit*, proprium habet impartibile, & non subsistens per se, nam dicitur nunc impartibile, cum quo simul intelligitur, & illud quod vocatur præteritum, & non est permanens. nam quod cõtinue fit idem nequaquam seruatum secundũ numerum, sed secundum speciem. nam instans præsens nunc tempus, & futurum non est idem cum præterito. nam quod factum est, *&* *iam* abijt non est amplius. *vide plura quæ sequuntur, & diligenter lege omnia, quæ tradit ibidem Simplicius adducendo interpretationem Iamblichi. vnde etiã disces primos Pythagoræos egisse de tempore longe ante Aristotelem, qui de æternitate distincta à tempore*

pore

[illegible] prætulit, cum tamen ex Pythagoreorum doctrina [illegible] Plato magnificè sic locutus, pronunciauitq. tempus esse mobilem imaginem æternitatis. ut enim tempus metitur generabilia, & fluentia & permanentem substantiam non habentia, ita æternitas impartibilibus, & immobilibus optimè conuenit. debuisset autem Aristoteles loqui de æternitate quandoquidem in libro primo de cælo tex. C. ait: Manifestum est, quod neq. locus, neq. vacuum, neq. tempus est extrinsecus, quapropter neq. quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neq. tempus ipsa facit senescere, sed optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo.

Cum ergò Aristoteles de æternitate non egerit, audiendus est saltem Simplicius secundum Pythagoræos differentis qui inter cætera inquit: æternitas simul existit cum ente considerata secundum impartibilem ipsius, & immobilem simul totam substantiam. tempus propriè dicitur in generabilibus, & adest cuiq. rei generabili secundum motum.

Æternitas igitur est impartibilium, & ingenerabilium, tempus partibilium, & generabilium. unde porrò quæritur de anima, an dicatur de ipsa æternitas, an tempus? quod dicendum sit tempus ex eo colligitur, quia secundum Platonem est partibilis. At eadem est impartibilis, secundum eundem Platonem, respondet ergò Simplicius animam complecti, & æternitatem, & tempus, quia est media impartibilis scilicet, & partibilis substantia. hinc nostrates philosophi non æternitatem, non tempus, sed æuum ei tribuunt:

Dices, si partibilis est anima, mortalis est; respondendum

dum est partibilem dici quatenus defluit ac delabitur ad corpora, vnde etiam mori dicitur sed metaphoricè quatenus non habet statum illum priorem & beatum. At quantumcunque coniungatur corporibus anima, & induat corporeas fæces non potest tamen exuere suam naturam impartibilem, immortalem, omnis interitus expertem.

Cum autem tam multa differant Pythagoræi ac præsertim Archytas de tempore, cur inquit postea, vt refert Simplicius, ipsum vel non omnino esse, vel obscurum, & vix esse? quia scilicet ad ea, quæ secundum Pythagoram & Platonem propriè sunt comparatum tempus vix est, nam in fieri esse habet, & præteritum quidem non amplius est, & futurum nondum est. hinc Simplicius infert: verum esse non conuenit tempori neq generationi. æternitas propriè est, proprieq. sunt impartibilia, incorporea.

Sed omissis contemplationibus philosophicis reuertamur ad Numam, vt sciamus num Crotonem se contulerit ad audiendum Pythagoram? absq. dubio eiusmodi profectio figmentum poeticum est Ouidij, qui tamen sic fingendo valde bene meritus est de studiosis Pythagoreæ philosophiæ peccauerit profectò in sua commoda quisquis scire volens dogmata Pythagoræ totam dissertationem Ouidij non legerit in xv. Metamorph. ex qua etiam colligere est Pythagoram videri negaße inferos, aut inferos posuisse in corporibus, in quæ migrant animæ alijs corporibus relictis. repetenda autem sunt verba illa:

Corpora siue rogus flamma seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non vlla putetis.

Quæ mirè videntur pugnantia esse. nam dixerat non dari inferos,

feros mox subijcit corpora non posse pati. Atqui gentiles non loquebantur de corporibus ad inferos detrudendis, sed tantum de animabus, quæ etiam cogebantur oberrare insepultis corporibus.

Puto sic accipienda illa verba:

mala posse pati non vlla putetis,

id est nolite putare homines post mortem aliquid pati, quia mox subijcit:

Morte carent animæ.

At etiam Plato docuit non interire animas, & tamen eas plectebat, & purgabat apud inferos. Nonne etiam molestiam ferunt animæ dum migrant in corpora brutorum? quid quod Pythagoras ipse dixit se adijsse inferos, vt est in ipsius vita. Cur apud Ouidium prorsus negat dari inferos, & animas nulla mala posse pati?

Responderim, non adeò anxiè esse sursum deorsum vertenda verba Pythagoræ, quia à poeta proficiscuntur: poëtæ autem satis suo munere funguntur, si populari modo loquantur.

An XII. tabulæ continerent philosophiam? explicantur verba Ciceronis in lib. de orat. *refer ad pag. 19.* Cap. II.

Q*Vod Decemuiri conditores XII tab. fuerint philosophi, atq. adeò Romæ tunc fuerit philosophia, ex verbis Tullij videtur posse colligi. nam apud ipsum in oratore sic Crassus loquitur:* Fremant omnes licet dicam quod sentio. Bibliothecas omnium mehercule philosopho-

sophorum vnus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare.

Respondendum est manasse XII. tabulas à philosophia, nam Solon conditor Atticarum legum philosophus fuit. eas mutuò sumpserunt Xuiri, non ipsi condiderunt. Quis autem nescit virum prudentem à philosopho posse quædam in vsum vitæ ciuilis assumere, absq. eo, quod philosophus ipse sit?

Quod Crassus dicit de XII. tabulis id per exaggerationem prolatum est, respicitq. vim, quam habet lex, dum imperat, & cogit parere intentando pœnas: philosophia autem non formidine pœnarum agit, sed suadet, ratiocinatur. plebs porrò talia præcepta de moribus surdis auribus excipit, metuq. bona est & continetur in officio. hinc ait summus Pontifex Sixtus Quintus, duo adhibenda esse in regenda plebe panem, & fustem.

De Sulpitio Gallo Romano perito astronomiæ tempore belli Macedonici.
Cap. III.

A*Nte Panætium saltem Astronomiam excoluit Romæ Sulpitius Gallus, de quo perhonorificè Plinius, & Valerius loquuntur. Plinius hæc habet, lib. II. cap. XII.* & rationem quidem defectus vtriusq (*Solis & Lunæ*) primus Romani generis in vulgus extulit Sulpitius Gallus, qui consul cum M. Marcello fuit, sed cum Tribunus militum sollicitudine exercitu liberato, pridie

quam Perseus rex superatus à Paulo est, in concionem ab Imperatore perductus ad prædicendam eclipsin, mox & composito volumine. *hoc omittendum minus fuit, cum Sulpicius exstiterit Romani generis, & rebus sidereis incubuerit, quod rarũ fuit in illo seculo apud Quirites.*

Valerius porrò lib. VIII cap. I. testatur tum defecisse Lunam, defectuq. perterritum exercitum, quem metum depulit dissertatio Sulpitij peritissimè de cœli latione, & siderum ratione *apud milites disputantis. Ita factum vt astronomia victoriam Romano Duci largita fuerit. Scio rem paulo aliter à Frontino, & Plutarcho narrari; verum nihil causæ est, cur Plinianam, Valerianamq. historiam deseramus.*

Nam, & superiori seculo apud Indos eclipsi prouisa in rem suam est vsus Hispanorum Dux, obtinuitq. quod petebat.

Quam abstinens fuerit Scipio Africanus. laudatur etiam Marcus Imperator. Cap. IV.

Contemptus diuitiarum adeò videtur esse coniunctus cum philosophia, vt auari qui sunt prorsus è censu numeroq. philosophorum videantur excludendi quapropter id quoq. ostendit robusta sapientia imbutum fuisse à Panætio Scipionem Africanum iuniorem, quandoquidem abstinens admodum fuit. sic sanè laudatur ab ipso Panætio, vt refert Cicero in secundo de offi. ijs, qui ait eum Carthagine euersa nihilo locupletiorem fuisse, qua in re imitatus est pa-

patrem, qui victor in Macedonia potitus est omni gaza Macedonum, non tamen se suamq. ditauit domum, sed ærarium adeò vt tributum, quod in eam diem solitum pendi, desierit solui. vides quam vtilis sit Respublicæ philosophia; efficit enim vt qui Rempublicam moderantur abstinentes sint. Hinc legimus Catonem Vticensem missum Cyprum ad transferendas immensas pecunias Ptolomæi prorsus nihil in proprium conuertisse emolumentum. Quid dicam de Marco philosopho, qui Imperator licet esset pauper tamen domi erat, ne ciuibus grauis esset? Vere namq. de se Marcus ait apud Iulianum in Cæsaribus existimasse se Deorum imitationem in eo positam, vt paucissimis indigeamus, & quam plurimis benefaciamus. addenda narratio Iulij Capitolini in vita Marci: Cum ad bellum Marcomannicum omne ærarium exhausisset suum, neq. in animum induceret, vt extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro Diui Traiani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditq. aurea pocula, & crystallina, & myrrhina: vasa etiam regia, & vestem vxoriam sericam, & auratam, gemmasq. etiam, quas multas in repostorio sanctiore Adriani repererat, & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est. *vide quæ ibi plura sequuntur. Vtinam vero seculi nostri Reges, & Principes præ oculis semper haberent, & philosophiam Marci, & eius summam abstinentiam, vtinam eius exemplo amarent populos, & à grauitate tributorum, quantum fieri potest, sese continerent. Reges certè pastores sunt populorum. boni autem pastores non deglubunt oues, sed tondent.*

Qua notione Lælius dictus fuerit sapiens? expenditur definitio Aristotelica sapientiæ.

refer ad pag. 26. Cap. V.

LÆlio cum glorietur Romana philosophia, par est, vt ex Cicerone aliquid depromam, quod ostendat cur ipse sapiens fuerit appellatus. sic autem apud Ciceronem ferè in principio libri de amicitia legitur, dum Fannius Lælium alloquitur: vnum te sapientem & appellant, & existimant. tribuebatur hoc modo M. Catoni, scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem: sed vterq. alio quodam modo. Acilius quia prudens esse in iure ciuili putabatur. Cato quia multarum rerum vsum haberet: multaq. eius & in senatu, & in foro vel prouisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferebantur. Te autem alio quodam modo non solum natura, & moribus, verum etiam studio, & doctrina esse sapientem nec sicut vulgus, sed vt eruditi solent, appellare sapientem.

Ergò sapiens apud Romanos ab eruditis dicebatur is, qui contemplatione rerum, & cognitione veritatis valeret.

Apud Arist. in VI. Eth. cap. VII. sapientia dicitur tam latius accipi, tam angustius. nam latè accepta complectitur omnes scientias, & artes, etiam opificum, ipsamq. prudentiam, eiusq. genera, vt videre est apud Platonem in Theage, & Theæteto. Angustiore notione est omnium scientiarum princeps, & domina, dicta etiam dialectica à Platone, ab alijs Theologia, ab Aristotele Metaphysica. sic &

σοφὸς

σοφὸς quilibet significabatur excellens in eo quod profiteretur, ut Apelles σοφὸς pictor, Polycletus σοφὸς statuarius. & Romani viros prudentes siue politicos, siue Iurisconsultos nominauerunt, vt iam didicimus ex verbis Fannij apud Ciceronem.

Rursus perpendendum Aristotelem facere duplicem sapientiam vnam particularem, alteram vniuersalem, ea ratione, vt proprie videatur accipere significatum sapientiae singularem sapientiam definit singularum artium virtutem; vniuersalem, cuius respectu non in vno aliquo sapientes quosdam dicimus, hinc colligit oportere sapientem vniuersaliter dictum, & per se sic dictum non quaedam quae cognosci possunt scire, quaedam ignorare, sed nosse non minus demonstrata, quam principia.

Ergò tota ratio sapientiae vniuersalis in contemplatione posita est, & cognitione veritatis, differtq. à prudentia secundum Aristotelem, nec enim consultat, cum versetur circa ea quae aliter se habere non possunt. Audiamus Andronicum Rhodium in paraphrasi: ἡ σοφία τέλος ἔχει τὴν καθόλου ἀλήθειαν. καὶ ἡ μὲν ὑποκείμενον ἔχει τὸ καθόλου ἐπιστητὸν καὶ τὰς ἀρχὰς ἁπάσης ἐπιστήμης. finis sapientiae est omnis veritas & eius subiectum est omne id quod sciri potest, & principia omnium reliquarum scientiarum. Male admodum legitur in versione Dan. Heinsii: sicut subiectum id quod vniuersaliter fieri potest. nescio autem an culpa Typographi sic excusum sit.

Sed num verè Aristoteles separauerit prudentiā à sapientia dubitare possumus. sapiens enim secundum communem hominum sententiam felix est, & felicitatem adipiscitur.

Ad si verum est, sapientia à prudentia segregari non potest. quis enim nescit sapientem illum dici debere, qui nouit ea, quæ conducunt ad felicitatem, ysq. vtitur? Aristoteles autem quia posuit felicitatem vltimam in contemplatione, sapientiæ tantam habuit rationem, vt in ea tantum collocauerit hominum felicitatem, cum tamen si quis contempletur rerum, careat autem prudentia, reliquisq. virtutibus, & affectibus non imperet, felix non sit, atq. adeò sapiens dici non mereatur.

Longè ergò aliter senserunt de sapientia, & sapiente Stoici, dixeruntq. sapientiam complecti in se summam vitæ humanæ, quæ non tantum cognoscit veritatem, sed & operatur. audiamus Senecam Ep. LXXXVIII sapientia perfectum bonum est mentis humanæ. philosophia sapientiæ amor est, & affectatio. hæc ostendit, quò illa peruenit. non tacet quosdam definisse sapientiam, quod norit diuina & humana, & horum causas. alibi ait studia liberalia dicta esse, quod homine libero digna sunt. Cæterum vnum studium verè liberale est, quod hominem liberum facit. hoc sapientiæ studium est, sublime, forte, magnanimum, cætera pusilla, & puerilia sunt: An tu quicquam credis in istis esse bonum, quorum professores pessimos & flagitiosissimos cernis? imò videtur prudentia plus conferre ad felicitatem quam cõtemplatio rerũ nam Cato Maior fuit sapiens, & felix, in contemplatione tamen rerum exiguam operam locauit, quin à philosophis putauit debere Romanos abstinere. sufficit autem vt quis sit sapiens nosse ea sine quibus ad felicitatem non licet homini pertingere. qui illa nouit, & secundum cognitionem dirigit mores, actas

ani-

ultimum absq. dubio scopum attinget felicitatis.

Oportet Aristoteles Anaxagoram, & Thaletem fuisse sapientes, sed non fuisse prudentes: quia quę ipsis vtilia erant, & ad vitam conducebant cum ignorarent, eximia & admiranda & difficilia quædam sciebant, & diuina.

Imò & prudentes fuerunt, nam magnanimi putarunt negligendam curam diuitiarum ne abstraherentur à contemplatione rerum. sed non est necesse eos in omnibus imitari: heroes enim fuerunt, & extra communem ordinem reliquorum hominum positi. Quod verò nossent ea quæ conducunt ad vitam satis superq. docet vita eorum. Consilio profectò Anaxagoræ in regenda Republica vtebatur Pericles. Thales etiam ostendit se posse ditescere si vellet. & qui potest fieri, vt quis sapiens euadat, hoc est consequatur omnis veritatis cognitionem secundum quidem Aristotelem, si incumbat rebus domesticis, si diuitias satagat conflare? qui verò incensus amore immenso cognoscendæ veritatis minora negligit volens sciens & ex animi sententia, nequaquam imprudens appellandus est. ne igitur prudentiam à sapientia seiungamus.

Nunc quæ dixi confirmanda sunt testimonio Philonis viri grauissimi lib. de Congr. quær. erudit. grat. sicut liberales artes conferunt ad quærendam philosophiam, ita philosophia ad parandam sapientiam. est enim philosophia meditatio sapientiæ, sapientia verò scientia rerum humanarum diuinarumq. & causarum insuper. Ergò sicut Encyclopædia philosophiæ seruit, sic philosophia sapientiæ: At philosophia docet nos continere linguam, ventrem, & quæ sub ventre sunt. hæc

quam-

quamuis per se expetenda, augustiora tamen sunt quando in honorem Dei, & causa Religionis exercentur.

Adde solere magnos scriptores eundem & sapientem, & bonum appellare, neq. unum ab altero diuellere. sic Virgilius in carmine:

Vir bonus, & sapiens.

Cicero in III. de offic. Hæc est pernicies, quod alios bonos alios sapientes existimant. *si non potest esse sapiens, nisi qui simul sit bonus, & sapientia non potest carere prudentia, nec sita est in sola rerum contemplatione; imò consultat, deliberat de ijs quæ agenda: non tamen est negandum reperiri viros bonos, qui scientiarum sunt expertes, & indocti, quos tamen nemo excluserit ab æterna felicitate. hinc sciunt omnes S. Augustinum cum legisset vitam S. Antonij dixisse:* surgunt indocti, & rapiunt regnum cœlorum.

Controuersa iura ex Diogene Stoico proposita.

refer ad pag. 32. Cap. VI.

HAbebant Stoici controuersa quædam iura, quæ nos hodie vocamus Casus Conscientiæ. in talibus se exercuit Diogenes Stoicus, vt est apud Ciceronem in III. de offic. si quis adulterinos nummos, acceperit *pro bonis, an tanquam bonos expendet? affirmat Diogenes. Me quidem non habebit assentientem. Nec enim imitari debemus deteriores.*

Potestne quis vendere vinum fugiens hoc est non diu-

turum

rum silendo non duraturum? affirmat Diogenes. Res est magis ambigua, quam superior. si sciat mox fugiturum, dicet. si norit aliquandiu duraturum poterit forte silere, nam nullum ad emptorem redibit detrimentum.

Quando venditur mancipium an dicenda vitia? absq. dubio dicenda ea, quae nisi dixeris redhibebitur mancipium iure ciuili. sed alia an possunt dissimulari, quod sit aleator quod furax, ebriosus? qua de re Diogenes quoq. loquebatur. Vix putdeim esse necess.. vide plura apud Ciceronem, & cogita aliquod periculum imminere conscientiae à nimia subtilitate, quam dum aliqui anxie explicando in re praesertim venerea singula peccatorum discrimina sectantur, vtinam non officiant moribus.

Expenditur disputatio Critolai peripatetici contra Stoicos. Philo in quibusdam reijcitur, in nonnullis approbatur. Cap. VII.

A*Pparet Critolaum, qui cum Diogene, & Carneade legatis Atheniensium Romam se contulit exarasse libros, atq. inprimis pro mundi perennitate pugnasse ne à suo discederet abiretq. magistro. Etenim Philo sic de ipso in libro de mundi incorruptibilitate loquitur:* Critolaus musarum amator, & peripateticae sectator philosophiae dogma de mundi sempiternitate approbans, talibus vtitur argumentis.

Oportet profectò inter se disputasse vt de alijs, sic etiam mundi vel interitu, vel perenni duratione Diogenem Stoi-

cum, & Critolaum Peripateticum, & vtrumq. non leuiter exercitum in xaiũq. fuisse à promptissimo Carneade. Etenim Philo consequenter loquitur de Critolao, eiusq. in medium proferat argumenta, ait: dicat fortasse aliquis Stoicus disputator verbosior. mox subiungit à Stoicis non tantum appellari hunc mundum hunc ornatum, verum & eum, qui post exustionem futurus est, quod à Philone reijcitur.

Sed videamus quibus argumentis pro perenni duratione mundi pugnet Critolaus. si mundus est genitus, ergò & terra, ergò & humanum genus. at homo ingenitus ab æterno subsistit. postea subiungit: quod si homo est æternus, pars vniuersitatis minima, vtiq. mundus quoq. ingenitus est, ac proinde incorruptibilis.

Quis non miretur talia à Philone in Critolao approbari potuisse, cum disertis verbis Moses doceat, qua ratione non tantum mundus, sed etiam homo creatus sit? Mauis ne Critolao habere fidem, quam diuino viro Mosi? sed scio quid agas. confugis ad allegoricum sensum, reijcisq. historicum tuã diuinæ Genesi. Atqui omnes qui periti sunt diuinarum litterarum tuam interpretandi, & detorquendi rationem procul à diuina Genesi facessere iubent. quin & tua illa verba non absolutè suscipiunt: Moses docet, quod dies & noctes, horæ anniq. sol & luna mensores têporum vnà cum toto cœlo pro immortali sua natura permanebût in æternum. vbi quæso Moses sic loquitur? narrat quidem Moses iussisse Deum, vt fierent luminaria, ad lucendum in firmamento cœli, & illuminandam terram, vtq. præessent diei, & nocti, de immortali autem eorum natura, & sempiternitate nihil protulit. Nonne verò ipse le-

geras

geras hæc Dauidis verba psalmo CI. initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. ipsi peribūt, tu autem permanes. & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertoriū mutabis eos & mutabuntur. *quæ tamen verba non de omnimodo interitu accipiunt rectè Theologi, sed de quadam mutatione, quam excipiet instauratio ea quidem ratione, quam Deus optimus maximus nouit.*

Tota autem eiusmodi immutatio, & instauratio non fiet vi ipsius naturæ, sed sola Dei voluntate & potentia præter ordinem, præterq. vires naturæ. Etenim si perpendamus naturam ipsius mundi putamus rectè Philonem ratiocinari aduersus Stoicos. ignis certè de quo loquitur S. Petrus II. ep. cap. III. excitabitur diuinitus ab ipso Deo, vt fiat instauratio totius mundi.

Scio aliquos ex veteribus scriptoribus Ecclesiasticis dixisse mundum esse obnoxium senio, & iam consenuisse. sed refelluntur à sensu: nam post mille & plures annos videmus mundum in eodem statu permanere, & eadem vi naturali præditum esse. Quod si secundum eorum sententiam iam tunc laborasset senio mundus, iampridem de ipso actum fuisset. Robustior profectò est mūdus, quam vt ad siccitatem, & frigiditatem deduci à vetustate temporis queat. Hinc rectè Philo eodem libro ostendit terram nequaquam senuisse, cum indefessa continuaq. prædita sit fœcunditate. Etenim irrigata vel fluminum restagnationibus, vel annuis imbribus, vires resumit, & quiete modica ferè, omnis, fateor quandoq. alicubi sterilem videri, sed eiusmodi sterilitas nec diuturna est, nec totam occupat terram, sed exiguam eius partem.

De Posidonio discipulo Panætij, qui fuit Romæ tempore Marcelli. Cap. VIII.

Præter Apollonium, & Hecatonem habuit Panætius etiam Posidonium discipulum quem quidem fuisse Romæ dubitandum non est. hæc enim leguntur apud Suidam. Posidonius Apamensis Syrus, aut Rhodius, philosophus Stoicus cognomento pugil, scholam habuit Rhodi discipulus, & successor Panætij *ex quibus etiam intelligere est Rhodi docuisse Panætium. Mox ait Suidas.* Venit & Romam sub M. Marcello. scripsit multa. *hæc ibi.*

Cicero in III de offi. ijs. scriptum à discipulo Panætij Posidonio triginta annis vixisse Panætium, postquam libros de officijs scripsisset. *hæc Cicero, qui reprehendit Panætium, qui cum accuratissimè disputasset de offi. ijs, nonnulla tamen prorsus necessaria omisisset, nec fecisset promissis, quamuis diu vixisset post compositos libros illos.*

De Hecatone Stoico discipulo Panætij, qui Romæ videtur floruisse. Cap. IX.

Panætium summum philosophum non ab re sequi iubemus Hecatonem discipulum, quem tamen non possum dicere fuisse, & floruisse Romæ. Cicero eius meminit in III. de offi. ait enim fuisse Rhodium, Panætij discipulum, & de Offi. ijs scripsisse Q. Tuberoni, quò magis inclino in eam opinionem, vt non negem vixisse etiam & scripsisse Romæ

quam-

quandoquidem familiaris fuit Q. Tuberoni nobilissimo philosopho Stoico, & Iurisconsulto. Quin credibile est eius fuisse praeceptorem.

Eius laudatur sententia sapientis esse nihil contra mores leges, instituta facientem habere rationem rei familiaris. Ergò debet res familiaris cedere patriae, atq. Reipublicae, cui maximè omnium obstricti sumus, magisq. quam nobis ipsis. non enim Respublica est propter nos, sed nos propter rempublicam. hinc quod Aristoteles dixit nos alios amare propter nos, id de patria non est intelligendum. amanda enim patria est propter seipsam.

De Sosigene insigni Astronomo, cuius opera usus est Iulius Caesar. Cap. X.

IMmortali beneficio cum affecerit genus humanum Iulius Caesar corrigendo annum, ut suo loco diximus, non est praetereundus ille, cuius opera in re tanti momenti est usus. audiendus ergò Plinius lib. XVIII. cap. XXV. His (ie ctis agentibus de digestione siderum) addidit apud nos quartam Caesar dictator, annos ad solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiae eius adhibito. Mox sub ijs: & Sosigenes ipse trinis commetationibus quamquam diligentior esset caeteris, non cessauit tamen addubitare semet corrigendo. pollicetur autem Plinius se secuturum obseruationem Caesaris, ut propterea possimus dicere in Piiniano opere adhuc superesse non contemnendum instar obseruationum Sosigenis. cum autem testetur Plinius eos, qui digesserunt sidera in noctes, & dies tam

varios fuisse in obseruationibus, mirari desinimus adeò discordes esse nostrorum temporum Chronologos. Petauius profectò duobus magnis voluminibus conscriptis innumeros errores ait se deprehendisse in Iosepho Scaligero, quem tamen alij ob opus de emendatione temporum suspiciunt.

A grauitate philosophica petitum illud: *Σοφῶς*, cuius vsus frequens in acclamationibus Romæ. *refer ad p. 46.* Cap. XI.

QVod magni apud omnes Romæ fieret sapientia, & grauitas philosophica, ille inter oratores videbatur sui munere perbelle fungi, qui imbutus philosophia grauiter, & doctè tanquam philosophiæ alumnus dissereret, sententiasq. suas pondere rerum instrueret, non verò nugas canoras, & inania iactaret verba. Hinc puto factum vt acclamaretur recitantibus adhibito aduerbio σοφῶς quod à σοφία deductum est. cuius quidem aduerbij, quod videtur abusiuè in nomen substantiuum, sæpe facta est mentio à scriptoribus illorum temporum. apud Martialem:

Audieris cum grande sophos.
Mercetur alius grande, & insanum sophos.
Non sex paratur aut decem sophos nummis.
Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.

Simile est illud apud eundem Martialem: Grauiter. *Sunt qui sophos confundunt cum euge, belle, bene, præclarè, festiuè. sed nequaquam debent inter se confundi. non enim*

qui

qui acclamabant promiscue repetebant festiuè, belle: sed pro ratione eorum, quæ proferebantur adhibebant aduerbia. quando autem aliquid homine graui, & sapiente exibat, acclamabant: sophos. quod sophos extremam laudem complectebatur.

T. Liuium fuisse philosophum, & de philosophia scripsisse. Cap. XII.

L*iuium non nouit plebs nisi historicum, putatq. nihil aliud ab ipso emanasse, quam narrationes de rebus gestis Romanorum. Atqui cōstat Dialogos ad philosophiam facientes ab eodem cōpositos, qua de re ne quisquam dubitet, legat hæc ex Seneca lib. I. Epist. C.* Nomina adhuc Liuium. scripsit enim & Dialogos, quos non magis philosophiæ annumerare possis quam historiæ, & ex professo philosophiam continentes libros *Dialogi sic philosophici erant, ut possent etiam uocari historici. sed & libros de philosophia scripsit, qui toti philosophiam complectebantur. vide quid amiserimus pereuntibus eiusmodi libris. nam eminebant, quandoquidē Seneca ait eos solis tribus eloquentissimis cedere, Ciceroni, Asinio Pollioni, Fabiano. Miror autem Patauinos de suo Liuio scribentes tantum decus in ipso præteriuisse. Norint igitur inposterum philosophum quoq. fuisse Liuium.*

Stoi-

Stoicos de honestate agentes potuisse aliquid conferre ad Iurisprudentiam. *refer ad p. 106.*
Cap. XIII.

M*Vltum contulisse & conferre potuisse ad vitam ciuilē, & Iurisprudētiam Stoicos, quicquid dicere de ipsis in aduersam partem videatur Cicero in orat. pro Murena, ex eo videtur apertè posse colligi, quia fatetur idem Tullius lib. I. de officijs Stoicos solere bene de honestate disputare contemptis Epicureis, insuper habitis Aristone, Pyrrhone, & Herillo. quin immò non negat se in tractatione de officijs potissimum Stoicos sequi, & incedere per vestigia Panatij, qui itidem Stoicus fuit. verba Tulliana recitentur:* propria est ea (*de honestate*) præceptio Stoicorum. quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli. *Mox ait:* sequemur igitur hoc quidem tempore, & in hac quæstione potissimum Stoicos, *& statim meminit Panætij, qui quid sit officium non dixerat.*

Respondere est tractationem de officijs communem fuisse Stoicis, Peripateticis, & Platonicis. nam Brutus Platonicus scripserat de officio, vt notum est. Quid quod omnis eiusmodi disciplina à Socrate profecta est, deriuata etiam ad Peripateticos, tandemq. Stoicos quoq. complexa. Itaq. antiquior erat possessio Platonicorum, & Peripateticorum de officijs disputatio. verba porrò quibus Cicero cum Stoicis coniungit Academicos, & Peripateticos de officijs quando agitur, sunt hæc: propria est ea præceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum. *nam reiecerat*

Epi-

Epicureos paulo antea sic loquens: nam qui summum bonum sic instituit, vt nihil habeat cum virtute coniunctum, idq. suis commodis non honestate metitur: fit vt neq. amicitiam colere possit nec iustitiam, nec liberalitatem. *Sed quares, Cur Cicero Stoicos sequitur de officijs agens, non Peripateticos, non Academicos? Respondeo placuisse ipsi eo tempore sic se gerere, non enim negat se potuisse sequi Peripateticos, & Academicos.*

Non igitur absolutè negandum est, quin ad Iurisprudentiam aliqua possent conferre scripta Stoicorum. quod autem in oratione pro Murena ipsos visus est reijcere Cicero, id sic accipiendum, vt intelligamus voluisse eum tunc ἀκίνητον ὑπόθεσιν, *conatumq. detrahere auctoritati Catonis, qui vehementer aduersabatur Murænæ in petitione Consulatus.*

Scholiastes Iuuenalis agens de Thrasyllo reijcitur. Cap. XIV.

EXaminanda sunt, quæ minus rectè videtur proferre de Thrasyllo Scholiastes Iuuenalis ad VI. Satyram, ait eum multarum artium scientiam professum, postremo se dedisse Platonicæ philosophiæ, ac deinde Mathesi. vnde habeat quod Thrasyllus fuerit Platonicus fateor me nescire. Certè verisimile non est fuisse Platonicum, quandoquidem Platonici vix vacabant Astrologiæ, quam visus est Plato in Timæo damnare. Cum igitur absq. controuersia Chaldaicæ disciplinæ fuerit auctor Thrasyllus, & quidem insignis, verisimile non est fuisse Platonicum. ait deinceps Scholiastes ob eiusmodi artem Chaldaicam familiariter vixisse cum Tibe-

rio, quem postea idem Tiberius voluerit præcipitare in insula Rhodo, & quod Thrasyllus præsentiens dolum fugerit. Immò veritas habet Tiberium tunc primum cœpisse magnifacere, & familiaritate dignari Thrasyllum, cum eius insignē peritiam Rhodi explorasset. deinceps enim eum admisit ad arcana semperq. carissimum habuit. falsum igitur est eum fugisse à Tiberio.

De Timone, qui illustrauit alterius Timonis Sillos sub Tiberio. Cap. XV.

Timon Apolloniates Nicæus videtur Romæ fuisse, quandoquidem commentarium suum in Sillos alterius Timonis Phliasij Imperatori Tiberio dedicauit. sic enim de ipso Diogenes Laërtius: Τίμων ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς, ὁ παρ' ἡμῶν, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τοὺς σίλλους ὑπομνημάτων, ὃ προσφωνεῖ Τιβερίῳ καίσαρι. *quæ verba sic vertuntur:* Timon Apolloniates Nicæus, qui apud nos, in primo (*libro*) commentariorum in Sillos, quos *quidem commentarios* dedicauit Tiberio Imperatori. *alij male verterunt* Timon Apolloniates Nicæus, de quo in primo commentariorum in Sillos libro diximus. *quæ verba significant Diogenem Laertium scripsisse commentarios in Sillos. Atqui Timon Nicæus illustrauit Sillos alterius Timonis, qui vixit tempore Philadelphi Regis, non Diogenes Laertius.*

De Fabiano Papirio insigni philosopho, quem audiuit Seneca. Cap XVI.

Fabianus Papirius magnus fuit philosophus, summa cum laude philosophiæ Romanæ accersendus, Romæ philosophatus gloriose. libri eius inscribebantur Ciuilium: videntur igitur egisse de Morali philosophia. Lucillius tamen, ad quem scribit Seneca sic eos legit, vt scripserit suæ non respondisse expectationi, quin & stylum eius accusauit. hinc Seneca Lucillio respondens lib. I Ep. C. ait: oblitus de philosopho agi, compositionem eius accusas *Mox eum tuetur nec tacet à se cum doceret auditum.* Mores ille non verba composuit, & animis scripsit ista, non auribus. ipso dicente non vacasset tibi partes intueri: adeo te summa rapuisset. *vide quæ plura sequuntur in eadem epistola, vbi etiam ait:* After quem Fabiano possis præponere. dic Ciceronem, cuius libri ad philosophiam pertinentes totidem sunt, quot Fabiani, cedam. *vides quam multa Fabianus scripserit de philosophia quæ tamen omnia perierunt. addit Fabianum postponendum etiam Asinio Pollioni sed post Asinium, & Liuium, & Ciceronem omnibus præponendum. quod maximæ laudis est* vides quam multos antecedat, qui a tribus vincitur & tribus eloquentissimis. *Ep. lviij. ait Fabianum in suis libris dixisse* essentiam & *quidem post Ciceronem.* auctorem huius verbi habeo si recentiorem quæris, Fabianum disertum, & elegantem orationis etiam ad nostrum fastidium nitidæ. *videtur igitur Fabianus sub Caio, aut Claudio floruisse quē etiam Plinius lib. I. inter scriptores recenset.*

Stoicos putasse, sed male animam esse corpoream, licet tenuissimam & dubitâsse de eius immortalitate. perpenduntur quædam verba Senecæ. Cap. XVII.

S*Toici tempore Senecæ non putabant prorsus esse immortalem animam, quandoquidem aiebant* animam hominis magno pondere extriti permeare non posse, & statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber, *vt narrat Seneca lib. I. Ep. LVII. sic nonnulli putant Homerum putasse animam eorum, qui pereunt in aqua prorsus interire, non quod non possit pertransire, sed quia igneæ dicebatur illis temporibus esse naturæ, atq. adeò ab aqua, quæ extinguit ignem, opprimi, & suffocari. Stoicis suis contradicit Seneca, cum putet animam, quamuis eam faciat corpoream adeò esse tenuem, vt incolumis possit peruadere.* animus qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest nec intra corpus affligi: sed beneficio subtilitatis suę per ipsa quibus premitur erumpit. *Tertullianus, qui & ipse corpoream statuit animam ait tam tenuem esse, vt de* corporalitate periclitetur. *quasi dicat eam tantum non esse incorpoream. Veteres sanè ante Aristotelem, vt Democritus, Heraclitus, & forte alij, tribus metiebantur animam sensu, motu, & incorporeo. Ergò incorporeum vocabant non prorsus corporis expers, omniq. quantitate carens, sed subtilissimum, tenuissimum, nam quod mouetur, & sentit id aliquatenus sit corporeum necesse est. alio autem sensu animam dixit esse incorpoream Aristoteles sensu nempe quo formam*

ap-

appellat incorpoream, quam opponit materiæ, quæ corporeitatem secum trahit.

Sed reuertamur ad Senecam. ait ipse animam adhuc igne tenuiorem *esse. ignis scilicet etiam aëre tenuior est, sed ignis purus, & cœlestis non noster iste, qui terreas partes ob alimentum, quo indiget admixtas habet.*

Immortalitas porrò animarum non erat prorsus extra controuersiam apud Stoicos, quamuis nos de ea prorsus non ambigamus. Panætius sane insignis inter Stoicos immortalitati animorum infensus fuit, vt narrat Cicero, & ego suo loco indicaui. Seneca autem sic: de animo quærendum est: An possit immortalis esse. Hoc quidem certum est, si superstes est corpori, propter hoc illum nullo genere posse perire, propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxium æterno est. *quæ verba ostendunt Senecam existimasse animum aut immortalem prorsus esse, omnemq. animam nulla excepta esse immortalē, aut omnem animam esse mortalem. nec videtur ea in re extra ambiguitatem de immortalitate animorum fuisse.*

Alexandrum Ægæum nequaquam esse auctorem commentariorum in Meteora, & Metaphysicam Aristotelis. notatur negligentia Diogenis Laertij. Cap. XVIII.

Commentarium in Meteora, & Metaphysicam Aristotelis Fr. Patritius tom. I. lib. III. discuss. Peripat. detrahere satagit Alexandro Aphrodisæo, & tribuere Ale-

xan-

xandro Ægaeo nescio an solidis motus argumentis. interim seipsum confutat Patritius, nam ex numero librorum Aristotelicorum eijcit Meteora, & Metaphysicam, quia ipsorum nõ meminit Laertius. sed Alexander Ægaeus longè antiquior Laertio eos tanquã germanos foetus Aristotelis suscepit, quandoquidem commentarios in ipsos scripsit. At, inquit, in commẽtario in Meteora Alexander facit mẽtionẽ Sosigenis praeceptoris sui Sosigenes vixit tẽpore Iulij Caesaris: ergò qui eum appellat praeceptorẽ est Alexander Ægaeus, non Aphrodisiensis.

Duo possumus regerere. potest fieri, vt haec verba de Sosigene praeceptore ab aliquo sciolo inserta fuerint. sic enim ipse Patritius vt soluat nodum, in quem inducitur dum reijcit commentarium in Metaphysicam, quia in eo fit mentio Alexandri Aphrodisaei, inquit: id cur non à sciolo aliquo credamus appositum?

Possumus etiam dicere Sosigenem alium fuisse praeceptorem Alexandri Aphrod. vt plures fuerunt Alexandri philosophi, potuerunt etiam esse plures Sosigenes.

Vix autem credibile est Alexandrum Ægaeum, qui vixit sub Nerone fuisse discipulum Sosigenis, cuius opera annum correxit Iulius Caesar. ferè enim centum anni sunt à Caesare ad Neronem, nam si Alexander Ægaeus fuisset discipulus Sosigenis floruisset sub Augusto atq. adeò eius aliqua mentio facta fuisset. finge autem fuisse viginti quinq. saltem annorum Alexandrum cum occideretur Iulius Caesar, ad quam decrepitã aetatem peruenisset, vt instrueret Neronem, in quo desijt Caesarea successio? quot enim annos imperauit Augustus, quot Tiberius, & Claudij adeo fuit breuis principatus.

Sed

Sed ne scrupulus haereat lectori de auctore Meteororum, quae tribuuntur Alexandro Aphrodisaeo, qui vocat Sosigenem praeceptorem, sciendum praeter Sosigenem Astronomum, qui vixit tempore Iulij Caesaris, fuisse alium Sosigenem philosophum peripateticum cuius meminit Dexippus in praedic. Aristot. cap. III. is enim scripsit de ijs quae dicuntur: & videtur vixisse circa tempora, vt potuerit esse praeceptor Alexandri. errat igitur Patricius quia vnum Sosigenem nouit, qui vixit tempore Iulij Caesaris: cum tamen Dexippus memoret alium peripateticum philosophum, quem putamus fuisse Alexandri Aphrodisaei Magistrum.

Quantopere autem vacillet fides Laertij in recensendis Aristotelicis libris ex eo disce, vt alia omittam, quod magno consensu Antiqui libros Metaphysicorum tribuunt Aristoteli, quos tamen per magnam negligentiam praeterijt Laërtius. longum foret recensere eos, qui Metaphysicam tribuunt Aristoteli.

A Boetio inter philosophos recensitum Lucanum. agitur de mundi conflagratione, aut renouatione. Cap. XIX.

N*Oli ambigere Lucanum inter philosophos esse referendum. apud Boetium lib. IV. prosa sexta sic loquitur philosophia:* & victricem quidē causam dijs, victam verò Catoni placuisse familiaris noster Lucanus admonuit. *Multa profectò prorsus Stoicè & grauiter prolata legere est apud ipsum, qualia sunt quae de conflagratione mundi proferuntur. aduersus quam sententiam acerrimè*

pu-

pugnat Philo, vbi etiam ait aliquos ex Stoicis deseruisse talem opinionem, quam tamen adstruit quoq. Ouidius in primo Transform.

Esse quoq. in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, subiectaq. regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

quæ tamen verba non videntur prorsus dare exitio mundum, cum præferant exustionem quandam, qua tantum laboret, non pereat mundus. nam Plato illuuionibus & incendijs obnoxium faciebat mundum, non tamen asebat prorsus periturum. neq. est quod quis obyciat verba ex Timæo: Tempus cum cœlo factum, vt simul facta simul etiam dissoluantur, si quando solutio quædam ipsorum futura est. *nam quod de dissoluendo mundo dixerat ex sententia Democriti, & Heracliti protulit, mox quasi reuocat, ostenditq. se quando de mundo agitur non velle prorsus obstinatum esse & mordicus tueri sua dicta. quamuis ergò existimet non periturum mundum, non tamen putat vt omnino absurdum reijciendum effatum eorum, qui docuerunt mundum dissoluendum. Magno autem consensu Platonici tradunt mundum non esse periturum, licet vt dixi,* eluuionibus & incendijs *quibusdam eum obnoxium faciãt, quæ tamen non totum perdant, neq. cœlum attingant, vt propterea nesciam an philosophicè aut saltem secundum Platonem locutus sit Ouidius, quando dixit* correptaq. regia cœli
Ardeat.

Mirum porrò est Lucanum Stoicum, quando agit de interitu mundi conflagrationis, & ἐκπυρώσεως non meminisse, sed tantum dissolutionem & confusionem ob oculos posuisse.

gantur, & perpendantur eius verba.

Sed S. Petrus II Ep. cap. III. conflagrationem disertis verbis videtur nobis ob oculos ponere dum ait: Cœlum istud quod nunc est, & terra igni reposita sunt in die iudicij, in qua cœli fluminis instar præteribunt, elementa autem incensa resoluentur: & terra, & quæ in ipsa sunt colliquescent, & cœli inflammati, & elementa liquescent. *hæc S. Petrus, qui sic exponitur à viris doctis vt nomine cœli non intelligatur sidereū, sed aereum, neq. putemus mundum periturum sed renouandum. videnda prorsus sunt, quæ ex S. Patribus congerit vir doctissimus Sixtus Senensis lib. VI. biblioth. Sanctæ annot. CCLXL. vbi tamen non præterire velim S. Epiphanium existimasse homines beatos habitaturos post iudicium hanc terram & quidem perpetuo tempore, de qua quidem sententia videndus est etiam eruditissimus Petauius, qui rectè monet non eo modo id asseruisse S. Epiphanium, vt asserebant Millenarij. Quod autem secundum Platonem mundus non interiturus sit ostendit Philo his verbis prolatis ex Timæo:* ex his quatuor singula integra mundus in suam recipit substantiam. ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipsius faber eum ita composuit, vt nullam cuiusq. partem aut vim extra relinqueret, idq. hac ratione fecit, primū vt totum hoc animal quam maximè perfectum ex perfectis partibus esset, dein vt esset vnū, cum nihil extra relictū fuerit ex quo generetur alterum, deniq. ne quis id morbus, ne quod senium attingeret. *vide plura ibidem.*

Quæres cur tanta contentione defenderit mundi incorruptibilitatem Philo, si Romæ congressus est & locutus familia-

viter cum S. Petro, cuius tamen verba prorsus contraria philonianæ disputationi? respondendum est Philonem si congressus est cum S. Petro, absq. dubio non amplexum fuisse omnia, quæ ab ipso proferebantur, nam Philonis scripta Platonis doctrinam, non Euangelicam sapientiam olent.

In quem locum transferat animam Pompeij Lucanus more, vt videtur Stoico. de sede animarum quid prodiderint Poetæ. Cap. XX.

Stoicum se esse ostendit Lucanus, quando lib. IX. in principio de anima Pompeij sic scribit:

sequitur conuexa Tonantis
Qua niger astriferis connectitur axibus aër
Quodq. patet terras inter, lunæq. meatus,
Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Stoicorum namq. sententia fuit circa lunam habitare animas quod discere est ex Tertull. de anima cap. LIV. in æthere dormitio cum puerarijs Platonis aut in aere cũ Ario, aut circa Lunam, cum Endymionibus Zenonis. *sed nescio annon Lucanus voluerit dicere animam Pompeij in circulo lacteo fuisse collocatam. nam Cicero in VI. de Repub. ibi Heroum animas degere affirmat, cui concinit Manilius. at præter aliorum opinionem lacteum circulum collocat idem Lucanus inter terras, & lunam, qua in re forte voluit sequi Aristotelem, cui circulus lacteus in aere est contra Astronomorum consensionem, quibus quidem Astronomis*

mis magis est habenda fides.

Nescio porrò an sibi constet Lucanus, nam ait animam Pompeij peruenisse ad spatium, quod est inter terras, & lunam, in quo spatio degunt Heroes. mox subiungit animam collectam fuisse in æternos orbes, & se impleuisse vero lumine cæpisseq. mirari vagas stellas, & astra fixa polis. Ergo necesse est aeri subductam animam vsq. ad supremum peruenisse ætherem. nec enim aër æternorum orbium potest habere nomen. videant eruditi, qua ratione debeant explicari Lucani verba.

Sed quærere iam lubet cur Lucanus animam Pompeij trasmittat in cælum, cum tamen sub Republica non esset in vsu cuiusquam hominis ἀποθέωσις. *Respondendum non in vsu fuisse morem apotheoseos, ausum tamen Tulliũ in VI. de Republica dicere animas eorum qui bene essent meriti de Republica auolare ad circulum lacteum, ne dicam Romanos credidisse Romulum repositum in cætu Deorum immortalium, quamuis id singulare fuerit in Romulo, qui natus fuit ex Marte.*

Postquam autẽ Cæsaris anima credita est ad sidera abijsse ob sidus crinitum, quod ipso interfecto apparuit, deinceps cæperunt adscribi publico ritu imperatores, hinc poetæ blandientes ijsdem Imperatoribus multa dixerunt de ipsorum animabus recipiendis suo tempore inter sidera. Virg. Ecl. IV.

Ille Deûm vitam accipiet, Diuisq. videbit permixtos Heroas *quod à nonnullis refertur ad Augustum. alibi*

Sub pedibusq. videt nubes, & sidera Daphnis.

id à quibusdam transfertur ad Iulium Cesarem. Ouidius vlt. Transform. de anima Cæsaris ait quod Venus non passa

fuerit solui in aera, sed intulerit cœlestibus astris.

simul euolat altius illa
Flammiferumq. trahens spatioso limite crinem
Stella micat. *sub finem de Augusto sic loquitur:*
Tarda sit illa dies, & nostro serior æuo
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat cœlo.

Virgilius in primo Georg. accuratè de futura apotheosi Augusti agit:

Anne nouum tardis sidus te mensibus addas, quà locus Erigonem inter, chelasq. sequentes panditur.

ad quem locum notat Seruius voluisse maiores in his signis esse Deorum domicilia.

Dices, Manilium de circulo lacteo locutum, vt Deorum domicilium inueniret. respondendum, aliam videri sedem Deorum, aliam Heroum: heroes enim censebantur illi, qui ex hominibus facti erant dij. Ouidius tamè in 1. Transform. circulum lacteum docet esse viam, qua tenditur ad sedem Iouis.

est via sublimis cœlo manifesta sereno
Lactea nomen habet.
Hâc iter est superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemq. domum.

Innuit Iouem degere in sublimiori loco, supra sedem semideorum, siue Heroum. vt verò ad Virgilium de Augusto loquentem reuertamur, rectè ipse Cæsari locum tribuit inter Virginem, & Scorpium, inter iustitiam, & virtutem.

Lucanus quoq. licet odisset Neronem, ei tamen blandiendo pollicetur cœlum, & amplioribus quidem verbis quam Virgilius:

Astra

Astra petes serus, prælati regia cœli
excipiet gaudente polo.
tibi numine ab omni
Cedetur.

non omnia transcribo. Statius non minus blanditur Domitiano [illegible]

licet arctior omnis
limes agat stellas.

Ne miremur si Lucanus, si Statius, si Virgilius non loquantur de via lactea, vbi collocantur à Cicerone, & Manilio Heroes: nam Cæsares inter Deos non semideos satagunt referre. dubitandum autem non est apotheosin Imperatorum, & morē referendi eos inter diuos ortum habuisse ex eo, quia post Cæsaris cædem apparuit stella, quam Romani sunt interpretati animam Imperatoris occisi, volueruntq. credi Imperatorum animas fieri Deos, & mundum regere.

Libertate quadam philosophica videri Lucanum appellasse Alexandrum prædonem. quid dici possit ad defensionem Alexandri? Cap. XXI.

P*Hilosophicam in scribendo libertatem præfert Lucanus dum lib. X. Alexandrum vocat* felicem prædonem. *quod ipsi obiectum à maritimo prædone, quem vocant piratam. philosophia profectò quæ vult nos paucissimis esse contentos omnes imperiorum fundatores videtur perstringere, vt prædones. quò referenda sententia S. Augustini.* Magna imperia, magna latrocinia. *Cur enim inquit: Persas,*

sas, & Indos Alexandrũ vt prædaretur regiones illas. hinc Lucanus ait: non vtile mundo
Editus exemplũ, terras tot posse sub vno esse viro. *putat ergo magna imperia Lucanus perniciosa esse humano generi. Cur ita? quia necesse, vt Rex procul sit à prouincijs; hinc fit vt præsides vexent miseros populos. quam verò longum suscipiendum est iter, vt quis querelas ipsi Regi exponat? Reperti tamen nostra tempestate homines profectò inepti, qui cuperent totum terrarum orbem vni subesse. id nunquam fuit, nec vnquam erit. nam magnorum Regum exercitus ad remotas admodum regiones profecti vix proficiunt aduersus populos, qui suis latebris, suisq. propugnaculis muniti, & tecti magna cum difficultate subiugari possunt. sed reuertamur ad Alexandrum, quem aliquis forte sic tuebitur. nam Persas vlcisci voluit ob iniurias, & damna illata Græciæ. voluit etiam eos expellere ex locis, quæ tunc detinebant nam & pater Philippus meditabatur bellum Persicum, quando interemptus est. Eadem mens erat Iulio Cæsari. sic se gessit Iulianus Imp. dices nullum esse bellum iustum nisi necessarium. sed tempore Alexandri, Iulij, Cæsaris, & Iuliani Persæ, & Parthi pacem colebant. non erant ergo aliqua afficiendi molestia.*

Respondendum est, non semper posse nos vlcisci hostem. cogimur quandoq. ob imbecillitatem, & temporum iniquitatem differre repetitionem rerum nostrarum. quando ergo succedit aliquis Patri, non tenetur stare pactis initis ab ipso sed potest, si velit, experiri bello, & conari ablatas vrbes recuperare: isq. censebitur gerere bellum necessarium. omne enim bellum, quo recuperantur res ablatæ, iustum est, &

ne-

necessarium censetur. sic ergò defendi posse videtur Alexander militans contra Persas.

At qua iniuria, inquies, affecti fuerant Græci ab Indis? Indorum tamen Regem Porum lacessiuit, & oppugnauit Alexander libidine imperandi motus, & inflammatus. quid ad eius defensionem dici queat vix habeo. nam locus nullus est vltioni, vbi non illatæ sunt iniuriæ cum præsertim sciamus Alexandrum ideò inuasisse Indos, vt æquaret gloriam Liberi patris, & inter Deos tandem referretur. hinc ergo factum, vt puto, vt Lucanus prædonem ipsum nominauerit. Nam & de Romulo sic locutus est Iuuenalis, in fine Sat. X.

Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Vult enim dicere prædonem, & latronem fuisse Romulum, qui pessimos homines conuocauit, vt regnum fundaret.

De alio Canio non philosopho. *refer ad p. 130.* Cap. XXII.

P*Hilosophus seuerus & arduus Canius, de quo loquitur Seneca nequaquam confundendus cum alio Canio Gaditano, qui vixit tempore Domitiani, quiq. fuit vir iocosus, & Martiali iunctus amicitia, sic enim Martialis lib. I. Epigr. LXII.*

Gaudent iocosæ Canio suo Gades.

quodq. Canius fuerit iocosus discere est lib. I. Ep. LXX. quod epigramma ostendit eum velut satyrum aliquem frequenter admodum ridere. Gades porrò dictæ sunt iocosæ, quod Gaditanæ puellæ ad voluptatem facerent, luderentq.

mi-

mir ficè: hinc factum vt idem poeta alibi eas improbas appellauerit. aptè autem iocosas vocauit Gades Martialis cum de Canio loqueretur illinc oriundo, cum dignus admodum esset sua patria vir iocosus, & sale multo abundans. non erat ergò quod Ramirez reprehenderet Raderum, quod putdris iocosas dictas Gades à Martiali etiam Canij, qui facetus admodum & vrbanus erat, causa. Gades scilicet erant digna Canio, & Canius honore suis salibus afficiebat patriam.

Adhuc describitur Stoicismus Deciani oriundi Emerita. *refer ad pag.* 187. Cap. XXIII.

I*Is quæ de Deciano prolata sunt, addenda est patria Emerita. Emerita, inquam, fuit oriundus Decianus; testatur id Martialis lib. I. Ep. LXII.*

Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.

*qui quidem Decianus & probus, & doctus admodum fuit. nam lib. I. ep. XL sic eum laudat Martialis, vt dicat esse Ce*cropiæ Latiæq. Mineruæ artibus madidum, recti custodem, imitatorem honesti, & nihil arcani qui roget ore Deos, magnæ subnixum robore mentis. *nonne hæc ostendunt Decianum ad Stoicam sapientiam composuisse mores, nec contentum fuisse cortice Zenonij dogmatis? Certè Persius, qui Stoicus & ipse fuit inuehitur in sui seculi homines, qui claris verbis videbantur à Dijs petere* mentem bonam, famam, fidem, *cum interim introrsum alia optarent. vir scilicet sapiens, verusq. Stoicus non petit ea, nō cupit nisi quæ palam efferri possunt, damnatq. eos, qui quasi su-*

du-

ductis Dijs committunt sua vota, vt scilicet ille, cuius bonis inhiant, quamprimum moriatur.

De quodam Pannico qui disserens de philosophia turpiter viuebat. *refer ad pag. 189.*

Cap. XXIV.

N*On meretur inter philosophos recenseri, qui de decretis philosophorum disserit, vt sua vitia tegat. Tales multi erant Romæ, qui turpem notam inurebant philosophicæ sapientiæ, in quos grauissimè inuehitur Iuuenalis satyra quæ incipit:*

Vltra Sauromatas fugere hinc libet.

inter huiusmodi philosophiæ carcinomata, & dehonestamenta referendus est quidam turpissimus Pannicus, de quo Martialis scribit lib. IX. Ep. XLVIII.

Democritos, Zenonas, inexplicitosq. Platonas,
Quicquid & hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor & hæres,
Præpendet mento nec tibi barba minor.

mox eum inter hircosos, & pilosos recenset, eiq; fœdissimam obijcit voluptatem, de qua sileri debet inter m. destos homines. vult autem sibi responderi à Pannico quod dogma sit præcidi, quam interrogationem proponit, quia dixerat:

Tu qui sectarum causas, & pondera nosti.

alludit ad vocabulum sectæ, quod dictum est à secando. hinc quærit: præcidi quod dogma esset nam si tu nosti quid sibi velint sectæ, scies etiam quodnam sit decretum, quæ sententia, quæ agit de præcidendo. sed abeat Pannicus iste procul à sapientiæ theatro.

De Adriano Imperatore addicto vanitati Astrologicę quanti pere [illegible] in re ab hominibus infatuentur. Cap XXV.

AElij Spartiani de Hadriano sunt verba: Mathesin sic scire sibi visus est, vt serò Calendis Ianuarij scripserit quod ei toto anno posset euenire: ita, vt eo anno, quo perijt vsq. ad illam qua est mortuus scripserit quid acturus esset.

Adeo inualuerat Romæ mos habendi fidem Astrologis, vt valde multi ephemerides sibi iuberent conscribi, quas subinde inspiciebant, nec quicquam temere suscipiebant talibus ephemeridibus non inspectis. Vocantur enim ephemerides scripta Astrologorum, quibus indicant, quid ei, à quo consulti sunt, quoq. anno, & mense, imò & die euenturum sit. Adrianus porrò tantum profecerat in eiusmodi arte, vt opera Astrologi non indiguerit, sed ipse sibi Ephemeridem composuerit.

Insaniam porrò ipsarum etiam fœminarum credentium Astrologis perstringit grauissimè Iuuenalis satyra sexta.

Illius occursus etiam vitare memento
In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum cõsulit, & iam
consulitur: quæ castra viro patriamq. petente,
Non ibit pariter numeris reuocata Thrasylli.

Vbi vides Romæ solitas ipsas etiam mulieres Astrologiæ dare operam, & exercere Mathesin. Tantopere occupauerat animos eiusmodi superstitio. Igitur ipsæ mulieres coniectri-

ces

cos erat, & sydera inspiciebant, euentusq. hominum scrutabantur. Scholiastes interpretatur nomen ephemeridum membrana Mathematicorum actus diurnos *scilicet continens. ne ergò miremur Adrianum Imperatorem sibi conscripsisse Ephemeridem, si ipsæ mulieres Romæ eiusmodi membranas sibi parabant. sapientiores autem philosophi Astrologiam apotelesmaticam siue iudiciariam visi sunt improbare, deq. talibus Astrologis visus est loqui Plato in Timæo:* in aues homines transeunt illi, qui simplices, & innocentes cum sint, leues tamen sunt, & frustra in rebus sublimibus curiosi, quiq adeò fatui sunt, vt oculorum iudicio confisi, hoc altissima quæq. firmiter demonstrari posse non dubitent. *quibus verbis nequaquam existimandus est Plato damnasse legitimam Astronomiam, quæ cursum cœlestium corporum metitur, sed eam, quæ inuenta est ab Indis, & Chaldæis ad prospiciendos actus hominum aut felices, aut aduersæ obnoxios fortunæ. contra quos Chaldæos disputat etiam vir sapiens Plotinus, in libro:* Vtrum stellæ aliquid agant.

Concinit Plotino doctissimus Simplicius in Enchiridion Epicteti cap. III. eius verba iubet transcribere: Contra eos qui cœli motus certos atq. orbes non actiones solum nostras, sed & electiones etiam cogere nihilq. in nobis relinquere, verum tantum nomen esse hoc, quod liberum arbitrium appellamus, dicendum est. si ingenitus incorruptibilisq. est animus rationalis quod nunc tanquam suppositum accipiatur, cum alibi demonstratum sit, licet Stoici aliud de eo opinati sint; si igitur ingenitus est, & incorruptibilis animus ratio-

nalis, ipse quidem submotis causis subsistere non dicetur. *vide apud eundem totam disputationem eamq. accuratè perpende, vt intelligas quatenus aliquid ex astris de humana vita cognosci potest.*

Nam quod ingenitum ait esse animum, vt ostendat esse incorruptibilem contra Stoicos, qui corruptioni faciebāt eum obnoxium, id sic explica, dicq. putasse Simplicium ab aeterno fuisse animum, non quod careat causa. nam veteres illi omne, quod gignitur nunc & producitur putabant esse corruptibile. nos verò asserimus animum esse immortalem, quia à D-o quotidie creatur, non autem fit ex causis naturalibus. Etsi autem non idem dicamus cum Simplicio de origine animæ, nec asseramus fuisse ab aeterno, cum ipso tamen eius immortalitatem tuemur aduersus Stoicos, & contra Astrologos negamus eam cogi, & carere sua libertate.

Platonicum porrò agit Simplicius dum ait: quoties forma puniens diuinæ bonitatis cum hoc loco certæ habitudinis respectusq conuenerit, tunc in illum locum animi punitione indigentes demittuntur. omnibus enim in rebus similitudo, & familiaritas conciliatrix est.

talem demissionem ex astris, tálemq. punitionem nos nequaquam agnoscimus, interim accipimus vt vera hæc verba Simplicij: vt autem bene vel male vtantur vita, in seipsis potestatem habent.

Pergit, & inquit: viuendi modos ac species, veluti rusticanam. vel Mercatoriam, vel musicam animi ipsi secundum priorem habitum eligunt, & Deus ipsis pro dignitate distribuit. *hoc itidem Platonicum est præexistem-*

stentiamq. supponit animorum, quam praeexistentiam non agnoscimus. *Mox rectè ait*, viuendi qualitatem ab ipsis animis adijci, *ne quis putet à Fato cogi, nosq. arbitrij carere libertate: nunc versiculis alloquamur Adrianum Imperatorem deditum vanitati Astrologicae.*

Cur curiosus, Adriane, suspicis
 Orbes, & astrorum vias
Motusq. siderum notas vagantium?
 Quin quae remota sunt polo
Toto, Deûm excelsa domo, domo Iouis
 Relinque, & imminentia
Gnauus sagaxq. sustine negotia.
 Sic incly tum perennibus
Te Principem canent Camoenae versibus,
 Moriq. Phoebus non sinet.

De Plotini praeceptore Ammonio, quem Porphyrius dicit fuisse Gentilem, fuisse Christianum contra Porphyrium testantur S. Hieronymus, & Eusebius. Cap. XXVI.

Plotinum diximus profecisse sub Ammonio, imò vndecim annorum spatio apud ipsum vixisse. quis autem non miretur discipulum, qui tantopere mirabatur praeceptorem, non fuisse illustratum lumine sapientiae Christianae, sed haesisse in dogmatibus Platonicis, eaq. porrò alijs tradidisse, & monumentis litterarum mandasse? nam S. Hieronymus, & Eusebius disertis verbis docent Christianum fuisse Ammonium, quin addit Eusebius ab eo exaratum librum

brum

brum de consensione Mosis, & Iesu. Porphyrius fatetur Ammoniũ Christianum fuisse cum puer esset, sed spreta Christiana religione adhaesisse gentilibus philosophis: cui fidem habere quia non possumus, rursus miramur ex eiusdem schola Platonica dogmata Origenem sic hausisse, ut ipsa ad intervertendam interpolandam religionem Christianam transtulerit, qua de re conqueritur Iustinianus Imperator, conqueruntur alij. auditum etiam non est unquam sedisse in cathedra philosophica Alexandrina philosophũ Christianum. nam Origenes Alexandriae non docuit è cathedra philosophica, sed Catechista fuit, docuitq. Christianos adolescentes, licet privatim de philosophorum dogmatibus dissereret, omnibusq. sui copiam faceret. An ergò negandum est Ammonium praeceptorem Plotini, & Origenis fuisse Christianum? negandum id nequaquam est propter auctoritatem S. Hieronymi, & Eusebij, quicquid dixerit Porphyrius in vita Plotini. non igitur contradicimus affirmantibus de religione Christiana Ammonij, quem tamen testatur Hierocles conatum conciliare Aristotelem cum Platone, & induxisse talis concordiae rationem. Cur quaeso Christianus philosophus fuit sollicitus de concordia illorum philosophorum, cum qui scribebant illa tempestate pro religione Christiana de discordia duorum philosophorum gloriarentur, eaq. ad confutandos gentiles uterentur? Cur etiam Ammonius cum Christianus esset è sede celsa Platonis dogmata interpretabatur, quae tamen contraria sunt veritati Christianae pluribus in rebus? huic obiectioni sic forte occurrere licet, ut dicas etiam Boetium qui tamen Christianus erat, conatum ad concordiam revocare Platonem, & Aristotelem, atq. etiam interpreta-

tum

tum sententias Aristotelicas, quæ tamen nostræ religioni in multis aduersantur.

De Origenis Romam aduentu, de eius aut defensione, aut damnatione proferuntur nonnulla.
Cap. XXVII.

ALiquid deesset Progressui Philosophiæ apud vrbem Romam si Origenes omitteretur, de cuius aduentu sine dubio sibi gloriata est vrbs regina rerum. quantus enim fuerit in philosophia, quam latè patuerit eius cognitio, quanta facilitate peruaserit omnis philosophorum latifundia, ad omnium scholarum penetrarit hypotheses, pertigerit arcana nos satis superq. docent verba Porphyrij in vita Plotini, quæ cum notissima sint, non hic à me repetuntur. quod verò vrbem Romam adierit Origenes, tradit Eusebius lib. VI. cap. XIV.* Adamantius verò (nam & id nominis erat Origeni) Romæ se sub Zephyrino tum temporis Romanæ Ecclesiæ præside alicubi scribit (*Alexander*) quod videlicet antiquissimam Romanorum Ecclesiam videre optauerit, ibiq. non diu moratus. *contigit id sub Antonino filio Seueri. quod non diu hæserit Romæ id vt puto causæ fuit, quia cupiebat quamprimum Alexandriam reuerti, multosq. instruere in Christiana fide, ad quam quidem iuuenes alliciebat tradenda philosophiam. hinc scribit idem Eusebius lib. VI. cap. XVIII.* & hæreticorum quoq. innumeri, & philosophorum præsertim illustrium non pauci studiose illum audierunt, & non solum in diuinis sed & in externa philosophia ab illo insti-

stituti sunt ad philosophicas disciplinas, quotquot ingeniosos videbat, induxit, illisq. Geometriam, & Arithmeticam, & reliquas artes liberales tradidit *hæc ille. sed cur Adamantius vocatus est Origenes? forte ob indefessum laborem, quem exantlauit in conscribendis tot voluminibus. Ruffinus Apol. in D. Hieronymum, sic scribit:* & istum quem modò chalcenterum tuum vocas, & pro merito laudabilis laboris ait Adamantium nominatum. *Didymus Chalcenterus fuit appellatus propter librorum multitudinem, & Hesichastes Ferratus est dictus.*

Cæterum ob Origenem, eiusq. scripta grauissima dissidia extiterunt inter viros Ecclesiasticos, aliquibus eum tuentibus, alijs & quidem pluribus damnantibus. nam qui eum tuebantur non defendebant omnia, quæ in ipsius scriptis extabant, sed aiebant ab hæreticis fuisse opera tanti viri deprauata & non debere commenta sectatorum summo homini impingi. pro Origene itaq. certârunt Pamphilus Martyr, cuius adhu. extat Apologia, Eusebiusq. nec S. Chrysostomus potuit induci, vt Origeni nigrum theta apponeret. Ruffinus acerrimè se gessit pro eodem contra D. Hieronymum. negat autem Pamphilus ab Origene negatam mortuorum resurrectionem, aut traditam animarum transmigrationem.

Attamen Synodus Alexandrina Origenem damnauit, de qua Synodo scribit S. Epiphanius ad S. Hieronymum, & Socrates, & Sozomenus, quin & Synodus VI. œcumenica in eius memoriam telum anathematis strinxit.

Et tamen nostris temporibus Origenis defensionem non dubitarunt aliqui suscipere, Picus Mirandulæ Princeps, nonnulli Parisienses, & nouissimè Genebrardus.

Apud Sidonium Apollinarem lib. II. Ep. IX. hæc leguntur verba: simul scientiæ viri lectitabantur, quos inter Origenes Adamantius Turranio Ruffino interpretatus seduló fidei nostræ lectoribus inspiciebatur: pariter & pro vt singulis cordi diuersa censentes sermocinabantur: Cur à quibusdam prothomystarum tanquam cauendus tractator improbaretur? quamquam sic esset ad verbum sententiamq. translatus, vt nec Apuleius Phædonem sic Platonis, neq. Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in vsum regulamq; Romani sermonis excripserint. *vides quantopere probauerit versionem Ruffini Sidonius. Gennadius sanè cap XVII. ait non rationibus sed factionibus damnatum fuisse Ruffinum. sed maior est auctoritas Pontificis Gelasij, qui opuscula quædam non omnia Ruffini repudiauit dist. XV. c. Romana Ecclesia. de altercationibus Origenis causa inter S. Hieronymum, & Ruffinum exortis videnda quæ accuratè summus vir Baronius exposuit, & expediuit.*

Vt verò ad Origenem reuertar, & imponã finem ijs quæ de ipso protuli, fateor me mirari tanta contentione à Genebrardo susceptam Origenis defensionem, cum tamen sciret à VI. Synodo œcumenica dictum illi fuisse anathema. An enim nos absoluemus eum quem Concilium œcumenicum damnauit?

Mammæa erga philosophiam propensa ad se iubet venire Origenem. Cap XXVIII.

TAnto affectu prosecuta est Mammæa Imperatoris Alexandri mater philosophiam, vt licet ipsa non esset

professas Christianam, tamen cum audiret quantus esset in omni scientiarum genere Origenes, quodq. omnes philosophorum opiniones apprimè nosset, eum ad se venire iussit, diuq. detinuit. quo tempore absq dubio multa non tantum de obiectis propositis audiuit, sed & auribus excepit arcana diuinarum literarum. Audiamus Eusebium lib. VI. histor. Eccles. cap. XXI. Mammææ Imperatoris Alexandri mater, mulier, si quæpiam alia pientissima, ac moribus religiosa, cum de Origene passim rumor vulgaretur, ita vt ad ipsius aures veniret, optatissimum ducebat, si viri illius aspectu digna haberetur, & sapientiæ eius circa diuina, quam omnes admirabantur, experimentum caperet, Antiochiæ commorata misso satellitio ad se illum vocat. apud hanc cum aliquandiu egisset, & plurima in gloriam Domini, ac diuinæ doctrinæ virtutem præstitisset, ad consuetam scholam reuertitur.

Videat iam lector an verisimile sit adeò infensum fuisse Christianis Vlpianum, cuius consilio in omnibus vtebatur Mammæa. nam quis credat fœminam pendentem ex consilio hominis Gentilis, qui magno odio prosequeretur Christianos vi iussisse ad se venire præcipuum ac clarissimum doctrinæ Christianæ interpretem, eumq. aliquandiu honorificè detinuisse, ex eiusq. ore multa de arcanis Christianorum dogmatum audiuisse? Apparet autem tunc Mammæam ad se vocasse Origenem, quando Alexander Antiochiam exercitum adduxit, cum iam magna clade fuisset affectus à Persis, qua de re agit Herodianus lib. VI. histor. vbi etiam videtur innuere eius nimiò indulsisse delitijs in ea vrbe Imperatorem.

ἀντιρκίτης αὐχῶν τῆς περὶ τὰ πολεμικὰ φροντίδος, ταῖς ὑποκελικαῖς ἐξόλαξι τρυφαῖς. potens scilicet erat urbs illa ad emolliendos animos suis delitijs, qua de re non pauca congeri possent.

Ob philosophiam extitisse mitem etiam erga Christianos Alexandrum Imperatorem, defenditur Vlpianus. *refer ad p. 419.* Cap. XXIX.

PRæceptis philosophiæ cum abundauerit Alexander Seuerus, delectatusq. fuerit sapientum Virorum consuetudine, mirari nequaquam debemus si nequaquam suas sanguine innocentum hominum fœdauerit manus, quam laudem ei tribuunt historici, qui simul non dissimulant eum bene erga Christianam religionem fuisse affectum, cum priuatim in larario coleret Christũ, cum laudaret sententiam illam profectam à Christianis: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. cum locum ijsdem Christianis tribuerit, in quo possent Ecclesiam construere. hanc lenitatem, mansuetudinemq. absq. dubio hausit à monitis sapientissimi Iurisconsulti Vlpiani, qui ei extitit tutor, cum anno XVI. suæ ætatis Imperator fuisset renunciatus. non ergò credibile est, quod tamen magnus Annalium conditor Baronius asserit, Vlpianum fuisse auerso prorsus animo erga Christianos eosq. odio prosecutum internecino.

Dices, si adeo mitis in omnes fuit Alexander, cur Seuerus appellatus est? responsio in promptu est, quia seuerum se præbuit erga prætorianos petulanter se gerentes, quam petulantiam induerant sub insano Heliogabalo, qui q. tandem optimum Principem Alexandrum, cuius seueritatem fer-

ferre non volebant impiè trucidarunt. sed quod dixi de Vlpiano, iubet exprimere versiculis.

An Vlpianus Christiani dogmatis,
Dicendus hostis efferus,
Qui tot seuera edicta trux conflauerit
Contra fidem, contra polum,
Et innocentum hic nunciorum fuderit
Sanguen cruento acinace?
Vix hoc mihi persuadet inclytus senex,
Lux purpuræ Baronius.
Nam Cæsar ille, natus in Syro solo,
Cui sancta iura condidit
Vsq. Vlpianus, extitit velut parens
Benignus, expers cædium;
Quo more, quaue mente Princeps optimus
Ab Vlpiano imbutus est.

Rursus de Lunæ globo, & cuius substantiæ sit. *refer ad pag. 478.* Cap. XXX.

AD Lunæ substantiam naturamq. cognoscendam sequentia adhuc conferre poterunt.

Porphyrius in Epist. ad Anebuntem Ægyptium teste D. Augustino de C. D. lib X. cap. XI. ait dæmones trahere humidum vaporem, & ideò non in æthere esse sed in ipso globo Lunæ *vides Porphyrium putasse Lunam non ambiri ab æthere, neq. esse in ætherea regione.*

Addit Lunam Magicis artibus cogi ad imperata faciendū, vt scilicet despumet. existimauit ergò Porphyrius obnoxiam esse

esse Lunam alicui alterationi, præter perfectiuam.

S. Augustinus enarratione in psalmum X. docet probabile esse lunam carere proprio lumine. Duæ, *inquit,* sunt de luna opiniones probabiles. harum autem quæ vera sit aut non omnino, aut difficillime arbitror posse hominem scire, alij dicunt non habere lumen proprium sed à Sole illustrari. *si probabile est Lunam carere proprio lumine, crede eam simillimam esse terræ, terrestrisq. esse naturæ.*

Macrobius in somnium Scip. cap. XI. A Luna deorsum natura incipit caducorum. illam ætheream terram physici vocauerunt, & habitatores eius lunares populos nuncupauerunt: quod ita esse plurimis argumentis, quæ nunc longum est enumerare, docuerunt. *vides Physicos Veteres nequaquam stetisse à partibus Aristotelis, neq. mutationes substantiales quæ fiunt in Luna, illi globo detraxisse.*

Non hic dicat aliquis me lunares homines adstruere, nam tantum historicum ago, ostendoq. quintam substantiam peripateticorum habuisse contradictores Physicos Veteres, qui nō paucis se muniuerunt argumentis, teste quidem Macrobio.

Idem scriptor plura nobis suppeditat lib. I. in somnium Scip. cap. XIX. Luna propria luce caret, & de Sole mutuatur. hinc necesse est fonti luminis sui esse subiectam. hæc enim ratio facit Lunam non habere lumen proprium. *mox subijcit, Lunam* quia sola ipsa sub Sole est, & caducorum iam regione luce sua carenti proxima, lucem nisi desuper posito Sole, cui resplendet habere non potuit. Lunam terram ætheream vocauerunt.

Idem tradit calorem infundi à lumine solari Lunæ, l. cit.

eius.

eiusmodi calor ad nos non deferatur. lucis radius, *inquit*, cum in Lunæ corpus infunditur, & inde resplendet: solam refundit claritudinem non calorem: nam & speculum cum splendorem de se vi oppositi eminus ignis emittit, solam ignis similitudinem carentem sensu caloris ostendit.

Laertius in vita Anaxagoræ ait eũ docuisse Lunam habitacula in se habere, & colles, & valles.

Plinius lib. II. cap. IX. non videtur ambigere Lunam accipere à terra humorem, imò ex eo colligit reliqua quoq. sydera, & Solem ipsum pasci terrena humores Sydera haud dubiè humore terreno pasci, quia orbe dimidio maculosa cernatur scilicet nondum suppetente ad hauriendum vltrà iusta vi. maculas enim non aliud esse quam terræ raptas cum humore sordes. *idem Plin. lib. II. cap. LXVIII. de Oceano*: sydera ipsa tot hac tantæ magnitudinis pascens. *Seneca quæst. Nat. lib. II. cap. V. tradit sydera ali à terra. Lucr.* vnde æther sydera pascit *Lucan.* Nec non Oceano pasci cœlumq. polumq. credimus.

Mirè profectò obdurant hac tempestate Peripatetici in neganda inæqualitate partium Lunæ, inq. summo lauore eius asserendo, cum tamen adminiculo telescopij deprehensa sit ingens diuersitas, eminentibus nonnullis partibus, alijs depressis vallium in modum. An enim licet in tanta luce negare vmbras iaci in orbe lunari? quæ quidem vmbræ varietatem experiuntur prorsus qualem in excelsis Alpibus oculis vsurpamus: à cacuminibus enim iacitur lux in aduersos vertices oriente sole, vallibus interim destitutis nitore radio-

diorum, qui iacuntur à Sole, dum paulatim Sole progrediente, & consurgente decrescunt umbræ, donec illustrantis ipsis quoq. vallibus prorsus tollantur, & aufugiant. Eandem progressum lucis, & decrementum vmbrarum, tibi quicunq. es, si modò non respuas tubum opticum, in Luna obseruare licebit, vt intelligas quanta sit inter terram, Lunamq. similitudo.

De Sopatri morte. reijcitur quædam narratio apud Suidam. Cap XXXI.

Sopatri in mortem obdurat fera Cæsaris ira.
Quid mirum? Natum sustulit illa prius.

AN verisimile est Sopatrum magicis dedisse operam artibus, & viribus clausisse ventos, ne possent spirare? non deest vir notissimus, qui plerisq. omnibus philosophis Magiam vetitam imputat. quod an iure faciat, doctorum hominum esto iudicium. Plotinum ex eo colligit fuisse Magum, quia ei apparuit Genius, passus se videri humanis oculis. Atqui & Brutus vidit Genium, nec tamen quisquam Magum fuisse testatur Brutum. Constat namq. vnicuiq. à natiuitate adesse Angelum custodem. an si quis eum videat, continuò Magus est appellandus? Nequaquam. ille demum magicis dicetur esse obnoxius præstigijs, si quis magico murmure, adhibitis ritibus, humano sanguine sparso cogat adesse genium, aut animam, eamq. interroget, & respondere cogat. Nihil autem huiusmodi legitur vel de Sopatro, vel Plotino.

Quod verò apud Suidam legitur Constantium ideò interere.

teremisse Sopatrum, vt ostenderet se non amplius Gentili esse addictum superstitioni, id etiam nescio an sit consentaneum veritati, nam antequam Byzantium se conferret imperator ille, palam religionem Christianam est professus, quod non minus Gentiles scriptores testantur quam Christiani. Caute igitur suscipienda sunt, quæ prostant in Collectaneis Suidæ, quandoquidem absq. delectu vndiq. ex scriptoribus siue dignis fide, siue sequioris notæ volumen illud conflatum est.

Probabilius autem ideò Sopatrum interemptum fuisse à Constantino, quia credulus Imperator fidem habuit subdolis aulicis calumniatoribus, accusantibus Sopatrum clausorum in viribus ventorum, ne cataplus posset Alexandrinus appellere Byzantium, frumentumq. deferre.

Apud eundem Suidam improbatur factum Constantini occidentis Sopatrum; nam dixerat à Constantino occisum eximium philosophum vt ostenderet Cæsar se non amplius esse addictum religioni Gentilium. hinc subditur apud Suidam: Sopatrum Constantinus non iustè occidit. Bonus enim est non necessariò, sed ex charitate, & Christus non vi cogit, sed charitate allicit. *alij dixerunt fidem non imperari, sed suaderi. sed vt dixi nequaquam credendum est religionis causa à Constantino cæsum fuisse Sopatrum.*

Gratias tibi, ò Deus omnium rerum conditor, & sospitator.

IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A [illegible]

AEgyptij coniungebant fratres cū sororibus. 403. vide etiam Babilus.
Aequitas an sit scripta. 529 aequitas quid sit secundum Aristotelem. 514
Aesculapius immittens somnia ad valetudinem facientia in tēplis pag. 349
Aeternitas confertur cum tempore. 590. 591. de aeternitate non egit Aristoteles. ibid. sed Pythagorei, & imprimis Architas. ibid.
Agar quid significet secundum Philonem. [illegible] 146
Agricultura olim apud Romanos plura suppeditabat quam nunc. 391
Agriculturae scriptores Varro, Cato, Columella. 391
Alcinous scripsit Isagogen ad Platonis doctrinam. 406. coniungitur cum Maximo Tyrio. ibid. docet secundum Platonem mundum esse compositum ex quatuor elementis. 248 249. non est exploratum quando vixerit. 406 407
Alexander Seuerus 415. eius Mater Mammaea laudatur 417. eius praeceptores contempti ab Heliogabalo 416. adoptatus a fratre. ibid.
Alexander Seuerus in sanctiore larario colui Apollonium Tyanaeum. 415 [illegible]
Alexander Aphrodisaeus 414. habuit praeceptorem Sosigenem. 615. scripsit in Meteora, & Metaphysicam Aristotelis. 613 614
Alexander Marsilius veronensis professor philosophiae in Gymnasio Pisano. 521
Alexander Magnus an praedo vocandus. 622
Alexander Aegaeus non habuit praeceptorem Sosigenem 614 nec scripsit in Meteora, & Metaphysicam Aristot. 16. vixit diu post Iulium Caesarem. ibid. [illegible]
Alexander Peripateticus praeceptor Crassi 58. 59. paupertatem coluit. ibid. modestiae exempla edidit. ibid. ostendit se non collocare finem in diuitijs. ibid.
Alexander Victorius Senator Florentinus, & Andreas Magnus Dux. 228
Ambrosius quid scribat de origine vocabuli homousion. [illegible] 321
Ammonius praeceptor Plotini [illegible] modum conciliandi Platonem & Aristotelem 440 fuit summus Vir. ibid. [illegible]
Ammonius praeceptor Plotini an Christianus. 639 640
Amelius Gentilianus [illegible]

Anneus Cornutus relegatur à Nerone 136
Anima quomodo dilabatur ad corpora, iuxta Platonicos 542 543 de anima ... 268 anima Pompeij post transletam ... Stoici ... esse corporeum 612. anima quatenus tribuit ... Democritus, & Heraclitus 612. anima quatenus genita vel ingenita secundum Platonem 284 285 286. 287. 288 289. ... anima nouo vocabulo dicta ab Aristotele 292. 293 294. ... secundum Aristotelem animā esse mortalem 292 293 294. anima secundum Gentiles ... sepulchri ... sepultus corporibus ... 592
Animæ secundum Stoicos habitant circa Lunam. 618
Anima Cæsaris credita transisse in cœlum 619
Animalia an vtantur ratione 473 474 475.
Annus correctus à Iulio Cæsare. 605 annus magnus secundum Platonem expositus. 470 471 472
Antiochus ... cum Luculo 49 auditus à Varrone. 61
Antoninus Caracalla occidit Papinianum. 545
Antoninus Pius 237 sub eo floruit philosophia. 237 238. eius mores ibid.
Antinous. vide Hadrianus.
Apia dicta à Seruio habere partem diuinitatis
Apicius ob culinariam artem Romæ magistatus 46
Apollonius Tyanæus venit Romam tempore Neronis. 159
Apollonius Tyanæus. vide Aurelianus Vespatianus, Alexāder Seuerus
Apollonius discipulus Panæcij. 604
Apollinis Palatini bibliotheca exusta. 457
Apuleius floruit sub Antonino. 241 in ipsum non pauca obseruantur. 242 & seq. explicat quatenus Plato dixerit aut mundum seu per fortè, aut ortum esse. 350 putat librum de mundo ad Alexandrum esse Aristotelis. 242 243
Arabes quando intulerint ex græco heri Arabicos Galenum, Aristotelem, & alios. 45
Archytas egit de tempore ante Aristotelem 586 fuit Pythagoræus. ibid. non fuit vllus Archytas Peripateticus. 518. Archytas Pythagoræus scripsit ante Aristotelem. 517 eius librum vide Simplicius. ibid. & ex eo nonnulla citauit ibid.
Argumen a Rhetorum ad vitam ciuilem inutilia. 40
Aristoteles non solus logicus 358 non peritus Geographiæ. vide Auerroës non candidè se gessit sitendo de Archita. vide Architas. non bene collocauit in ... circum ... lacteum. 618 an rectè finxerit nomen Entelechiæ. vide Entelechia. non loquitur de altera post hanc vitam. 602 videtur tollere scientiam certam futurorum in Deo. vide Futura con-

tingenfis, eius liber de mundo versus ab Apuleio. 242. 243. in eiusmodi versione nonnulla notantur. 242. 241. 245. non videtur esse [illegible] Acroamaticus sed exotericus. ibid.
Arius Alexandrinus philosophus carus Augusto. 113
Aristum audiuit Brutus. 6
Arrianus Nicomedensis laudatur 353 cõposuit, & illustrauit Enchiridion Epicteti. ibid. clarunt sub Adriano. 354. nonnulla scripsit ad Geographiam [illegible] ibid.
Armandus Cardinalis de Richelieu laudatur 223. deploratur eius mors 509. 510
Arnuphis philosophus an Magus 355 ægyptius ibid. pluuiæ admirandæ [illegible] author 355 356
Ariani quomodo exposuerint suam sẽtentiam de Filio. 321
Apes [illegible] 398
Assyrij coniungebant fratres cum sororibus. 403
Asdrubal Mõtacutus vir prudens. 387
Albonono [illegible] credendum de [illegible] quam Arist. 618 619
Ast[illegible] vanitas Adriani 626. [illegible] Romanorum ibid.
Astrologia iudiciaria improbata à Platone & à Simplicio. 627 628 contra Astrologos defensa arbitrij libertas. 628
Astronomi Sosigenis opera correxit annum Iulius Cæsar. 604
Asinius Pollio publicam bibliothecam instituit. 459
Athenæus philosophus carus Augusto 113
Athenæus Naucratita sub Antonino [illegible] Dipnolophistas. 324
Athenodori duo philosophi stoici 115 Athenodoro ausculrauit Augustus. ibid.
Athenienses coniungebant fratres & sorores. 403
Auerroes optimus Geographiæ 305 quando [illegible]
Augures instituti à Numa 16 an philosophi ibid.
Augustus noluit vocari dominus. 380
Augustus fautor philosophorum, & quorum 113 114 115 116 117 [illegible] tamen Fauonium 113 [illegible] declamauit in bello Mutinensi [illegible] declamatio. quem habuerit præceptorem in philosophia 113. Augusti apophthegmata 619
S. Augustini sententia contra Manichæos de duabus animabus. 318. eius sententia exposita. 608
Augustinus de [illegible] professor Metaphysicæ in Gymnasio Pisano. 520
Augustinus Mascardus [illegible] in Iosephum, & Tacitum vide Iosephus, & Tacitus.
Au[illegible] Longinum philosophum. vide Longinus quod ipsi dixerit Apollonius Tyaneus. 420

B

Babillus [illegible] Romanus, præfectus Ægypti. 124
Barbari homines [illegible] 10
Barbandi mos apud Romanos 390

Baſſianus Caracalla : vide Antoninus.
Baronij querela de ſeculo nono, decimo, vndecimo. 584
Beneuentanæ noctes quænam. 20
Beræ. vide Sophos.
Beſtiæ in aureo ſæculo non alentur ſanguine ſecundum Lactantium. 472
Beſſarion ... conficere ... Platonem & Ariſtotelem. 438 adhæret Platoni. 438
Bibliothecæ in vrbe Roma quot olim, quæ ... ſub ... 455 456 457
Bibliothecæ beneficio Luculli patebant ſtudioſis. 48
Bibliotheca Vlpia, Octauia, Palatina. 438
Bodinus ſolebat adſtare Henrico III. Valeſio prandenti. 377
Bibliotheca Apelliconis Teij Romam delata à Sylla. 51
Boetius an poſuerit præexiſtentiam animarum. 515
Boetius ſcripſit in prædicamenta. 567 non retulit prædicamenta ad Metaph. 569 572
Boetius inter philoſophos recenſuit Lucanum. vide Lucanus.
Boetius fuit Athenis philoſophiæ cauſa. 578
Boetius interpretatur verba Ariſtotelis de futuris contingentibus. 560 561 562
Boetius docet nomina non eſſe à natura. 550 557 558
Boetius quid putet eſſe apud Ariſtotelem affectiones, quarum ſigna ſunt nomina. 552
Boetius non negauit librum de Interpretatione eſſe Ariſtotelis 552 553
Boetius docuit nos philoſophando Deos fieri. 546 547 quomodo id accipiendum ibid. & 548
Boetius defendit Senecam. 545
Boetij verba de Incorporalitate animarum, & earundem lapſu in corpora perpenduntur. 540 541 542
Boetius quomodo diuidat philoſophiam. 524 525 526 527
Boetij tempore quot eſſent modi conſcribendæ libertatis. 523
Boetius quomodo definierit hominem. 522
Boetius putauit Naturam ſecundum Ariſtotelem tantum dici de corporeis ſubſtantijs. 419 420
Boetius putauit conciliare Platonem, & Ariſtotelem. 436
Boetius teſtatur Architam egiſſe de prædicamentis ante Ariſtotelem. 517
Boetij verba de ſtatu animarum extra corpora exponuntur. 515
Boetius dixit ius ciuile eſſe æquitatem. 513
Boetius occiſus præter fas à Theodorico. 517
Boetij ſocer Symmachus. 506 507
Boetius laudatur epigrammate. 507
Boetius conſul floruit philoſophia laude ſub Antonino. 540 delectatus lectionibus Anatomicis Galeni. ibid.
Brutus laudatur ob philoſophiam 611 fuit Platonicus ibid. & 612 an quædam verba protulerit contra virtutem iam moriturus. 64
Brugiotus Andreas Romæ quatuordecim dipnoſophiſtis parauit conuiuium. 377
Bulengerus ſcripſit de conuiuijs. 376
ura-

Bortelius putauit esse concordes Aristotelem & Platonem. 438 parui faciendus. ibid.
Byzantium postquam migrauit Constantinus an floruerit philosophia. 457

C

C. Cotta Pontifex defensor recentis Academiæ. 75 76. more Carneadeo disserit apud Ciceroné. 76
Caballo vno contentus Cato Censorius.
Cambises successit Cyro 397. cur ibid. 145
Carnibus vescebantur Genoles in sacris Matris Deum.
Categoriæ vocabulo nouus significatus impositus ab Aristotele. 522 an recte. 435
Catholici vocati Psychici à Tertulliano transfuga. 522
Catherinus Dauila debuit multum Catherinæ Mediceæ Reginæ. 201 scripsit de bellis Ciuilibus Gallorû ibid. 200
Canius Iulius sub Caio. 130. eius impauidus animus in excipienda morte. 130 de natura animæ mox moriturus disputanit. 130 131
Canius Gaditanus vir facetus. 623
Cassij philosophia Epicurea. 73
Catius Epicureus. 57
Carneades Atheniensis. 413 eius incredibilis doctrina. 30 31 multum tribuebat Chrysippo ibid
Calumnia Iudæi contra Monachos reijcitur. 158 159
Cæsar vsus opera Sosigenis in emendando anno. 605
Casus tuetur Iosephi historiá. 172 172
C. Gallus philosophus. 27 28
Cato Vticensis prolixe laudatur philosophiæ causa. 94 95 96. & seq.
Chamæleontis natura. 582
Chelidon apud Cleopatram ditissimus. 146
Chronologia antiquitus Romæ neglecta. 14
Christianorum innocentiam defendit Iustinus. 262
Christiani obijciebant Gentilibus discordiam philosophorum. 262
Christianos vetuit inquiri Traianus. 259 sed delatos puniri. ibid. de eiusmodi lege disputatur. ibid.
Chrysippi toti syllogismi exposita a Galeno 358. quam cum faceret Carneades. 31
Cicero commendatur philosophiæ causa. 89 90 91 eius adiaphoria quænam 64 65 eius verba de oratore exposita. 593. disputatio cum Catone Vticensi. 98 99
Cinna Catulus Stoicus præceptor Marci Imperatoris. 341. Cicero quomodo euaserit eloquens. 47
Circa Crotonem philosophia Pythagoræa floruit. 25
Claudius Salmasius. 381
Claudij Imperatoris studia. 34 cur ei nihil profuerint. 135
Claudius Maximus præceptor Marci Imperatoris. 342
Claudius Seuerus peripateticus præceptor Marci Imperatoris. 342
Cœlum quatenus sit vocatum elementum ab Aristotele. 336. an sit quinta substantia secundum Platonem. 247 248

Com-

Commodus Imperator infensus philosophis. 405
Columnae Herculis quae. 306
de Conuiuijs quinam scripserint. 376
conuiuales sermones 375 370 377
conuiuia aliquot recens. 306 377
Contradictio apparens à Platone [illegible] dog[illegible], & ingenio exponitur ab Apuleio. 250
Continentia Marci Imperatoris 344 vide etiam Marcus imperator.
de Constantia libenus [illegible] de Fato. 221
Crescens Cynicus aduersarius [illegible] Iustino 260. [illegible] adiaphoria 263 264 victus à Iustino. 258
Critolaus discipulus [illegible] Peripatetici 55 56. [illegible] 57. [illegible]
Cratippus insignis philosophus. 93. quid responderit Pompeio [illegible] ibid. [illegible] Ciceronis ibid.
Cr[illegible] certamen cum de [illegible] in N[illegible]. 129
Critolaus peripateticus 35. eius dogma de bonis [illegible] 38. de mundi incorruptibilitate contra Stoicos [illegible] 63
Cr[illegible] Platonicus. 324
Crates [illegible] viro circum[illegible] re. 251
Cr[illegible] causa an sciri possit. 371 372
Culcitra in terra, in qua iacebat Seneca. 145
Cyrulcus Cy[illegible] philosophus [illegible] sophista. 381
Cyri [illegible] testamentum 397
Cynici an habuerint eandem originem cum Stoicis. 156 turpes eorum mores describuntur 157 158. male à Iuliano conferuntur cum Monachis 158. de Cynicorum pera, baculo. 151. quomodo vexarentur à vulgo 152 150. [illegible] 382
Cynici habuerunt [illegible] discipulas 251
Cynici male comparati à Iuliano Imperatore cum Monachis. vide Iulianus.
Cynicus Demetrius. 138. adstitit Thraseae morienti. 139

D

Daphnus Ephesius praeclarus Medicus. 384
Demetrius [illegible] captiuus ductus Romam a Lucullo. 50
Democritus [illegible] Magus. 18 19
Deprauatus [illegible] 405
[illegible] 411
D[illegible] 3[illegible]
D[illegible] 187 [illegible] 624
Decen[illegible] apud Romanos an philosophi. 17
De Deo quid docerent Stoici. 33 34 eiusmodi doctrina reiectum. 34
Deus ab Aristotele [illegible] tantum esse in coelo 246. eiusque opinio reijcitur. 246 247
Deorum domicilia vbi secundum [illegible] 629
[illegible] 639
Deificatio apud Romanos.

Dei-

Dialectici fœdus sint testamentum. 399
Dedalæ Aristotelis quænam. 511
Dionysius dictus Chalcenterus. 632
Dionysius Halicarnasseus oppugnat Fabulas. 488
Dionysius Metathemenos in voluptate posuit finem. 265
Diodorus philosophus auditus à Cicerone. 75. vere pateticus. 43
Dionysius e Caria magnus Criticus. 427
Dio Cassius nonnulla habet facientia ad progressum philosophiæ apud Romanos. 3. eius narratio de Bruto suspecta. vide Brutus.
Dio Prusæus quid de Pythagoreis dicat. 20
Diogenes Stoicus præceptor Panætij. 21 legatus Atheniensium ad Romanos. 29 32 33. ex Diogene Stoico iura controuersa. 602
Dionysius Alexandrinus. 167
Diogenistæ quinam. 455
Dilatius Medicus philosophus. 498
Diuitias non bonas quibus argumentis probarent Stoici contra Peripateticos. 145 146
Diuisio philosophiæ secundum Aristotelem, & Platonē. 524 525 526 527
Dominus quis quandoq. vocatus apud Romanos. 389
Domina amica aut vxor. 388
Domitius Vero ēis explosit Arist. 43
Duodecim tabulæ an continerent philosophiam. 581

E

Ecclesiastici scriptores valde commendant Iosephi historiam. 178
Edmundus M[illegible] 386
Egnatius Celer Stoicus scelestus [illegible] 648 149
Elementum Stellarum quid. 315
Elementum primum [illegible] secundum Aristotelem. 335
Elementum ignis constitui [illegible] secundum veteres contra Aristotelem. Vide Ignis.
Eleazarus maluit mori, quam vesci carne suilla. 44
Elephantes in Africa, & India. 307. quam solertes. ibid. meliores in India. ibid.
Empedocles an Magus. 18 19
Empiricorum secta tolerabilis. 305
Encratitarum error damnatus. 434
Eudæmones Stoicorum quinam sint. 608
Ennodius laudat Theodoricum regem Gothorum. 582
Entelechia Aristotelica oppugnata à S. Iustino 292 293 an ex ea sequatur animam esse mortalem. ibid. entelechia habet non paucas difficultates 296 297. & seq. huiusmodi vocabulum fictum ab Aristotele 514. qua ratione tale nomen defendatur à Porphyrio ibid.
Epicurei nunc [illegible] 76
Epicureus Zeno quis? 75
Egesinus successit Euandro 31. & magistrum Carneadem. 33
Eu[illegible] Academicus successit Lacydi. 21
Epaphroditus laudatus à Iosepho. 171. impulit Iosephum ad scribendas antiquitates Iudaicas. ibid. eidē liber dedicatus à Iosepho. 170
Ephe-

Ephemerides quid. 629
Esus carnium an polluat. 432 confutatur Porphyrius. ibid. prolixè disputatur de tota quæstione. 430 431 432. & seq.
Eusebius scripsit defensionem pro Origene. 632
Euphrades philosophus impetrauit ab Hadriano vt sibi liceret mori 234. eiusmodi commeatus exponitur. ibid.
Expostulatio auctoris contra extemporalitatis osores. 410 411 412
Extemporalitas defenditur. 409. extemporalitatis quis primus auctor. ibi. extemporales declamationes. ibid. extemporalitas Sidonij Apollinaris. vide Sidonius Apollinar. quid de extemporalitate dicat Quintilianus. 410. de extemporalitate multa apud Philostratum in vitis Sophistarum. ibid.

F

FAbianus Papirius insignis philosophus, multa scripsit, auditus a Seneca. 611 612
Famianus Strada absque modo inuehitur in Tacitum. 191 192. confutatur ibid. & seq.
Famiani Stradæ vestigia sequitur Aug. Mascardus in carpendo Tacito. ib. confutatur ibid.
Famuli apud Hispanos de geniculis alloquuntur dominos. 389
Fatum quid sit secundum Plutarchum. 220 221
Fauonius æmulus Catonis 150. occisus ab Augusto. ibid.
Faustus Regiensis doctissimus. 574 amicitia iunctus Sidonio Apollinari. ibid.
Faustus Senior & Iunior consules dicti. 582
Feuda vnde orta. 397
Fœminæ philosophare sub Platone. 251
Fœminis quam sit obnoxij Itali. 389
Fideicommissa perpetua reijcienda. 397
Figulus vide Nigidius.
Flabella ex pennis pauonum. 391
Fruges excantare capitale apud Romanos. 18
Fruges excantari non posse putauit Seneca. 18
Francisci Patritij opinio de Strabone. 121. confutatur. ibid.
Franciscus Patritius ambigit de omnibus libris Aristotelis. 551
eius insania redarguitur. ibid. notatur eius contradictio. ibid. plura suo tempore contra eundem Patritium prodibunt.

G

GAlbæ sententia de principatu 209
Galenus Romæ quando floruit. 356. commendatur epigram matis ibid. eius sententia de pulchritudine reiecta. 361. magnus locus. 375. quando scripserit libros de placitis Hipp. & Platonis ibid. quædam scripsit secundum Epicurum 358 nulli sectæ addictus in philosophia. 358
Garrire in aurem signum familiaritatis. 358
Gemistus Plethon scripsit pro Platone contra Aristotelem. 437
Gem-

Geneseos 49. locus citatus à S. Iustino. 313
Georgius Trapezuntius contempsit Platonem, vt extolleret Aristotelem 437
Gorgias Leontinus eloquentissimus. 410 vide etiam Extemporalitas.
Gordiani Imperatoris præceptor. vide Serenus Sammonicus. Gordiani duo 421. Seuor laudatur ibid.
Guido Pancirolus. 381

H

HAdrianus philosophię addidit Magiam 2, 2. destinat Antinoum 230. dedidit Astrologię. 616
scripsit de vita sua. 231
ius dicebat. 228
magnifecit Fauorinum. 225
summo desiderio sciendi flagrauit. 223
Hectica febris an possit in multos annos porrigi. 386
Herodes Atticus vir magnus. 235
Heraclitus putauit omnia fluere. 589
Hermodorus amicus Heracliti. 17 18
Hesicastes cur dictus Iuetanus. 632
Hierusalem Romæ. 585
Hilarius quam honorificè loquatur de versione LXX Interp. 309
Hispania caret Elefantibus. 307
Hispani venerantur amicas. 389
Hippocratis verba de antiquitate Medicinæ. 255
Hippocrates non est censendus esse primus author Medicinæ. ibid.
Homerus non fecit mentionem testamentorum. 385
exsibilatus Romæ tanquam philosophus. 125
prælatus Chrysippo, & Crantori ab Horatio. ibid.
in Homerum porrò expecta lector dissertationes non vulgaris notæ à conspicuo philosophiæ professore, Paulo Stecchino Veneto.
Hoedinis pelliculis strati lecti à Q. Tuberone. 41 42
Hugo Grotius. 387
Hypatia philosopha magistra Synesij. 251 252

I

IAmblichus præceptor Sopatri. 465
reprehendit in nonnullis Magistrum suum Porphyrium 465 466. reprehēdit Astrologicam vanitatem. 466
Igneæ naturæ cœlum constitutum à veteribus cōtra Aristotelem. 328 329
Impartibilia non subsunt tempori 589
Impedimenta humanæ vitæ quænam. 145
Inordinatio an fuerit ante mundum secundum Platonem? 289 290
Intelligentia motrix cœli quatenus anima cœli secundum Auerroem. 512
Iohannes Baptista Lauentius peritus rerum cœlestium simul & ciuilium. 483 484
Iohannes Seldenus. 387
Iohannes Donatus Antellensis prę latus Metaphysicus. 486 487
Iosephus filius Mathathiæ recensendus inter philosophos. 619
pharisæis addictus. ibid.
duro victu vsus. ibid.

miles pugnauit prò patria. 170
no[illegible] antiquitates. 171
non vo[illegible] Principibus 171
172. locutus est perhonorificè de Christo Seruatore. 171
Iosephus [illegible] ab Augusto Mascardo 174. defenditur 174
Iosephus non negauit miracula narrata à Mose. 177
Isidorus philosophus. 379
Isocratis institutum valde improbatum à Catone Censorio. 40
Iulia Imperatoris Seueri vxor 409. fauit philosophis. 410
Iulianus quos habuerit in suo comitatu. 16
Iulius Cæsar Scaliger præfert occidentem orienti non bene. 307
Iulius Agricola dedit operam philosophiæ Massiliæ. 185
Iulius Guastauinus clarus Medicus. 385
Iuliani responsio ad Themistium de vita actiua. 451
Iunius Rusticus præceptor Marci imperatoris. 341
Ius ciuile quomodo definitum sit à Cicerone. 313
Iurisprudentia coniuncta cum philosophia olim à Tuberone 42. nostro seculo ab Huberto Giffanio, & Iulio Pacio. 42
Iura gentium quænam dicantur esse. 422
S. Iustinus Romæ ac[illegible] à Crescente Cynico 257. [illegible] amplexus fuerit Religionem Christianam. 260 obijcit Gentilibus discordiam in dogmatibus. 261 262 quid scribat de [illegible] Crescentis Cynici. 263. quid de antiquitate Mosaica contra Gentiles 266. Iustini disputationes contra Aristotelem. 270 271. exagitat duos locos in libris de Cælo 270 271 obijcit repugnantiam Platoni in Timæo 272 273 perpendit Verba Platonis: *Dij Deorum* ib. colligit ex vocabulo Entelechiæ Aristotelem docuisse animam esse mortalem 292 quanti fecerit versioné LXX. 308 quædam opera adscripta S. Iustino quæ non sunt S. Iustini. 315 314 315 & seq.
S. Iustinus obijcit quædam verba Aristoteli, in quibus agitur de natura cœli. 317
Iuuenalis verba de inferis exposita. 76

L

Lactantij verba de Christi regno in terris 472 reijcitur. 473
Lacydes successit Arcesilæ. 21
Lecti lucubratorij veterum 341 lecti citrei apud Persium ibid.
Lemanus lacus infamis commento Stoicorum. 20
Librorum Aristotelicorum diuisio 530 libri memoriales quinam. 530
Libertas ciuium collata quomodo. 533
Liberalitas Luculli erga Tyrannionem 51
Ennius scripsit de philosophia magna cum laude. 607
Longinus interfectus ab Aureliano imper. & cur? 425 426
præceptor Porphyrij ibid.

Iau-

laudatur. 427
dictauit epistolam Zenobiæ Reginæ 425 426
Longinus præceptor Porphyrij, & magnus Criticus. 427 428 scripsit quædam contra Porphyrium 426 appellatus viuum Musæum, & spirans bibliotheca. 427
Lucani sententia de Dei prouidentia. vide Tacitus.
Lucanus vocauit Alexandrum felicem prædonem 621 quid proferat de anima Pompeij. 618 619
recensitus inter philosophos. 614
loquitur de mundi conflagratione cum Stoicis. 615 616
Lucani locus difficilis, quando agit de anima Pompeij. 619
Lucilius Balbus Romanus insignis Stoicus. 82 83
Lucullus magnus in philosophia. 49
Lucius Furius philosophus. 27
L. Philippus philosophus. 27
L. Crassus quos philosophos audiuerit 43
Ludus impudentiæ dicta schola Rhetorum.
Luna an accipiat aliquid à terra 478 479 & seq. disceditur ea in re ab opinione Peripateticorum, præsertim Fortunij Liceti philosophi eminentis Bononiæ. ibid.
Luna mortis & vitæ confinium secundum quosdam Platonicos. 542
terra ætherea dicta. 542
Lucipetis solertia. 582
Lycurgus nihil sapeter de testamentis 395

M

Macrobius quando vixit. 495
Macrobius benemeritus de philosophia. 495 496
Macrobius docet cœlum edere concentum 497 quid proferat de animarum immortalitate ad somnium Scipionis. 500
Magia apud Romanos. 18
non confundenda cum philosophia 19
Mæcenas nō fuit philosophus. 118 119
Magi apud Persas quinam. 19
Malum vnde. 319 320
Manilius sub Augusto scripsit Astronomica. 128 129
Manichæi exorti post D. Iustini tempora. 315 quando ibid.
Manichæorum duo principia confutantur. 316 317
Manumissiones in Ecclesia. 523
Marcus Imperator. 395
Marcus Imperator quantus philosophus. 340 341 342 343 344 345
Marcus philosophus, valde fuit philosophus. 346
Marcus scripsit de vita sua 347 ex eiusmodi libro quædam depromuntur exponunturque. 347 348 349
Martialis poeta facit ad mare laut. conuiualem. 387
Marcus Imperator dedit operam Stoicis 340 duodecim annorum sibi debat philosophię ibid. cubabat humi ibid. vsus præceptore Apollonio Chalcideno Stoico ibid. iuit Imperator ad domum præceptoris ibat discendi causa 340 audiuit etiam Peripateti-

eos, præter Stoicos. 341. vitam delicatiorem spreuit vsus solo pallio absq. tunica 341 vtebatur quādoq. lectulo pellibus strato 341. Marcomannos domuit 345 nequaquam pertinax fuit. ibid.
Marcus Aurelius Galuanus antecessor Patauinus eruditissimus. 381
Masurij Iurisconsulti duo. 38
Masurius Sabinus quādo floruerit 380
Marcia est atheos secūdum Proclum. 319
Maximus Tyrius insignis philosophus 406
Medicum oportere esse philosophum. 358 359
Medici auari fugiendi. ibid.
Medici docti non reprehenduntur. 359
Medici non semper consulendi. 350
Medicinam non debere confundi cum Medicis. 252
Medicina non caruit vlla natio, at multæ nationes caruerunt Medicis ibid.
Medicorum venerationes reiectæ ab Apuleio. 357
Medicinæ antiquitas supra tempora Hippocratis 254 in Ægypto primū videtur floruisse 254 ea de re prolata verba Homeri ibid.
Medicus primus Romæ dictus Archagatus 252 dictus etiā Carnifex 257
Militum priuilegia vnde? 40
Mores optimi ex agro. 364
de Morbis an sermo habendus in conuiuijs. 385 386
Mortis definitio Platonica & Aristotelica diligenter exposita. 484 485 486
Mundus genitus secundum Platonem, semper tamen fuit. vide Proclus I
Mundus non semper secundum Anaxagoram, & Democritum vide tēpus.
Mundus secundum Platonem genitus, sed incorruptibilis. 279
Mundum in schola Platonis non esse vocandum æternum, sed perpetuum putauit Boetius. 279
Mundi conflagratio, aut renouatio exposita. 615 616 617 618

N

Natales dies philosophorum celebrari soliti. 454 455
Naturæ an possint tribui aliqua miracula. 178
Naturæ vocabulum an possit tribui intelligentijs secundum Aristotelem. 519 520 approbatur sententia Alexandri Lilioli ibid.
Natura abhorret ab infinito. 520 quæ sunt natura quænam dicantur esse apud Aristotelem. 520
Nearchus Pythagoræus præceptor Catonis Censorij. 99
Negligentia nostra circa res. 391
Neoptolemus paucis philosophatus. 49
Nero relegauit Annæum Cornutum 235 Cur ibid.
Neronis præceptor Alexander Ægæus. 127
Nero damnauit Thraseam. 141
Neronis tempore vixit Demetrius. 38
Nero iussit exulare Musonium. 159
Nero an iusserit ire in exilium philosophos omnes? 159 160 an diligenter de narratione Philostrati. ibid.
Neronis tempore Romam venit Apollonius

lonius Tyanæus. 159
Neronis tempore Stoicus Egnatius commisit scelus. 148 149
Nicon Geometra pater Galeni. 367
Nigidius singularis doctissimus philosophus 77 & seq. Pythagoreæ sectæ addictus ibid. laudatur Epigr 85 86
Nicolaus Damascenus carus Augusto. 113
Nicolaus de Antella patritius Florentinus laudatus. 508
Notantur aliqui Medici qui Galenum iactant. 367
Notitia linguarum. 369 370
Notitia multarum linguarum parui facta à Romanis. ibid.
Notitia linguæ græcæ magnifacta ab iisdem. ibid.
Notitia linguæ hebraicæ quatenus magnifacienda. 370
Notaria petulans quid apud Persius. 152
Numa vixit centum annis ante Pythagoram. 6 & 13 14
Numa quatenus philosophus dicendus ibid.
Numa instituit Augures. 16
Numa an se contulerit Crotonem ad audiendum Pythagoram 591 reiicitur narratio Ouidij ea de re, vt fabulosa. ibid. & seq.

O

OBseruationes in S. Iustinum. vide Iustinus.
Obseruationes in Apuleium. vide Apuleius.
Obseruationes in Boetium. vide Boetius.
Obseruationes in Platonem, sparsæ in toto opere. [illegible]
Obseruationes in Seruium. vide Seruius.
Odoacer rex uictus a Theodorico. 580
de Officijs docuisse Stoicos Peripateticos, & Academicos. 608 609
Omnes nationes habuerunt Medicinam, sed pauci habuerunt Medicos. 256 257
O[illegible] vide Heraclitus.
Olympus quo sensu dictus sit sedes Deorum ab Homero. 493
Orientales magis [illegible] occidentalibus 308 Cur ibid.
Origenes videtur aditrax sic annum magnum Platonis. 221
Origenes damnatus in VI. Conc. generali. 221
Origenis Romam aduentus 631 cur dictus Adamantius. 632
Origenes ab aliquibus defensus ab aliquibus damnatus. 632 docuit philosophiam sed priuatim Alexandriæ 631 innumeros ad hæc allexit. 632
Origenis præceptor Ammonius. 629
Ostia quam frequentia apud Romanos. 391
Osculum signum fraternitatis apud ve[illegible] [illegible] a S. Paulo ibid.
Osculi vestigium [illegible] Missæ solemnia. 398
Oua Pauonina. 394
Ouidij verba de Roma olim rud[illegible] postea eleganti. 449
Ouidij fictio de Numa. 590 591 592
[illegible] Pythagoræ [illegible]

tem philosophicè. ibidem.
O ij j v 104 de mundi interitu expli-
catione. 614

P

PAndia gemma. 382
Panetius primus philosophus Romæ floruit. 22
eius patria ibid. & 23
eius error de anima. 23
quanti fecerit Platonem. 23
scripsit de Officijs. 608
vixit 30 annis postquam scripsit de officijs. 23 habuit discipulos Hecatonem, & Posidonium. 624 & Apollonium. 22
putauit mundum esse incorruptibilem. 23 epigrammate commendatur. 24
Pamphilus Martyr scripsit Apologiam pro Origene. 632
Parthenius profectus Romam studiorum causa. 583
Pauones olim passim rari habebantur. 391
Paulus Ircch nus conspicuus philosophiæ professor in Gymnasio Patauino vide Homerus.
Pherecydes Syrius præceptor Pythagoræ. 21
Peregrinor non fit ende in vxores. 404
Peregrinari consueuerunt philosophi. 406
Pertinax Imperator eruditus 332 interfectus à Prætorianis, & cur 343 senex fuit, senex ibid. procreerat sub Marco ibid.
Philolaus Pythagoreus docuit terram moueri. 91
Philo Iudæus 131 quintus philosophus. 132
Philosophi Roma pulsi 28 & à Domitiano. 186
Philosophorum sectæ recensētur. 528 529
Philosophia an contineatur in XII tab. Romanorum. 591
Philosophia non confundenda cum Magia 458
Philo philosophus præceptor Ciceronis. 75
Philosophia facit eloquentes. 47
Piso M. philosophiæ peritus 70 quem habuerit præceptorem. 71
Plato. & Aristoteles an concordes vel discordes. 435 436 437. & seq.
Platonem & Aristotelem conferre de[?] integro libro Sebast. Foxius 439 440 441
Platonis nonnulla dogmata, quæ defenduntur in Lyceo. 446
Platonem sectantur Ficinus, Duccetus, Bessarion. 447
Plato quid sentiat esse Naturam 450 [illegible] summarium vnum vbique diffusum. 451
Plato [illegible] cœlum esse igneum. 451
Platonis [illegible] magis Simplicius quā Aristoteli. 453
Plato quo sensu dixerit materiam esse locum formarum. 454
Platonis natalem celebrauit Plotinus. 455
Platonis verba ex Timæo de dijs Deorum perpenduntur. 272 273 274 275 & seq.
Plato improbauit astrologiam iudiciariam

tiam. 627
Platoni contradictionem obiecit Steph. Gobarus 273 & Photius. 274
Platonicam narrationem de ortu mundi præferebat (sed malè) Mosaicæ Iulianus. 274
Platonica E... d... id quod semper est, & in id quod gignitur quomodo explicetur ab Interpret. 274 275
Platonis interpres Proclus quomodo doceat D... os mundanos esse immortales. 277
Platonici docent D... non posse soluere mundum. 277 quo sensu 277 perpenduntur verba Procli ibid.
Plotinus quando se contulerit Romam 423 quandiu ibi vixerit ibid. Plotini discipulæ mulieres. 424
Polybius philosophus præceptor Africani. 24 25
Polybius Tacticæ peritus. 25
Polybius trāslatus à Perotto non æquè bene vt à Casaubono. 25
Polybius de Rebuspublicis accuratè disputauit. 25
Pompeij animæ quò transmissa à Lucano. 618 619
Pompeius quam humanus ... liberalis erga philosophos. 92 93
Porphyrius dictus Tyrius Basilius à Longino 426 reprehensus à Iamblicho 456 eius paradoxum de sacrificijs. 453
Porci pinguesc... 391
Porphyrius quoties Romam aduenerit. 428
quandiu vixerit. 428 429
se contulit in Siciliam, vt vitam finiret media. 428
an peruenerit ad tempora Constantini. 429
damnandum eius odium contra Religionem Christianam. 429
Posidonius quo honore affectus à Pompeio 92 93 decumbens in lecto disserit coram Pompeio. ibid.
Prætoriani corruperunt sub Cōmodo. 342 343 interemerunt Pertinacem 343
Prędicamenta Aristoteles accepit à Pythagoræis quibusdam immutatis. 516 517
Prædicamentā à nonnullis reijciuntur ineptè ad Metaphysicam. 568 569 570
Prædi quid. 625
Pr... apud Hispanos à quibus inuecti. 397
Proclus an scripserit contra Christianos. 578 scripsit contra Democriteos & Stoicos de æternitate Mundi. ibidem.
Proclus quomodo exponat mundum esse genitum secundum Platonem. 325
Proclus etsi dicat mundum esse genitum, non tamen ait vnquam cœpisse. 324 325
Prouerbiorum VIII. locus citatus in Concilio N... primo. 311
Proæresius. 457 quo honore affectus Romæ. 458
Publius Scipio Africanus. vide Scipio.
Pythagoras habuit fœminas discipulas. 251
Pythagoras non magnopere consuluit sensum. 588
docuit sensibilia fluere. 589
negauit dari inferos. 592

Pytha-

Pythagoras an fuerit Romæ. 14 591
Pythagoras Spartiata quis? 14
Pythagorei an antiquitus docuerint Romæ. 21
Pythagorei egerunt de tempore ante Aristotelem. 589

Q

QUerelæ Quintiliani, & Petronij contra Rhetoras. 40
Qui mes hesterni apud Persium quinam. 523
Q. Tubero Stoicus. 41 intempestiuè frugalis. 42 Cur deiectus prætura. ibid.
Q. Tubero Iurisconsultus. 42
Quot annos vixerit Panætius, postquam scripsit de Officijs. vide Panætius.
Quo tempore venerit in Italiam Pythagoras. vide Pythagoras.
Quæ causa mortis Antinoi. vide Adrianus Quomodo fuerit interceptus Scipio Africanus. vide Scipio.
Quare Perottus non ita bene transtulerit Polybium. vide Polybius.
Quos habuerit præceptores Marcus Imperator. vide Marcus.
Quot die declamarit Augustus bello Mutinensi. vide Declamationes. & Augustus.
Quotidianæ erant Declamationes. vide Declamationes.
Quando se contulerit Romam Plotinus. vide Plotinus.
Quoties fuerit Romæ Porphyrius. vide Porphyrius.
Quos discipulos habuerit Panætius. vide Panætius.
Quis Author commentariorum in Metaphysicam Aristotelis. vide Alexander Ægæus, & Alexander Aphrodisiensis.

R

RAtione an vtantur animalia. vide Animalia.
Rationale mortale differentia hominis vide Boethius.
Rhetores antiquitus non fuerunt Romæ. 39 cur inutiles visi. 39
Rhetores circa quæ tempora extiterint Romæ. 40
Rhetores ferè ijdem qui Sophistæ. vide Sophistæ.
Rhodus patria Panætij. vide Panetius
Rhodij maiores Panætij. vide Panætius.
Rhodus sacra soli. vide Panætius.
Rhodi docuit Panætius. vide Panætius.
Romæ an floruerit Hecato Stoicus. 604
Romæ tempore Marcelli fuit Posidonius philosophus. 604
Roma olim fuit rudis, & simplex tandem aurea euasit 41 45
Romani quare susceperint tandem philosophiam. [illegible]
Romana philosophia gloriatur Lælio 46 47 sapiente. 596
Romanorum veterum diffidia. 13
Romanis prætuit ad suscipiendam philosophiam Lucullus. 48 49
Romani libri Aristotelis, & Theophrasti illustrans ara Sylla. 51
Romani ductus Tyrannio a Sylla. 50
Romani quidam obscuri egerunt de philosophia.

losophia, sed frustra. 53
Romanorum mores immutati. 44 45
Roma vetus rustica, recentior elegans. 44 45
Romæ tandem liberè admissa philosophia. 44
Romam ingenti affectu prosequitur auctor. 586 eapropter de philosophia Romanorum egit. ibid.
Ruffinus Nicæus egregius Medicus. 184
Rus olim plura suppeditabat, quam nunc. 395

S

SAnguinis esum proscripserunt Apostoli. 434
Saræ nomine quid possit significari Philo. 146
Saraceni inuenerunt abacum. 584
Salianus. vide Iosephus.
Scæuola audiuit Panætium. 43
Scholastici dicti Rhetores. 40
Scipio Africanus maior quid de animarum immortalitate proferat in somnio. 570
Scipio Africanus Minor philosophia insignis. 26 27
Scipio Africanus minor quomodo interfectus. 584
Scipio Africanus quam continens. 594 595
Scipionis pater Paulus Æmilius. ibid. Auus Africanus maior. ibid.
Scipionis præceptor. vide Polybius.
Senecæ innocentia detecta 144 145 & alia ibid.
Seneca dubius an terra moueatur, & cœlum stet. 43
Septimius Seuerus Imperator doctus. 408 409 scripsit de sua vita. ibid.
Septuaginta interpretum versio quanti facienda. 308 309
an corrupta fuerit. 311
Seruius interpres Virgilij continet magnam segetē philosophiæ. 469 470
Seruius varijs in locis, in quibus loquitur philosophicè expositus. 470 471 472 vsque ad 495
Seruius quid dicat de coniunctione animæ cum corpore ex sententia Platonis. 493 494
Seruius nequaquam Deum includit cœlo. 490 491
Seruius exponit quædam omniosa Gigna. 498
Seruius quid dicat de fabulis cum philosophia coniunctis. 484
Seruius quomodo ex Platone definiat mortem. 484
Seruius cum Stoicis putat superiora corpora aliquid accipere ab inferioribus. 478
Seruius an tribuat rationem animalibus. 475
Seruius quid proferat de magno anno Platonis. 470
Sessorianum palatium Romæ. 585
Sensibilia fluunt secundum Pythagoram. 589
Sensibilia subsunt tempori. 589
Sextiorum secta Romæ 147 citò dececit. ibid.
Sextus Chæronensis præceptor Marci Plutarchi nepos. 240 an idem cum Sexto Empirico. 341
Sextus Stoicus præceptor Marci. 341
Sextus

Sextus Empiricus Pyrrhonius. 342
Sextus Cheronensis secundum Suidam discipulus Herodoti Philadelphæi. 342 Sextus quidam fictus, conuictus a Pertinace Imperatore. 342
Sextus Pompeius eruditus in philosophia. 43
Sidonius Apollinaris fuit Romæ. 572 eius epistolæ mió & carmina contineat nonnulla ad Philosophiam facientia. 591
Simplicius non pauca profert ex Archita. 691
Solon primus induxit testamenta. 394
Spartani coniungebant fratres, & sorores. 403
Sopater. 464 465
Sophistæ philosophi. 410
Sophistę valuerunt extéporalitate. 411
Sophista primus Gorgias Leontinus. vide Gorgias.
Statua Romæ posita Proæresio. 467
Staseas Neapolitanus præceptor M. Pisonis. 71
Stellæ an possint vocari maleficæ. 318
Stephanus Rodericus Castrensis clarus Medicus. 485
Stulti fiunt adolescentes in Scholis Rhetorum. 40
Stoicorum dogma de Origine Mundi. 33 quod mundus seipsum fecerit 33 quod mundus sit Deus. ibid.
Stoici docuerunt duo esse principia omnium rerum Deum, & materiam. 34
Stoicorum origo. 156
Stoicorum sententia, quod sydera pascantur ab aquis marinis. 478
Stoa Zenonis 153 cur Varia dicta 153 154 cur dicta a Persio illita Medis. ib.
Strabo Geographus Stoicis addictus. 119 120 121 non Stratonis. ibid.
Suffocatorum esus proscriptus ab Apostolis. 434
Suidæ narratio de Proclo reiecta. 578
Suidæ collectanea nō prorsus tutę fidei. vide in locis aliquot in hoc opere.
Synodus Alexadrina damnauit Origenem. 632
Syluester secundus defensus 584 585 præceptor Othonis III Imp. ibid.
Syntagmatica opera Aristotelis quænam. 558
Syntagmatica vel dialogica, vel acroamatica. ibid.

T ante A

Tacitus varijs in locis expositus, defensus, laudatus, inter philosophos numeratus. 191 192 193 vsq. ad 213
Tacitus assertus aduersus accusationes Famiani Stradæ, & Aug. Mascardi, ibidem.
Tacitus an appellandus loquacissimus mendaciorum. 198 199
Tacitus addictus Stoicis. 192 193
Tacitus non addictus Epicureis. ibid.
Tacitus versatus in communi errore gentilium. ibid.
Tacitus nequaquam Pyrrhonius. 194
Tacitus quere a de eius prolata in seipsum a Lucano. 194
Tacitus si legitur cum periculo quia gentilis fuit, quilibet veterum Gentilium scriptorum legetur cum periculo. 196
Tacitum defendit Curtius Pichena vir grauis-

grauissimus 198 & Lipsius, ibid.
Tacitus non est adulatus iis qui iam erant mortui. 201
Tacitus libere detestatus est scelera Domitiani. 201
Tacitus diligenter legendus ad cognoscenda arcana aularum, & detegendam calliditatem & prauitatem aulicorum. 202 203 & seq.
Tacitus superesse animas post mortē docuit. 205
Tacitus potenter inflammat Principes ad studium virtutis 206 207
Tatiani abominabantur esum carnis. 434
Thaumasia acusmata Aristot. 531
Tages augur. 16
Tempus fuit antequam esset mundus secundum Anaxagoram, Democritum. 324
Tempus secundum Democritum semper fuit, sed non semper mundus. ib.
Terra non adeo exigua vt putauit Aristoteles. 304
Terram moueri docuit Nicetas. 21
Tertullianus an mereatur dici grauissimus author. 199 202
Testamenta an sint iuris gentium. 392 393 394
Testamentum vetus & nouum an propriè dicatur. 398 399
Themistius. 457 458 459
Theodoricus fauit viris doctis. 576
Theodoricus Romam profectus. 581
instaurauit Romam. 581
interficit Odouacrum. vide Odouac.
Themistij epistola ad Iulianum examinata. 460 461 462
Thessalæ veneficæ. 19
Thrasyllus sub Tiberio. 609 610 126 127 128
Tiberio concessa libertas. 513
Titus suo approbauit historiam Iosephi de bello Iudaico. vide Iosephus
Titus humanissimus magnificit Plinium. 178
Titi philosophia. 181
Titus sublatus insidijs fratris. 181 182
Traianus fauit Plutarcho 215
Traiani tempore magna fuit celebritas nominis Chrysippei. 222
Traiani tēpore philosophi magnifacti. 189
Traianus quanto honore affecerit Dionem philosophum. 189 190
Tritici natura. 582
Tuberonum familia Romæ nobilissima, sed valde pauper. 41
Tyrannio ductus Romam 51 à quo, & cur ei hoc nomen impositum 51 tres myriadas librorum possedit. 51

V

Vasa fictilia exposita à Tuberone in funere Scipionis Minoris. 41
Velleius C. senator Romanus defensor Epicureæ sectæ 81 eius disputatio contra Platonē, & Zenonem. 81
Vespasianus collocutus Alexandriæ cū Apollonio Tyaneo. 167
an sustulerit ludos Circenses. 168
Vespasiano an adulatus fuerit Tacitus vide Tacitus.
Vespasianus approbauit historiam Iosephi de bello Iudaico. vide Iosephus.
Vesuuianum incendium. 181 182
Victo-

Victorius. vide Alexander Victorius, & Petrus.
Vincentius Renerius professor Matheseos in Gymnasio Pisano 443 edidit tabulas Mediceas. ibid.
Vindicta species iuena facienda. 523
Virtus Ciuilis praeterenda contemplationi. 373 460
Vlpiani plures. 378
Vlpianus Tyrius dipnosophista. 378
Vlpianus iurisconsultus. 379
Vocabulum nouum Categoria, secundum significatum ei tributum ab Aristotele. 511 512
Vocabula noua an possint construi a philosophis. 511 512
Vocabula an sint a natura, an ab hominum instituto 556 557 & seq.
Vono Rex cur contemptus a Parthis 417

X

Xenarchus sub Augusto. 117
oppugnauit quintam substantiam Aristot. ibid.
Xenocrates quo sensu diceret mundum esse genitum. 325

Z

Zenobiae epistolam dictauit Longinus. 427
Zenones plures. 75
Zeno Sidonius Epicuri sectator. 76

